EORG. PETRVM MONATH.
CCLXXXIV.

D. IO. CHRISTOPH. DOEDERLEIN

INSTITVTIO THEOLOGI CHRISTIANI

IN

CAPITIBVS RELIGIONIS THEORETICIS

NOSTRIS TEMPORIBVS ACCOMMODATA

PARS PRIOR



EDITIO TERTIA AVCTIOR ET EMENDATIOR.

CVM PRIVILEGIIS SACR. CAES. MAIESTATIS ET ELECTORIS SAXONIAE.

NORIMBERGAE ET ALTORFI

PROSTAT APVD GEORG. PETRVM MONATH.

MDCCLXXXIV.

PRAEFATIO
DE
THEOLOGIA CHRISTIANA
NOSTRIS TEMPORIBVS
ACCOMMODANDA.

Cum in omni disciplina sapientis est magistri, temporum rationes consulere atque sic docere, ut vetustiora minus polita atque elaborata permutet melioribus placitis et institutis; tum in sanctiore doctrina prudens ad hanc sapientiae legem conformatio minime periculosa erit aut indecens. Religio quidem christiana, temetsi summa fidei omnibus temporibus sit accommodata, nec obsolescere unquam possit vel immutari, tamen plurimis in capitibus temporum personarumque dissimilitudine magnopere differt atque iam e barbarie vitia contraxit, iam a studiis et sapientia doctorum felicia cepit incrementa. Quodsi quidem maiorum operae posteris conducunt, hique, ut decet Christianos homines, haud contenti aliorum fide, perpoliunt doctrinam, minus elaborata emendant atque conatibus suis perfectius subinde decus veritatis salutiferae in lucem proferre student: fieri omnino non potest, quin elaboratio complurium, qui ingenium viresque suas excoluere, effectu fructuosa sit atque, perenni

quidem et durabili inſtitutionis chriſtianae ſumma, aliam alio tempore faciem theologia induat fiatque ambitu prolixior, claritate illuſtrior, argumentorumque delectu melior, magisque et methodo et materia, cum aliis alia magis conveniant, ad communicationem et temporum conſuetudinem definita. Neque quisquam rerum peritus inficiabitur, ſcriptores univerſos, qui de republica Chriſtiana bene meriti ſunt, rationem habere ſtatus eccleſiarum, quem ſuo tempore conſpexerunt, ideoque ea potiſſimum capita doctrinae chriſtianae excuſſiſſe diligentius, de quibus natae tum fuerant controverſiae, quaeque iudicabant ſuo tempore ſcitu magis neceſſaria.

Noſtrorum quidem temporum ut inſignis felicitas laudatur ſtatus chriſtiani, propter excultas diligentius literas et ſapientiae incrementa, populique religionis addiſcendae opportunitatem ac ſtudia, atque magnorum ingeniorum operas, quibus factum eſt, ut religionis decus et honor clarius emineret, denique propter animorum diſſidentium compoſitionem et iurgia deferveſcentia: ita calamitas deploratur non modo ab ingeniis vel querulis quibusdam et meticuloſis hominum, qui ſibi imminentia undique pericula, bonae cauſae pariter ac doctoribus piis et ingenuis diffiſi, confingunt ac de religione univerſa timidiuſcule futurum eſſe, ut conclametur, malis au-

guriis canunt, vel improbis et ignavis, quibus ſemper ſolemne fuit, novandi libidinem ac temeritatem accuſare atque ſtudia liberalia conatusque perficiendi antiqua ad invidiam vocare, verum ab iis quoque, qui, ſatis muniti contra illam vel invidiam vel ſuſpicionem, vident cupidam multorum temeritatem ſapientiae ſtudiis ad infringenda religionis capita abuti, ac, dum veteres lites conticeſcunt, novas etiam excitare, vehementia ac periculo animorum obſoletis multo graviores, quibus et publica quies, et mèntium tranquillitas perturbatur. Huius igitur ſive felicitatis ſive calamitatis rationem habere decet doctorem, qui noſtris temporibus inſtitutiones religionis chriſtianae velit accommodare: primum quidem in ipſis dogmatis tractandis, deinde in argumentorum delectu.

Primum igitur in dogmatis tractandis etſi non ita verſabitur theologus, ut nova dogmata tradat, quomodo enim ultra ſcripturas ſacras ſapere auſit et religionis chriſtianae ſupplementa ſcribere? tamen ſic, ut non acquieſcat in vetuſtate et definitionibus uſitatis et vulgo probatis, ſed meliora aut plura, uſus temporum felicitate ac literarum luce, exponat. Qua in re ſi nihil conceditur tempori, ſi antiquorum theologorum ſtudia omnem materiam praeripuerunt, ſi nefas eſt, ultra terminos praefinitos progredi, peccarunt

omnino, qui veterem fidei ſimplicitatem in artis formam redegere; peccarunt gravius, qui e ſcholaſticorum tricis ſeſe expedire conati ſunt; peccarunt graviſſime, qui primam tenuitatem et prope barbariem ſervare noluerunt. Eſt hoc in dignitate ac officiis theologi, quod ad ſapientiam chriſtianam apertiorem directioremque viam demonſtret, vel ad quaerendum, quod lateat, vel ad emendandum, quod in medio ſit, vel ad commendandum, quod quaeſitum fit ac repertum videatur. Quod, ſi vel tenue fuerit ac minutum, ſimpliciter repudiari non debet, ſed potius in beneficio divino cenſeri ab animo pio et perfectionis amante, iam, quia multum adiuvatur philoſophiae ſtudiis, et recta ſacrarum literarum interpretatione, noſtra aetate felicius excultis, nemini adeo vile videbitur ac leve, ut contemtum mereatur vel negligi poſſit. Quidquid igitur vel curatius elaboratum, meliusque definitum expolitumque ſacrae ſcripturae autoritate et optimarum diſciplinarum adiumentis, quidquid noſtra aetate ingeniis humanis ſive veteris ſuperſtitionis correctum, ſive obſcuritatis declaratum, ſive lucis maioris illatum, ſive recens inventum eſt, quocunque demum autore, in theologia chriſtiana, id ab eo, qui ad noſtri temporis rationes accommodate docere velit, commemorari ſine invidia ingenueque ac liberaliter commen-

dari

dari et tanquam de flore ſcientiarum decerpi poſtulem.

Sed hoc munus temporis felicitas iniungit. alterum oritur a malis tempeſtatis, in quibus non poſtremum eſt, quod occaſiones arripiantur, evertendi ſacras doctrinas atque in ludibrium convertendi, improborum cupiditatibus, conſilio quidem perſpicuo ac ſatis infenſo, interdum etiam eventu felici, et, quod triſtiſſimum videtur, haud vana veritatis ſpecie. Etenim, cum in his conatibus ſemper accuſanda ſit temeritas, interdum etiam inſcitia deriſorum, tamen ſine exceptione ſuperiorum ſeculorum theologos ipſos non auſim excuſare, qui, cum tanto ſublimius eminere doctrinam chriſtianam, quanto plura cognoſcantur, quae admirationem moveant et a tenuitate noſtra nequeant comprehendi, ſibi perſuaderent, fidemque crederent optime miraculis et myſteriis propoſitis exerceri, haud pauca in religionem intulere, quae non novitate tantum et inſolentia offendunt, (hoc enim concedi poſſet), verum etiam notitiis inſitis et incorruptis vim inferunt. Quomodo igitur non faciendum exiſtimemus, ut anſa deriſus, quo facile capitur plebecula et ab opinione dignitatis doctrinae ſalutaris avellitur, quantum fieri poteſt, praecidatur, ſive hypotheſibus, per quas illorum inſania inſidias ſtruit univerſae religioni, repudiatis et abie-

ctis, dummodo per legem sacrarum literarum et iustae interpretationis liceat, sive declaratis atque sic tractatis, ut succurratur veritati et defensio diligenter paretur. Quare has impietatis latebras, quarum nostro inprimis tempore usus est et frequentior et periculosior, excutere, magnum religionis praesidium erit.

Tertio, ecclesiarum status alias explicari alias quaestiones postulat. Quodsi cui libuerit capita librorum Origenis, Augustini, Damasceni, vel a repurgatis inde sacris Chemnitii, Musaei, Baumgartenii inter se conferre: tanta sane invenitur varietas, non tantum methodo tractationis, verum etiam, quod ad rerum materias attinet, ut suspicari propemodum possis, illos nequaquam in eodem doctrinae genere versari. Multa excutiunt priores, quae a posterioribus ne attinguntur quidem: rursus hi plurima adferunt, priscis inaudita vel levi et confusanea tractatione proposita. Nempe suis quisque temporibus et coaevis consulebat. Exoriuntur subinde controversiae aut novae aut revocatae, in quibus nec peregrinum decet esse et hospitem theologiae cultorem, nec imparatum ad ferendum de iis iudicium. Quis iam ferat, occupari gnosticorum figmenta, vel obsoletas de approximatione essentiae, de theologia irregeniti et similes controversias, eum iam subsidisset fervor dissidentium, haud adeo fructuoso eventu: lites autem nuperas

de

de canone de trinitate, de iustificatione vix innotescere studiosis? Quis ferat, tenuem ex illis fructum exprimi, ex his nullum conquiri atque communicari? Oportet igitur, nisi quis priscorum memoria veterascentis theologi speciem ac gravitatem profiteri velit, quacunque aetate recentiorum controversiarum, domesticarum inprimis, capita attingere atque ex his in theologia tradenda quemlibet usum, definitis curatius capitibus impugnatis, ubi periculum est, ne verborum controversias persequamur, firmius stabilitis, ubi antiqua firmamenta convelluntur, cautius denique propositis, ubi illis erroris species ab adversariis illita fuerit, iis denique, quae vere dicta sunt ab hoste, liberaliter probatis, ad coaevos suos ipsamque veritatem et religionem derivare. Atque iuventutem, quae et novitatis studiosa est et facilius decipitur, contra haereseos pericula satis praemunitum iri sperem, si accommodate ad temporis rationes veritatem ipsam tenere doceatur: quod non fit obiurgationibus, querelis ac prohibitionibus librorum et autorum, quas tardi homines et stupidi in promtu habent, verum moderatis de re controversa iudiciis ac propositis cautionibus, quibus fontes ipsius erroris agnosci et fraudes adversariorum evitari possint.

Cuius diligentiae novum etiam fructum sperem, ad quem consequendum omne studi-

X 5 um

um conferre, tum religionis vis tum nostra aetas prae reliquis et iubet et suadet, hunc, ut animi dissidentes in religione Christiana non modo ad pacem, verum etiam ad concordiam paulatim componantur. Postquam enim doctores partium reliquarum, quas a veritate recessisse iudicamus, insigne moderationis exemplum praeivere atque a vehementia et odiis ad mitiora longe iudicia de nobis nostraque professione sese convertunt, et ipsi profitentur, quam indignum sit homine christiano e dissensu opinionum occasiones criminationum et anathematis, suppressis amoris mutui ac clementiae motibus captare: haec ipsa seculi, superioribus longe dissimilis, felicitas, maioris etiam, si Deus annuerit, praenuntia, viros pios atque cordatos, qui bene cupiunt unitati ecclesiae, movere debet atque excitare, ut tam salutarem atque optabilem concordiam, quantum licet per leges veritatis, qua nihil sanctius erit animo pio, promovere annitantur. Quod felicius efficietur, primum, si invidiam, quam opinionibus atque placitis adiunxit partim quorundam vehementia ac aestus, partim consuetudo et iuris, retorquendi adversariorum conatus, opinio, removeamus caveamusque iracundorum contumeliosorumque conflictuum impetus: deinde, si in causas errorum ac dissensionum velimus indagare, quarum semina interdum iam in ipsa veritate, iam

iam in formularum obſcuriorum uſu delite-ſcunt: denique ſi opinionum contrariarum pericula et gravitatem nolimus e maiorum clamoribus aeſtimare, qui ſaepe magni fuerunt in rebus parvis, ſed ad nexum cum pietate Chriſtiana exigere. Erit igitur doctor eccleſiae noſtris temporibus (utinam ſemper fuiſſent!) iudicio mitis, proclivis ad excuſandum, interpres formularum controverſarum cautus, atque in id intentus, ut errores malit in bonam ſententiam, quam veritatem, etiam ubi ambigue proponatur et latentius, ad invidiam detorquere.

Praeter ea iniuſtum eſſet, non imitari ſtudia doctorum piorum, qui ſic tractant doctrinam chriſtianam, ut ad inſtitutionem popularem vitaeque communis uſum, hoc eſt, ad puritatem et ſimplicitatem Evangelicam via ſimul aperiatur: ne, qui ad populum chriſtianum doctrina imbuendum praeparantur a theologis, in quo praecipuum ſtudium iactare deberent, in hoc maxime inertes reperiantur. Haud multum utilitatis conferunt ad religionem, qui ſcholaſticis et dialecticis tricis immorati, reliqua, quae ſunt pietatis verae incitamenta, praetervolant. Fruſtra tempori conſulitur, ubi ſcholis tantum, quae fata habent, non hominibus, te accommodaveris.

Poſtremo, qui accommodate ad temporis noſtri rationes traditurus eſt theologiam, cau-

tione utatur in delectu argumentorum, sive cum antiqua et usitata repudianda sunt, sive cum novis et inauditis veritas poterit suffulciri. In locis scripturae, in quibus antiquitas et scholae usus agnoscit argumenta dogmatum, in promtu est observare, multa per ακριβειαν dogmaticam et leges bonae interpretationis alio trahi a bonis interpretibus atque consuetudini scholae in firmandis dogmatibus eripi. Quid igitur? Deceatne doctorem parcere antiquitati atque clementius fovere dicta, ne forte ingenium humanum offendat, quod non facile patitur eripi sua, et quae diu probaverit ac pro certo defenderit, repudiari, praesertim ab iis, quos vel aetate vel honoribus et fama superet? Sed non decet theologum invidiae metus nec ea clementia, quae interpretationibus precariis, quanquam antiquis, ius concedit anceps sane et noxium. Nam res ipsa declarat usus que demonstrat, multo magis periclitari fidem eorum, qui aliqua umbra veritatis, facile evanescente, delectantur, quam reliquorum, qui de argumentis parum solliciti coeco iudicio feruntur. Multa igitur recidenda sunt atque argumentorum, ne causa optima pessime defendatur, is delectus faciundus, ut in planis et perspicuis, etsi paucis, adquiescat, vetera, quibus praeter antiquitatis commendationem nulla vis inesse, maturo quidem instituto iudicio, reperitur, malit recte interpretari, quam in quemcunque veritatis usum pervertere.

Inter-

Interdum quoque in veterum locum nova ſubſtitui, neceſſe eſt et optari debet. Sunt plerumque theologis rata quaedam loca, quibus utuntur ſolis, neglectis aliis, ſaepe melioribus, quae vel interpretis diligentia inveniuntur atque eruuntur e theſauris literarum ſacrarum, vel ſapientiae ac artium ſtudiis exornantur. Haec igitur depromere ac communicare et e libris bonorum interpretum et philoſophorum transferre in libros theologicos, non ultimum in partibus ac laude doctoris probi et liberalis momentum videtur, praeſertim noſtra aetate, quae, quanto magis ſaevitur in graviſſima fidei capita et rata traditionis argumenta, tanto felicius evidentia ac inſolentia argumentorum imparatos hoſtes depugnatura eſt.

Has quidem leges praecipuas praeſcribere auſim theologo, qui ad rationes aevi ſui ſobrie ac ſalubriter accommodare inſtitutiones ſuas et a felicitate temporis fructum aliquem decerpere velit, quanquam non auſim ſperare, fore, ut invidiam effugiat ac calumnias reliquorum, quibus ſancta antiqua, nova fere ſuſpecta omnia videntur. In iis quidem artibus, quae ingenuae et liberales vocantur, doctrina inter ſtudia magnorum ingeniorum, inter contentiones et diſſenſiones amplificata eſt. Theologiae autem ſingulare hoc accidiſſe, ut nihil tot interpretum clariſſimorum curis emendatum, nihil inter tot diſſenſiones vel lites expeditum, ac confirmatum, nihil ſtudiis et ſolertia homi-

num

num priorum purgatum sit et magis elaboratum, quam olim fuerat, id statuere, non minus erga doctores ingratum, quam religionis dignitati videtur ignominiosum. Hanc ab ipsa scientia saluberrima avertent contumeliam, qui ad leges illas sese componunt.

Atque has ego leges non diffiteor me mihi scripsisse, cum animum ad editionem christianarum institutionum adpellerem, haud reformidans sive hominum barbarorum invidiam, sive difficultates operis. In quo perficiendo quid temporis impendendum et negotii suscipiendum, quid perferendum molestiae sit, in quantas sollicitudines et curas coniectus sim, quam saepe me pressum utrobique viderim, ut nescirem sive vel veritatis professionem paci ac charitati, vel hanc illi praeferre, sive quo modo cautissime alterutrum fieri debeat, periclitando comperi: quid ab iis, qui, quod dudum didicere, fortasse etiam saepe docuere, id nulla ratione patiuntur convelli vel immutari, ac, cum barbarie sua dum consenescunt, iuvenes per idem spacium, ut ad honores ac gravitatem currant, exemplo, auctoritate et novorum autorum prohibitionibus excitant, quid igitur ab his timendum sit periculi, graviorum virorum vestigia portendunt: denique quid vere praestitum sit sive ad honorem religionis christianae tuendum, sive ad illustranda capita doctrinae saluberrimae confirmandaque et ad usum vitae christianae revocanda,

canda, quid tentatum in componendis controversiis, vel repetitum e scriptis theologorum interpretumque, eruditionis copia et meritis immortalium, (quae cum sedulo inspexissem, numero non pauca, laudare etiam subinde studiosis valde utile putavi) vel nostro interdum qualicumque ingenio, quos denique fructus sensuram esse iuventutem sperari possit; de eo iudicandi facultatem nec sumo mihi, nec arrogo: tamen, quin virorum piorum et sapientum suffragia relaturus sim, veritatis conscientia haud omnino despero. Hoc scio, me cavisse, ne in sententiam alienam a veritate et de consensione ecclesiae I. C. institutio mea praecipitaretur, vel disserens de controversiis nostri seculi ac placitis virorum doctorum contrariis modum transgrederer sobrietatis meaeque tenuitatis.

Sed hoc institutum, mira rerum copia adeo amplum, ut non, quid dicendum, sed, quid omittendum esset et supprimendum, saepe haesitaverim, maiorem etiam in molem increvit, adiuncto consilio historiam dogmatum potiorum strictim attingendi. Cuius quidem neque nos poenitet, exemplum gravissimorum virorum secutos ac persuasos, sic aditum parari vel ad formularum ac definitionum theologicarum intelligentiam, vel ad errorum origines aperiendas, vel ad sobria de rebus ipsis iudicia, nec lectores nostros, iuventutem studiosam, spero, fore ut poeniteat, quum rara sit opportu-

nitas

nitas in hunc ampliſſimum campum excur-
rendi.

In quibus quidem ſingulis explicandis, ſi
quae aut minus vere diſputata, aut vere qui-
dem ſed non ſatis certis et exquiſitis argumen-
tis confirmata, ſi quae elapſa atque relicta vi-
dentur peritis arbitris, (non enim is ſum, qui
mihi omnia exhauſiſſe arrogem): eorum bene-
volentia et humanitate admonitus libenter er-
rorem correcturus et meliorem, ſicubi docear,
veritatem communicaturus ſum, cupidus ſo-
cietatis eorum, a quibus veritas quaeritur et
diligitur. Equidem vehementer gaudebo, ſi
ex hoc libello noſtro, atque a ſtudiis noſtris
iuventuti, atque Academiae noſtrae, reique
adeo publicae Chriſtianae fructus ampliſſimi
percipiantur. Scripſi in Academia Altorfina,
d. 4. Nov. a. 1779.

PRAEFATIO
IN
EDITIONEM TERTIAM.

Cum citius, ac ego vel expectare, vel etiam optare auderem, tertio edendus eſſet hicce liber, nos quoad per temporis anguſtias viriumque noſtrarum tenuitatem licuit, ad eum diligenter recognoſcendum et, ubi opus videretur, emendandum augendumque dedimus. Etenim quanquam perſeveremus etiamnum in ea doctrinae ſumma, quam in ſuperioribus libri editio-

nibus professi sumus, nec abiecerimus vel concordiae studium ac consilium, diversas interpretum, theologorum et societatum, si quae dissident, opiniones commode componendi, vel ordinem tractandi materias, qui nobis, in altera quidem parte, novus verum valde commodus ob brevitatem et naturalem rerum connexionem videtur, tamen non gravatim agnoscimus, nos, sicubi retractandi nostra opera locus conceditur et necessitas, quae rudiora erant, expolire, addere lucem obscuris, nimis pressa fusius explicare, munire etiam novis rationibus et naevos erroresve, qui facile cautos etiam theologos, praesertim in historiis, opprimunt, abstergere. Quorsum enim viveremus, si nihil aetas, nihil usus, nihil adsidua exercitatio, nihil lectio, nihil meditatio conferret? Quorsum homines acuti

acuti et graves admonerent nos de naevis operum nostrorum materiamque perficiendi ea offerrent et iudicia sua nobis communicarent, (quod rarius, interdum etiam serius, factum esse, doleo) si nostris copiis nihil demi, adiungi nihil possit? Quorsum autem proficeremus (quod equidem in insignioribus Dei beneficiis habeo), nisi ut fructus inde aliquis ad alios quoque perveniret? Sed quid in nova recensione in argumentorum delectu, in rebus tractandis, in historia exponenda, in librorum utilium apparatu laudando immutatum auctumque sit; quid e superioribus editionibus suppressum, quid conservatum, etiamsi minus arriserit quibusdam viris, qui de nostris iudicarunt; quid perpurgatum novaque luce collustratum sit, non possum copiosius hoc loco commemorare; nec enim pauca-

rum plagularum ſpatiis capitur, nec etiam utile videtur, talia praefari et de his rebus praemonere lectores, quos ſperamus ita de nobls eſſe ſenſuros, ut nos neque nimis proclives ad mutandum, nec opinionum, etiamſi novitatis ſpecie valde blandiantur, nimis tenaces eſſe intelligant. Ceterum ſi quid in illo opere a nobis ad veritatis pacisque et pietatis Chriſtianae ſtudia et commendationem potuit vel prioribus curis conferri, vel novis adiungi, nos quidem vehementer laetamur, eumque fructum, ut ampliſſimum et durabilem Deus eſſe iubeat, precamur et optamus.

Scripſi Ienae d. 2. Sept. 1783.

PROLEGOMENA.

CAPVT PRIMVM.

DE RELIGIONE.

§. 1.

Quid sit religio?

Religio seu modus colendi Deum, qui sit notitiae maiestatis, voluntatis ac beneficiorum eius consentaneus, *duo* requirit: *primum* notitias de Dei natura atque animo erga homines: *dein* studium id cogitandi atque agendi, quod est conforme huic cognitioni. Vnde totidem religionis omnis partes constituuntur, altera, quae intellectum meditatione et cognitione; altera, quae agendo sensum et voluntatem adficit.

Obs. 1. *Religionis* vox primum videtur magnum diligentiae gradum notasse, cum apud GELLIVM 4, 9. religens cognatum sit τῳ diligens, sicut disputo et reputo aliaque similia. Apud TERENT. *Andr.* 5, 4. 37. est diligentia in quaerendo, cautio, non temere credendi. Vsitatius significat diligentiam et cautionem in cultu Dei officiisque faciendis versantem. Sic CICERO *de nat. Deorum L.* 2. 27. *Qui omnia, quae ad cultum Dei pertinerent, retractarent* (et *tanquam relegerent, ii dicti sunt religiosi a religendo tanquam ex eligendo elegantes et ex deligendo deligentes et ex intelligendo intelligentes. His enim verbis omnibus inest vis legendi eadem, quae in religioso.* LACTANTIVS tamen *inst. div. L.* 8. religionem inde nomen accepisse disputat, quia vinculo pietatis obstricti generanti nos

Deo et *religati* sumus. Sic et AVGVSTINVS *de vera rel.* c. 41. Plura dabit BVRMANN *ad Terent. Andr.* Act. 4, Sc. 3, v. 15. p. 75. Versio vulgata, cuius usum in vocibus dogmaticis prae reliquis exquirere atque perpendere decet, usurpat vocem *Act.* 26. 5. *Iac.* 1, 27. ubi in graeco est θρησκεια. In V. T. occurrit v. g. *Exod.* 12, 26. *quae est ista religio?* hebr. הָעֲבוֹדָה. Interdum דֶּרֶךְ vel ὁδος. *Amos* 8, 14.

Obs. 2. Dedimus definitionem religionis *subiective* spectatae et generatim, unde phrases: *carere religione*, *esse religiosum* (sensu christiano, non monastico) et aliae facile illustrantur. Restrictiori sensu externa instituta, quae animi erga Deum pietatem demonstrant vel vere vel ex opinione et superstitione hominum, magno rei christianae detrimento, religionis nomine veniunt. Plerumque tamen notitiae, quas quisque sibi efformat de Deo eiusque colendi ratione, ex usu vulgari religio (*obiective*) dicuntur, quae si pluribus communes et autoritatem consecutae sunt, *publicae* religionis nomen consequuntur. Ita certe Romani religiosos nominabant eos, qui publicos et antiquos Deos colerent: qui novos sibi Deos vel ritus adsumerent, hos superstitiosos vocabant. Sic LACTANTIVS l. c. Hinc dictiones fluunt: *religionem mutare, profiteri, abnegare*; dein *religio Pontificia*, *Sinica*, *Muhamedana* et al.

Obs. 3. Partem eam, quae de Deo eiusque natura et beneficiis tractat ac docet, *theoreticam* (γνωσιν σωτηριας *Luc.* 1, 77.); eam autem, quae animo et actionibus circa Deum occupatur, *practicam* (φρονησιν δικαιων *Luc.* 1, 17.) scholae dicere consueverunt.

G. Fr. *MEIER Betrachtungen über die vvirkliche Religion des menschlichen Geschlechts.* Hal. 1773. 8. *et IERVSALEM Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion.* T. I. *achte Betr. p. m.* 330 — 391. I. FR. COTTA *diss. de religione in genere et spec. naturali. Tub.* 1761.

§. 2.

§. 2.

Diviſio religionis a) in veram et falſam.

Iam cum notitiae illae atque adfectiones rebus ipſis, circa quas verſantur, vel conſentaneae ſint vel minus, efficitur religionem hominis vel *veram* reperiri vel *falſam*. *Vera* quidem recte ſentit de Dei beneficiis et voluntate, vel in omnibus, vel in plerisque et gravioris momenti capitibus: quod ſi ſecus evenerit, *falſam* appellamus.

Obſ. 1. *Superſtitionem* in factis praecipue quaerimus, quae error circa religionem peperit. De origine vocis CICERO legendus l. c. et LACTANTIVS l. c. vide et GRONOV. *diatr. in Statium c.* 59.

Obſ. 2. Quum hominum imbecillitas aegre caveat errores, merito dubitare licet, num ulla religio inter eas, quae hodie vigent, *omnino* vera exiſtat. Neque contra tam depravata et turbida reperitur ulla, quin veritatem errori per varios quidem gradus permixtam foveat.

Obſ. 3. Religio *vera* interdum κατ᾽ ἐξοχὴν hoc nomine inſignitur.

§. 3.

b) in naturalem et revelatam.

Omnis religionis *veritas* aeſtimatur e *fonte*, unde notitiae, quas diximus, hauriuntur. *) Quodſi naturali quidem ingenii humani vi contingunt hominibus, *naturalem*: ſi aliunde deferuntur a Deo ad homines, *revelatam* religionem, qua talem, conſtituunt. Vtraque *genuina* eſt (ſincera, *aecht*) quando omnia capita conſpirant cum principiis ſuis: *depravata*, ſi vel obſcurantur notitiae illae, vel minus probabilibus permiſcentur. Vtriusque *veritas*, *dignitas*, ac *cum ſalute hominum coniunctio* iuſte laudatur.

* *principium cognoſcendi.*

Obſ. I. Nititur haec diſtinctio Pauli teſtimonio *Rom.* 2, 12. ſq. ubi ἀνομους (φυσει τα του νομου ποιουντας v. 14.) et νομον (revelationem divinam) ἐχοντας disiungit. Αποκαλυψις certe e perpetuo uſu eſt ſcientia, quae non ingenii vi ſed diviniore modo hominibus contingere exiſtimatur *Eph.* 3, 3. *Rom.* 16, 25. v. KOPPIVM ad *Eph.* 1, 17. Ac tentavit quidem GRVNERVS *theol. dogm. inſtit. Proleg.* c. 1, §. 12. p. 9. hanc, quam profitemur, diſtinctionem concutere, omnesque religionis notitias a revelatione divina deducere. Ac primum profecto in cognitionis humanae infantia ipſum numen debuit ſenſus religionis excitare ac inſtituere mortales, qui cum ſenſibus rerum externarum obruuntur, tardius, nedum fruſtra enituntur ad rerum a ſenſibus remotarum cognitionem, de numinis inviſibilis maieſtate, nec potuit eos ingenio ſuo relinquere, in quo, niſi longo temporis intervallo rationem excoluerint, monſtra deorum nata fuiſſent. Neque negari poterit, ſyſtema religionis naturalis, quod multi cupiunt ſolo rationis uſu recto inveniſſe, ex ſpoliis revelationis divinae conſtructum fuiſſe atque exornatum. Sed haec minime valent ad deſtruendam vulgarem religionis, quam ſumimus, diviſionem, dummodo teneas 1.) negari omnino ἐμφυτον, inſitam et congenitam menti humanae notionem de Deo cultuque divino, quam cum reliquis ideis innatis proſcripſit LOCKIVS *de intell. hum. L.* 1, *c.* 2, *ſq.* 2.) minime ſemper aeſtimari notitias humanas e primo fonte, e quo promanarunt, ſed maxime a principiis, e quibus quoquo tempore innoteſcunt et comprobantur. Fateor, ſine monitore Deo impares omnino fuiſſe vires humanas efformandae piae ac genuinae notioni de Deo et tuendae: itaque primas notitias revelatas dicam: ſed poſtquam priorum revelationum autoritas variis caſibus obſolevit, ſemina autem cognitionis cultusque divini per eas in animos hominum proiecta rationis uſu excolerentur et rurſus efflореſcerent, cum homi-

homines admonitionem divinam iam e mentibus suis repeterent atque sensus antiquos revocarent ad demonstrationem per ratiocinia: haud omnino reiiciendi videntur, qui, quod ii suis iam viribus nutritis atque excultis cognoscunt atque demonstrant, id ad naturales notitias referunt. Multo autem minus probatur novissima auctoris anonymi hypothesis in l. *Versuch über den Ursprung der Sprachen etc.* Berl. 1781. 8. qui, semoto plane numine, origines omnis religionis a cultura ingenioque hominum repetit ac notitias in s. literis prolatas ab antiquissimo genere humano, nescio quo, ad Adamum, novae familiae conditorem, traditione fuisse deductas, post, mysteriorum more in scholis patriarcharum ac Iudaeorum conservatas, denique ex his quasi tenebris per varias temporum successiones emersisse defendit: in quo coniectoris novi ingenium agnosco, historiarum fidem valde desidero.

Obs. 2. Natura *dupliciter* viam pandit, Deum cognoscendi: vel *a priori* per principia rationis, e quibus conclusiones format methodo philosophica, eamque *scientiam theologiam naturalem* metaphysici doctores compellant, paucis sane et non nisi formatis per sapientiam ingeniis apertam: vel *a posteriori*, dum beneficia, quibus fruimur, ad summum autorem refert et ex universi huius contemplatione vim Numinis demonstrat colligitque, quid homines debeant autori suo. Hanc quidem methodum, (*historicam* dicere iuvat,) religionis notitias et sensus instillandi animo, quam maxime aptam scimus viribus humanis planamque et tutam, Paulus comprobat *Rom.* 1, 19. 20. et Psalmista *Ps.* 19, 1. sq. vide quoque *Act.* 14, 17. Quodsi quis hanc quoque religionem *revelatam* dicere maluerit, non repugnabimus, namque venit a manifesta Numinis vi, quam in operibus suis fecit conspicuam. Vsus tamen loquendi revelatam strictiori sensu vocat notitias, quae non ex operibus divinis colliguntur, sed primum a Deo ad homines veniunt. vide obs. 1.

Obs. 3. Cum de *veritate* et *dignitate* religionis naturalis disserunt, probe tenendum videtur, non de eo disputari, utrum tantum valeat ingenii humani vis, ut iustis rationibus quaedam de Deo disserere atque pie sentire possit, quanquam non adiuvetur admonitione quadam divina: hoc enim negare, aut elevare ea, quae rationis usu cognoscuntur, nec ut divina revereri, non minus iniurium est erga Deum, quam repugnans sacris literis, (vide obs. sequentem); sed id praecipue quaeri: anne unquam homines, solo rationis usu, tum edocti fuerint ideas summo numine dignas, tum incorruptam et sinceram rerum divinarum notitiam vere habuerint et conservarint? Atque alterum non ausim, historia lucem praeferente, statuere, quae initia religionis a revelatione divina suadet repetere (Obs. 1.): alterum unice efficitur e statu religionis inter gentes ἀνομους, quas tamen monumenta rerum in orbe gestarum fide dignissima demonstrant 1) generatim omnes, sapientiae quoque laude florentissimas, aut ignorasse penitus ea, quae ad doctrinam cultumque divinum pertinent, aut in his graviter errasse ac puriores maiorum notitias corrupisse. *Rom.* 1, 19. ubi vide GROTII *annot.* 2) dein europaeas, quae ceteras praestant cognitionis puritate, hausisse praecipue e revelatione divina, cuius notitias ratio arreptas cupide sapientiae humanae tradidit, ut demonstrationem e principiis naturalibus tentaret, in qua tamen adprobantis potius consensus cernitur, quam perspicacia inventoris. HVMIVS quidem, gravissimus testis, fatetur meliores de rebus divinis opiniones per septendecim demum secula constare inter homines. Accedit, quod si vel maxime accurata esset notitia de modo Numinis colendi, hominibus tamen, quia tanta est generis humani imbecillitas et consuetudine prava corruptio, nec voluntas seria et constans recte faciendi suppetat nec vis, ea, quae utcunque mentis iudicio probaverint, sequendi integre et perficiendi, cf. CICERO *qu. Tusc. l.* 2. *c.* 4. qui locus totus legi

legi meretur. Vnde veram quidem ſed minime abſolutam et explendis indigentiis hominum ac monſtrandae ſummae ad quam adſpiramus et nati ſumus, felicitati minime parem adeoque nec perfectam eſſe religionem naturalem efficitur. NOESSELT *Vertheid. der Chr. Rel. p.* 274. *ſeq.* SACK *vertheidigter Glaube der Chriſten P. I.* 4. *Betr.* ARCHIBALD CAMPHELL *the neceſſity of revelation. Lond.* 1739. 8. I. A. ERNESTI *Vindiciae arbitrii div. in religione conſtituenda Cap.* 1, 24. inſertae *opuſc. Theol. p.* 217. *ſq.* (BASEDOW) *Vorſchlag an die Selbſtdenker des* 19 *Iahrhunderts.* 1780. 8. IS. WATTS *the ſtrength and vveakneſs of human reaſon. Lond.* 737. 8. (*germ. Halle* 756.) Qui in myſteriis gentilibus traditam meliorem diſciplinam ſtatuit I. A. STARCK *in* libro *Hephaeſtion* (*Regiom.* 1775. 8.) ingenii laude commendabili, teſtimoniis fide dignis haud adſtruxiſſe videtur hypotheſin. Digna eſt, quae conferatur ARNOBII *diſputatio adv. gentes L. V. p.* 185. (ed. Lugd. Bat. 1651.) contra eos, qui univerſam mythologiam allegoricis ſenſibus et ſubditivis intelligi ſecretis, aſſerebant.

Obſ. 4. Pauca de *dignitate* religionis naturalis obſervabimus. 1) Quodſi naturae humanae rationis, qua excellit, beneficium a Deo autore conceſſum eſt, primum nihil iniquius vel crudelius in optimum creatorem ſtatui poterit, quam contumelioſum de hoc beneficio eiusque uſu iudicium. Paulus quidem magnifice ſentit de facultate iudicandi in rebus divinis *Rom.* 1, 19. hortaturque ut ea utamur (vide Obſ. 2.). Deinde cauſa iuſtitiae divinae vereor, ut defendatur contra cenſores, ſi ideo punit homines, quia neglecto rationis uſu ad ſuperſtitionem et *ἀπιςιαν* delapſi ſunt. Vnde ſperare licet, placere Deo, quisquis, dum caret meliore, inſtitutionem rationis integrae ſecutus reveretur numen factisque pie colit. *Act.* 10, 35. Denique cum religio chriſtiana multa doceat, quae notitiis naturalibus conſentanea iisque ſuffulta reperiuntur, abſurdum ſane videtur, ean-

dem veritatem modo humanam dicere et ſuſpectam, modo ut divinam et ſalutarem profiteri. Verum quia tanta eſt generis humani corruptio, tot ſenſuum fraudes, rationisque imbecillitas tanta: colligimus, tum multis naevis laborare religionem naturalem novaque, ut integritati et dignitati ſuae reſtituatur, ope indigere: tum meliorem eſſe religionem, quae adiuvet rationem ac impedimentis veri cultus divini tollendis ſufficiat. *Gal.* 3, 19. νομος (*religio Moſaica*) *lata eſt*, των παραβασεων χαριν, *propter Iudaeorum tempore Moſis ruditatem et nequitiam.* Egregie et acute hoc argumentum tractat STEINBART *Glückſeeligkeitslehre des Chriſtenthums.* Sect. 3. p. 46. (Züllich. Ed. 2. 1780.) I. S. SEMLER *diſſ. de infelicitate hominum praeſente, teſte contra Naturaliſmum. Hal.* 1772. IOHN LELAND *the advantage and neceſſity of the Chriſtian revelation shevvn from the ſtate of religion in the ancient heathen World Tomi* 2. 4. *Lond.* 1764. (germ. Goett. 1768.)

Obſ. 5. De *habitu* religionis naturalis *ad ſalutem* ut cognoſcatur, primum operae pretium videtur, partes ſalutis humanae rite definire. Nam ſi beatior poſt corporis mortem ſtatus, quem eminentiori ſenſu *ſalutem* vocant, ſupplementum et auctarium beatitudinis, qua iam fruuntur cultores Dei, vere dicitur: primaria ſane quaeſtio eo redit: an quis religioſus iuxta naturae inſtituta homo queat adſpirare ad illos ſenſus et adfectiones, in quibus felicitatis verae natura et origo ſita eſt? Atque, ut breviter moneamus, felicitas animi naſcitur a conſcientia recte factorum et ſcientia rerum bonarum, maxime divinarum, quarum in memoria et cogitatione magna vis ineſt componendi atque oblectandi animi ſenſusque melioris conditionis, vel praeſentis, vel etiam futurae, excitandi: de quo luculenter STEINBART l. c. Iam ſi quis pro animi viribus ſtudeat notitiis maieſtatis divinae, quas mundi contemplatio vitaeque noſtrae quotidiana beneficia menti ingenerant, alendis; dein ita ſeſe gerat, ut mo-

modo, quem maxime consentaneum iudicat huic scientiae, animi pietatem demonstret; quem non, tanquam pronus ex hac causa effectus, animi pura capiat voluptas ac melioris quondam vitae desiderium et suspicio, minime, ut spero, vana, quandoquidem non is, qui mel ora ignorat, sed qui ea adspernatur et negligit, neque qui non fruitur melioribus, sed, qui noluit bonorum opportunitate uti, dignus poena divina salutisque iactura habendus est. De singulorum hominum, qui religione revelata carebant, salute salutisque spe hoc loco non attinet dicere.

I. G. TOELLNER *Bevveis dass Gott die Menschen durch seine Offenbarung in der Natur zur Seeligkeit führe, C. I. p.* 87. *sq.* 1766. 8. EBERHARD *Apologie des Socrates P. I. Ed.* 2, *Berol.* 1776.

§. 4.
De Periodis religionis revelatae.

Semper fere, quoad mortales vixisse constat, partes quaedam religionis innotuerunt hominibus per *revelationem*, quae abstergeret naevos opinionum humanarum doceretque varia, scitu utilia, quae a mente humana plurimis, ut diximus, impedimentis constricta sponte aut maturius cognosci nequiverunt. Qua in re benignitatem divinam equidem admiror potius, quam, iniqua sane suspicione, de revelationis necessitate dubito. (vid. Ven. ERNESTI *Vindiciae arb. div. l. c. p.* 215—227.) Doctrinam autem meliorem quum Deus πολυμερως et πολυτροπως, ut Paulus loquitur *Ebr.* 1, 1. tradiderit: pro temporum diversitate religio *revelata*, cuius certa nos habemus indicia, recte, puto, dividitur in *Patriarchalem*, *Mosaicam* vel *Iudaicam* et *Christianam*. Prioris capita obscura sunt; mosaici vel Iudaici cultus forma divina quidem, *Luc.* 16, 31. sed valde imperfecta, *2 Cor.* 3, 5. *Col.* 2, 8. 20. cessit institutis Christia-

nis, multo praeſtantioribus. *2 Cor. 3, 5 - 11. Rom. 8, 2. ſqq.*

Obſ. 1. Ardua res eſt et multis rationibus implicita, definire characteres veritatis revelatae, ſ. eius, quae ſingulari numinis inſtitutione ad hominem privatim delata fuit. Nam ſi quidquid novum eſt ac inauditum in religione, id a Deo communicatum dixeris, periculum eſt, ne vim ingenii humani nimis anguſtis finibus contineas, quae novam veritatem quaerit atque impetu ſuo lata ſine dubio interdum attingit; ſi teſtimonio autoris cuiuscunque de commercio cum numine et veritate per eius operationem cognita credas; nonne vero metui debet, ne is aut fraude utatur aut ſenſuum et phantaſiae impoſturis deceptus ad Deum referat, quod de ſuo deſumſit? ſi denique ab aliorum, ad quod veritatem detulit, iudiciis pendeas: ea valde lubrica et incerta videntur; praeſertim in generis humani infantia ac barbarie, quae valde proclivis eſt ad opinionem de numinis praeſentia et operatione in rebus etiam naturalibus, ſed rarius obviis, inauditis, et iis quarum ſpectata utilitas, cauſa occulta fuit. Vnum igitur reſtat, revelatae veritatis documentum, ſi in illa temporum et ſcientiarum barbarie fieri non potuit, ut humanum ingenium, ſua virtute actum, eo progrederetur. Sed hoc iudicium quantam cautionem requirat, non attinet monere.

Obſ. 2. Capita religionis revelatae a) generatim in V. T. dicuntur α) ברית, graece διαθηκη, *foedus*, teſtamentum; vel potius *religionis ratio* et forma. *Gal.* 4, 24. δυο διαθηκαι memorantur. vide Ven. I. G. ROSENMÜLLER *diſſ. de vocabuli διαθηκη in libris N. T. vario uſu. Erlang.* 1778. β) תורה, νομος, *doctrina quaecunque divinior*, unde quoque νομος πιςεως religio Chriſtiana appellatur *Rom.* 3, 27.

b) in ſpecie *Moſaica* vel *Iudaica*, תורה νομος, cui opponitur ἐυαγγελιον, γϱαμμα, id eſt, *lex ſcripta* 2 *Cor.* 3, 6.

μωσης

μωσης a miniſtro primario 2. *Cor.* 3, 15. πτωχα ϛοιχεια *religio rudiorum et imperfectior: die dürftige Kinderreligion. Gal.* 4, 3. *et* 9. ubi vide KOPPII V. C. obſervata.

c) *Chriſtiana* denique *religio* ſcriptoribus ſacris dicitur διαθηκη καινη. *Matth.* 26, 28. 2. *Cor.* 3, 6. *Ebr.* 7, 22. ὁ λογος χϱιϛου vel θεου *Act.* 13, 5. *Col.* 3, 16. *Act.* 8, 21. *Phil.* 1, 14. το ευαγγελιον 1. *Pet.* 4, 17. *Rom.* 1, 9. 16. *Eph.* 1, 13. πνευμα, *doctrina Spiritu divino tradita, ſublimior et nobilior.* 2. *Cor.* 3, 6. ὁ χϱιϛος *Phil.* 1, 15. 1. *Cor.* 2, 2. πιϛις 2. *Tim.* 1, 13. *Act.* 6, 7. 13, 8. 14, 22, *Rom.* 1, 5. vel μυϛηϱιον πιϛεως 1. *Tim.* 3, 9. ἐλπις 1. *Pet.* 3, 15. χαϱις και ἀληθεια. *Ioh.* 1, 17. σοφια. *Eph.* 1, 17. et al. vide G. A. TELLER *Woerterb.* ſub voce *Evangelium.*

Subiective dicitur επιγνωσις της ἀληθειας hebr. דעת יהוה, quod merum ſynonymon eſt του יראת יהוה *Eſ.* 11, 2. 9. *Prov.* 2, 5. *Col.* 1, 10. ἐυσεβεια 1. *Tim.* 3, 16. 2, 4.

Doctores Chriſtiani primis temporibus *Philoſophiam* vocare adamarunt. V. I. AVG. DIETELMAJR *Epiſt. de religione Chriſtiana philoſophiae nomine a veteribus compellata. Altdorf.* 1740. et KORTHOLT *ad Iuſt. Mart. Apol.* 2. *p.* 42. (ed. *Hutchin*, *Oxon.* 1703.)

Obſ. 3. Patriarchalem dicimus vel *antediluvianam* vel *poſtdiluvianam.* Illa primis parentibus obtigit ac prima omnis cultus divini rudimenta iecit, *Gen.* 2, 2. 3. tenuis fere (§. 155.) attamen aucta ſine dubio, ſed, quae eſt hominum imbecillitas, corrupta. Reliquarum revelationum *patriarchis*, quos vocant, factarum argumentum, quod ſcimus, rarius cultus divini rationem, ſaepius fata ſua poſterorumque terreſtria ſpectabat v. c. Abrahami *Geneſ.* 12, 7. Quae autem circa religionem verſarentur, magis ad confirmandas notitias antiquas praecavendasque ſuperſtitioſas, quam ad novas gignendas erant compoſitae.

Gen.

Gen. 17, 1. De eius capitibus v. I. H. HEIDEGGER, *hist. sacra Patriarcharum. Tb.* 3.

Obs. 4. Mosaicam religionis formam, quae puriores notitias et conservare debuit et augere, diximus a) *divinam*, nam et ipse Iesus cum suis Mosi et Prophetis autoritatem divinam vindicant, *Luc.* 16, 31. et Moses miraculis eandem demonstravit et instituta, quae scribit, augustius sane, quam infantia generis humani peperit, ingenium spirant.

IERVSALEM *Briefe über die Mosaischen Schriften und Philosophie, Braunsv.* 1762. WARBVRTON *die göttliche Sendung Mosis. Aus dem Engl. T. V.* 1751. *sq.* G. F. SEILER *ad morum eorundemque doctrinae historiam animadversiones. Erlang.* 1771. 4.

b) *imperfectam*, vel per argumentum, ritibus externis praecipue occupatum, sensibus omnia subiiciens poenisque terrens: *Gal.* 4, 3. 2. *Cor.* 3, 5. vel per ambitum, qui non potuit non pro legum Mosaicarum ratione arctis circumscribi limitibus. *Col.* 2 8. 20. *Eph.* 2, 12. 15.

c) *temporariam*, 2. *Cor.* 3, 11. quae olim debuit immutari atque cedere doctrinae praestantiori, tum propter decreta sua, pubertati hominum tantum apta, *Gal.* 4, 24. tum propter ipsa doctorum gentis Iudaicae testimonia, Mosis ipsius *Deut.* 18, 18. et prophetarum, *Es.* 65, 17—66, ubi vide *versionem nostram. Ier.* 31, 31. Atque hunc locum praecipue Paulus explanat in epistola ad *Ebraeos* 8, 7. sq. et ad *Galatas* 4, 1. sq. Quo magis miror nuper etiam MENDELSOHNIVM (in l. *Ierusalem oder über religiöse Macht und Iudenthum. Berl.* 1783.) negare, Christiana disciplina Iudaicae derogari, quod profecto res ipsa et perspicuum consilium rel. Chr. refellit.

Obs. 5. Praestantiam religionis Christianae prae Mosaica demonstrat Paulus a) a dignitate autoris υἱοῦ θεȣ *Ebr.* 1. cum Mose ὑπηρέτῃ collati *Ebr.* 2. et 3. b) ab argumento doctrinae, 2. *Cor.* 3, 5—11. *Quodsi munus tradendi doctrinam, quae* *poe-*

poenas nuntiat, splendidum fuit, cuius rei documentum fuit splendidus per tempus breve vultus Mosis: quanto illustrius munus sit opportet, quod in incolumitate s. venia (δικ ιοσυνην oppos. τῃ διακρισει) *nuntianda occupatur et religionem perennem ac duraturam tradit? Gal.* 4, 2. 5. c) a duratione. 2. *Cor.* 3, 11. *Ebr.* 8, 7. v. HERM. VENEMA *diss. Sacr. LL. III. L. I. c.* 6. (HARLING. 4, 731.) Accedit, d) quod signis quoque maioribus confirmata sit disciplina Christiana. Concedamus quidem MENDELSOHNIO, novissimo Iudaismi defensori, abfuisse ab initiis religionis nostrae terribilem pompam, qua Sinaiticae legislationis autoritas commendabatur populo rudiori: quum longe diversa ratio novae religionis diversam eius commendandae methodum, persuasiones potius quam minarum terrores, requireret, neque praeparatis Iudaeorum animis ad divinam Christianae disciplinae originem intelligendam admodum opus esset, solemniori significatione novum demonstrare doctorem; neque tamen auspiciis minus manifestis res Christiana inclaruit. *Act.* 2, 1. sq. cf. et *Matth.* 3. ult. et 17.

cf. I. A. NOESSELT *prolusio, qua demonstratur, Deum auctoritatem divinam religionis Christianae confirmasse signis maioribus legislatione Sinaitica. Hal.* 1773. I. I. FRORIEP *Diss. miracula Christi praestantiora miraculis Mosis. Erfurt* 1777.

Obs. 5. Revelationum divinarum historia docet a) omnes plane ad indolem eorum, ad quos deferebantur, fuisse accommodatas, sive argumentum et capita spectes, quae pauciora fuerunt in infantia generis humani, auctiora et uberius exposita per temporum decursum; quanquam systema antiquae religionis per diversas periodos definire vetet monumentorum penuria: sive ambitum et personas, quibus usus earum concessus fuit: b) pro temporum opportunitate semper subvenisse Deum hominum necessitatibus: c) omnium unum quasi systema, sed varie efformatum fuisse. *Gal.* 3, 20. *non alius est Deus, qui misit*

misit Mosen et alius, qui μεσιτας *ceteros, velut Abrahamum, alios, inprimis Iesum.*

☞ GOTTL. WERNSDORF *diss. de div. revelationibus earundemque varietate*, inserta Collect. *Diss. eius T. I. Diss.* 20. *Witteb.* E. H. D. STOSCH *introd. in theol. dogm. Frf. ad Viadr.* 1778. C. X. sq. HESS *vom Reiche Gottes. Turici* 1775. 8. et qui plurima eleganter ac erudite delineavit KLEVKER *Belehrungen über Toleranz, Vernunft, Offenbarung etc. Frf. ad Moen.* 1778. I. G. ROSENMÜLLER *von den vveisen Absichten Gottes bey den verschiedenen Haushaltungen in seiner Kirche. Hildburgh.* 1767. 8. LAW *Betracht. über die Geschichte der Religion, aus dem Engl.* 1771. Multa quoque in hoc argumentum composite dicta tradit libellus: *Die Erziehung des Menschengeschlechts.* ed. LESSING. Berlin. 1780.

CAPVT SECVNDVM.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

§. 5.

Summa huius Capitis.

Christianae doctrinae, quam profitemur, veritas autoritasque divina, ad *tria* fere momenta redit: *primum* vixisse aliquem Iesum, qui novam disciplinam hominibus proposuit: *dein* eundem legati divini vel doctoris, autoritate Dei instructi, munus obiisse: *denique* primos religionis huius doctores a doctrina Iesu Christi haud descivisse.

§. 6.

Primum momentum: vere vixisse Iesum.

De vita Iesu Christi dubitare, insanientis esset et hominis fidem historicam omnem omnino

nino confringentis: quum praeter testimonia et narrationes discipulorum, ne ex adversariis quidem gravissimis doctrinae Christianae ullus omnem de eo historiam fabulis et fictis temere narrationibus accensere sustinuerit.

§. 7.

Alterum momentum: divina autoritas Iesu Christi probatur tribus argumentis.

Is quidem *primum* legati divini, id est doctoris, divino nomine doctrinam salutarem inter homines tradentis, dignitatem, homo pius, sincerus, Dei reverens plurimis locis ipse sibi tribuit: *Matth.* 26, 63. *Ioh.* 5, 43. 8, 26. 28. 10, 38. coll. 14, 10. 16, 27. 28. *dein*, si quidem fide digna habentur Evangelistarum testimonia, solemni significatione promulgatus est generis humani doctor *Matth.* 3, 17. 17, 5. *Ioh.* 12, 28. 2 *Pet.* 1, 17. vide et *Ioh.* 5, 37. et 1 *Ioh.* 5, 6-10. *Tertio*, ea doctrinae sacrae decreta primus proposuit, quae si argumentum spectes et saluberrima mortalibus atque ad felicitatem veram restituendam aptissima reperiuntur et ab aliis, sapientiae laude florentissimis, reliquarum gentium doctoribus, nulla arte nulloque ingenii iudicio excogitata fuerunt, si effectus, tales produxerunt, quales nec in hominibus singulis nec in universitate orbis terrarum ulla vi humana productos fuisse intelligimus. (*argumentum internum s. testimonium Spiritus sancti.*)

Obs. 1. Saepe monet, ἐγω ἐν πατρι, πατηρ ἐν ἐμοι; *equidem nuntio, quae mihi demandata sunt, neque ago sine iussu patris.* vide *Ioh.* 10, 38. coll. 14, 10. 11. 7, 16. 28. 8, 28.

Obs. 2. Nolim sperni testimonium Iesu de causa sua; nam et ab eo venit, qui fidem meretur; et omitti non debuit; fas

enim

enim erat homines proprio Iesu testimonio edoceri de consilio et munere tanti viri; et non merum est dictum asseverantis temere, sed demonstrantis autoritatem suam. Sed vide, quomodo Iesus et quibus argumentis sibi publice dignitatem legati divini vindicet, inprimis *Ioh.* 7. et 8. Laudat igitur mentem veri consciam, C. 8, 14. doctrinae suae veritatem, quae nullo modo erroris possit argui Cap. 8, 46. publicum numinis testimonium *Ioh.* 5, 37. effectus doctrinae suae salutares Cap. 7, 17. consilium vitae suae Cap. 7, 18. mortem ipsam, quam subiturus erat Cap. 8, 28. et rel.

Obs. 3. Obscurius *Iohannis* dictum 1 *Ep.* 5, 4-10. tuetur sine dubio veritatem de autoritate I. C. *Hic* Iesus fuit ελθων i. q. ερχομενος, legatus divinus, *Ioh.* 6, 14. *non modo in aqua* s. baptismo, *verum etiam in sanguine*, sub mortem *et* πνευμα *doctores* in id consentiunt. *Sunt autem, ut scitis, doctores veritatis amantes. Itaque trium testimonia in idem argumentum conspirant; baptismus susceptus; mors, quam obiit, et doctorum Christianorum testimonia.* coll. 1 *Pet.* 1, 17. cf. STROTH de h. l. in *Repertorium für bibl. und Morgenl. Literatur. Tom. XII.* 1783.

Obs. 4. Tertium argumentum *internum* dicitur a quibusdam, quia ex indole religionis ipsius, a Iesu propositae, repetitur. Neque id in usu inprimis vulgari negligendum existimo. Nihil enim magis decus conciliat et favorem doctrinae, quam si teneas, *tum* quidquid vel plane ignorat, vel suspicione atque opinionibus tantum adsequitur ingenium humanum, id aperte atque prout dignum est maiestate divina per eam doceri, velut de invisibili numinis natura, de origine mali, de praemiis virtutum et spe indubia felicitatis nostrae auctarii; *tum* mores et animum humanum legibus Christianis ita formari, ut nulla apertior ad felicitatem generis humani via, nullum tollendae omnis miseriae remedium efficacius his institutis excogitari potuerit.

Iam

Iam si artes et instituta, quorum habitus ad salutem humanam ancipitis sane quaestionis est, non veremur divina compellare atque in iis agnoscere beneficium Dei, velut in Musica, Poesi, Typographia et aliis; quis audeat augustum cognomen abstergere ab ea doctrina, quae primum docuit hominem, quantum excellat, quibus iuribus utatur, quomodo adspirare possit ad vitam meliorem, quanam denique ratione plurima communis omnium salutis impedimenta removeantur? Quae omnia si ab humano ingenio inventa sunt, unde quaeso accidit, ut sophorum, quos Graecia prae reliquis peperit praestantissimos ac publicae salutis studiosissimos, nullus patriam religionem sic purgaret a naevis morumque doctrinam ita componeret?

Hoc praecipue argumento utuntur Apologetae, TERTVLLIANVS, ARNOBIVS, ATHENAGORAS *legat. pro Christianis*, IVSTINVS *Martyr Apol.* I. CLEMENS ALEX. *in Protrept.* Vide LESS *Wahrheit der Christlichen Religion* §. 16. *et* 47. (SOAME IENNYS) *A vievv of the internal evidence of the Chr. religion.* Lond. 1776. 12. (germ. Goett. 1776.) BALTH. MÜNTER *Unterhaltungen eines nachdenkenden Christen. Hamb.* 1775. 76. T. 2. 8. TYGE ROTHE *die Würkungen des Christenthums auf den Zustand der Völker in Europa, aus dem Dänischen. Hafn.* 1775. *sq. Tomi.* 3. 8.

Obs. 5. Ab hoc argumento, si quid iudico, non differt solemne illud, quod *testimonium spiritus sancti internum* vocant, et ducitur a sensibus, per doctrinam Christianam eiusque argumentum, attento animo expensum, ingeneratis in mente et nutritis. Vniversa autem eius ratio, ut fugiamus fallacias φαντασιας et obscurarum, quae menti obversantur, idearum, vitemusque affectiones sensuum coecas et turbidas, accuratius definiri debet. Eo autem redit, ut primum de sensibus, e veritate christiana ortis, cognoscamus, dein ostendamus, quomodo ii sensus demonstrent divinum argumentum doctrinae Christi. Atque ii sensus, quibus adficitur animus, non sunt sensus ipsius ori-

ginis divinae, sed effectuum veritatis, cum animus fertur ad tranquillitatem moveturque studiis novis viriumque ad recte agendum conscientia. Sed motus, tam salubres et vehementes, imbecillitati et studiis, quae olim senserat, plane adversi, pendent a cognitione pia disciplinae Christianae, dum nec sine illa oriuntur, nec ea rite expensa desiderantur. Itaque nullus dubitationi locus, quin huic veritati virtus insita sit, recreandi et confirmandi mentem humanam, quae, per se dum sperat bona, fluctuat et, dum enititur ad virtutem, infirmitatis sensu deprimitur. Sed si effectus tam divini et supernaturales, (quosnam enim motus diviniores vocemus, quam sensa animi tranquilli et virtutis studiosi ?) producuntur per doctrinam christianam: quis, eam divina virtute instrui, negaverit? 2 *Cor.* 3, 1-4. *Vos litterarum commendatitiarum loco habeo*, quae fidem faciunt mihi et res gestas meas ornant: *non exaratae quidem atramento, sed cordi vestro inscriptae*, i. e. animi vestri *status* illustrissimo testimonio probat, me vere divinam proposuisse doctrinam. (*Ioh.* 7, 16. 17. quocum cf. c. 8, 47. 1 *Cor.* 2, 4. 12. *Rom.* 8, 16. 1 *Thess.* 2, 13.)

Vide LESS *Wahrheit der Chr. Rel. Anhang.* IVNCKHEIM *von den Gnadenvvürkungen.* p. 104. sq.

§. 8.

Continuatur. Quartum argumentum a miraculis sumtum.

Gravius tamen argumentum divinae autoritatis offerunt opera Iesu (τα ἐργα) plane singularia (ἁ ὀυδεις εποιησεν ἀλλος) *miracula et vaticinia.* Miracula quidem semper laudant et Iesus ipse et Apostoli, cum augustiorem provinciam a Numine demandatam Christo fuisse publice et populariter demonstrare nituntur. *Ioh.* 5, 36. 10, 25. 37. 15, 24. *Act.* 2, 22. *Ebr.* 2, 4. Vnde hoc argumentum

tum efficacissimum prae reliquis videtur dignumque, cuius virtus prolixius exponatur.

§. 9.

Definitio miraculi.

Omnis effectus, facultate agentis naturali maior, *miraculum* dicitur.

Obs. 1. Latinis miraculum est, quidquid dignum est admiratione vel propter causam latentem, vel propter insolentiam, unde ad portenta vel prodigia nomen transfertur. Scholae autem utuntur voce eo, quem finivimus, significatu. Hebraeis dicuntur מוֹפֵת *Deut.* 6, 22. *Ps.* 78, 43. *prodigium*, propter similitudinem miraculi cum portento, אוֹת *signum*, quia significatio inest praesentis ac adiuvantis numinis *Exod.* 4, 9. 17. אצבע אלהים vel יד: *digitus Dei*, *manus* vel vis divina, ob autorem, qui virtute sua operatur. *Exod.* 8, 19. פלא. *Ps.* 78, 11. 12. Priorem vocem graeci transferunt τεϱας, alteram σημειον *Ioh.* 12, 37. et τεκμηϱιον *Act.* 2, 22. tertiam δυναμις *Marc.* 6, 2. *Ebr.* 2, 4. quartam θαυμασια. Alias εϱγα dicuntur *Matth.* 11, 2. *Ioh.* 5, 36. Vis miracula patrandi dicitur πνευμα.

Obs. 2. Definitionis nostrae veritas nititur inductione. Alii aliter efformant notionem. Minus accurate quidam dicunt contra naturam fieri, nisi velint cum *Augustino contra Faust. L.* 25, *ab init.* fieri contra id, quod novimus in natura, vel contra cursum naturae. Melius alii, quae supra naturam, vel praeter vires naturae eveniunt, miracula vocant.

Obs. 3. *Tres* miraculi veri *characteres* rite tenentur: *primus*, ut vere aliquid insolitum evenerit: *alter*, ut eum, qui hunc eventum produxit, non potuisse aut suis aut rerum aliarum viribus, ad talem effectum necessariis, uti, manifesto constet: *ultimus*, ut gravi consilio fiat. Itaque *primum* esto *iudicium* de facti veritate: *alterum*, de vi, quae causatur effectum:

tertium, de agentis naturali virtute eiusque ad effectum indubitato productum habitu: *quartum* de consilio miraculi.

Obs. 4. Inde consequitur pro agentium vi diversa eventum eundem in altero esse miraculosum, in altero naturalem: adeoque *tria* posse constitui miraculorum *genera*. Ad *primam* classem referuntur effectus, quibus producendis nullae ullius creaturae vires suppetunt: ad *alteram* ii, qui superiores sunt viribus humanae naturae, de quo facilius et minime fallax ferri poterit iudicium: ad *tertiam* denique et infimam pertinerent facta, quae humanae quidem naturae vires per se non excedunt, at superant facultatem, quam agenti et autori actionis inesse scimus. Ex hoc genere videntur miracula Mosis priora fuisse coram Pharaone, quae producere arcana arte sacerdotes Aegyptii didicerant, Moses, iis sacris non initiatus, acceperat divina virtute.

§. 10.

De veritate miraculi physica.

a) in genere.

Atque primum, ut rite iudicetur de rei gestae *natura mirabili*, non opus est, ut omnes universi huius vires pernoscamus atque dimetiamur, (quis enim tenuis et imbecillus ingenio mortalis, his cognitionis nostrae limitibus circumseptus, hoc sibi arrogare ausit?): quanquam probabili ratione quasdam actiones, v. c. mortuorum in vitam restitutionem, nulli omnino creaturae vindicari posse efficiatur: satis est, si persuadeamur, fieri non potuisse humana arte humanisque, quoad constant, viribus et per ratas naturae nostrae leges, ut producerentur ab agente.

Obs. 1. Eam dicimus veritatem *physicam* vel *philosophicam* miraculi.

Obs. 2. Ex hoc genere sunt morborum curationes, omissis remediis, subitaneae et durabiles, ambulatio per maris superficiem,

ciem, prandium tenui apparatu pluribus millibus hominum ita institutum, ut plurimum cibi restaret, quae, quin vires humanas excedant, nemo tam stupidus est, qui dubitet. Ceterum in his eventibus parum interest, utrum vi immediata divina efficiantur, an providentia divina caussae eventuum sic regantur atque coordinentur, ut quasi per naturalem ordinem consequatur effectus fortuitus, insolitus, sed praedictus. Posterius tamen genus miracula praescientiae rectius dixeris, vaticiniorum in numerum referenda; monente Ill. MICHAELIS *Vers. bibl. ad Exod.* 14. BONNETI autem (*Palingenesie* Tome 2.) hypothesis, fieri posse, ut miracula quoque ex interna universi structura et ordine fluant, sine novo numinis interventu, per se quidem non est absurda, nec religionis odio, a quo scimus BONNETVM abhorruisse, inventa: semper enim ad Deum reditur, sive concreaverit agentibus vires singulares, quae occasione data insolitos eventus producunt, sive naturales et ingenitas opportune auxerit: at si, quod ille fieri potuisse statuit, sumamus, vere ita factum, cur quaeso natura a legibus suis hodie non aberrat et quasi turbatis suppressisque viribus vel diminutis ratum ordinem sequitur? Nec tamen ille omnia ex naturae legibus praefixis evenisse unquam arbitratus est.

Obs. 3. Distinguuntur hoc charactere miracula a prodigiis, eventibus insolitis et a naturali ordine aberrantibus, quorum causa latet v. c. eclipsis solis sub mortem I. C.: dein ab effectu mirabili, quem ars humana, utens occultioribus corporum viribus, v. c. magnetismo, electro, machinisque artificiosis, operatur, in quibus plebs, naturalium virium nescia et effectuum potius spectaculo quam causarum indagatione ducta, virtutem divinam, pro ingenio suo, laudat; denique a praestigiis, quea oculos fallunt sensusque atque risus provocant spectatorum. Quae omnia quum cognatione quadam iungantur (sunt enim insolita et paucis pervia) atque inter se ab imperitis haud facile sem-

per discernantur, ut habeamus ansam tenendi miraculi veri firmam, iure novus character additur, methodus, qua peraguntur; quae si pompa offuscet sensus, oculos splendido apparatu fascinet, aures πολυλογια abstrahat et clamoribus, iudicium autem mentis praeripiat; suscipionem sane movet fraudis et praestigiarum: si constans et eodem modo saepius repetita ac uniformis; artem humanam arguit, naturae viribus usam: si simplex reperitur et tenuis ac seria, agitque publice, semoto machinarum usu, nec praeparata ad spectaculum hominum exspectatione; divinam virtutem demonstrat.

Obs. 4. Sunt, qui probare annituntur possibilitatem miraculorum, tum absolutam, quae repetitur ab omnipotentia divina, cui leges naturae parent: tum hypotheticam, quae est in demonstratione, ea sapientiae ac benignitatis divinae legibus haud adversari. Sed abstinendum hoc loco videtur ab hac digressione. Quodsi enim in genere valde anceps est disputatio de rebus iis, quae evenire possunt, et praecipue in hac cognitionis nostrae infantia saepe sese fefellerunt ii, qui audacius eventus, contra spem accidentes, vel quorum rationem et causas ignorant, accidere posse negarent, tutius demonstratur, ea vere evenisse, quo facto nemo ambigat, quin fieri potuerint. Dein, quam sapienter et benigne miracula, quae Iesus edidit, patrata sint, vel ex ipsius effectibus beneficis atque circa levandam hominum miseriam unice occupatis, vel ex consilio gravi, dum iis voluit commendare salutarem doctrinam et confirmare in animis spectatorum, intelligitur. Deo sane digna sunt, quaecunque faciunt ad hominum felicitatem stabiliendam. v. interim IERVSALEM *Betracht.* 2. Th. 2. B. p. 404. sqq.

§. 11.

b) In specie miraculorum Christi.

Quodsi igitur Iesus plures variosque et desperatos morbos iussu vel tactu suo, nullis adhibitis

hibitis remediis, abegit *Matth.* 14, 35. sq. et rerum naturalium vires certas mutavit, veluti aquis virtute vini donata et tantillis panibus vi quater mille homines nutriendi insita, *Ioh.* 2, 1. sq. 6, 1 - 17. *Matth.* 14, 14 - 22. 15, 32 - 38. aëris quoque et tempestatum rectorem sese monstravit *Luc.* 8, 32. denique mortuos in vitam revocavit *Luc.* 7, 11 - 17. *Marc.* 3, 35 - 43. *Ioh.* 11. eundem vera et digna hoc cognomine miracula edidisse, intelligimus. (§. 10.)

Obs. Praestantia miraculorum Christi intelligitur varietate multiplici et effectu semper benefico.

§. 12.

De veritate miraculorum Christi historica a) e testimoniis domesticis.

Vere autem haec evenisse, (*veritas historica*) testimoniis efficitur, tum *domesticis*, tum *exteris*. Domestica a traditione discipulorum Iesu Christi petimus, qui primum ea a Iesu gesta fuisse luculenter tradunt, dein, sive facultatem rei cognoscendae idoneam quaeras, sive voluntatem studiumque vera tradendi exigas, testium fide dignissimorum laudem merentur.

Obs. 1. Narrationes Evangelistarum allegorico sensu, non historico, accipiendas esse, WOOLSTONIUS, infenso satis animo, asserere non dubitavit, contra sensum communem, qui stylo historico subiici allegorias repugnat. (*Veritas hermeneutica.*) WOOLSTON *discourses on the miracles of our Saviour*, *Lond.* 1727 - 29. VI. Part. cui sese opposuerunt maxime *Rich.* SMALLBROCK *A vindication of the miracles of our blessed Saviour. Lond.* 1731. 8. ATKINSON *A windication of the literal sense of three miracles of Christ. Lond.* 1729. *Prid.* SUTTON *Christ miracles no allegories* 1730. E nostris e. g. IOECHER *examen*

men paralogismorum WOOLSTONI. *Lips.* 1734. *et Christ.* MVNDEN. *Diss. de mirac. Christi. eod. anno Helmstad.* LESS. *l. c.* §. 23. FRID. NEVMANN *Vntersuchung des Wunderbevveises als des lezten und entscheidenden für die Wahrheit der Christl. Religion. Butzovv.* 1779. 8.

Obs. 2. Omnis fides historica recte aestimatur duplici charactere. Primum si testem constet rem, uti erat, planissime tenuisse; dein eundem, uti sciebat, ita dixisse. (vide praeter alios Ven. ERNESTI *prolus. de fide historica recte aestimanda*, inserta *opusc. philos. p.* 64. *sq.*) Evangelistarum itaque I. facultas rei, quam tradunt, accurate cognoscendae cernitur a) ex aetate. Vixere enim eo tempore eoque loco, quo Iesus inclaruit: et vel praesentes viderunt effectus 1 *Ioh.* 1, 1. *Act.* 4, 20. vel a spectatoribus, testes oculatos vocant, hauserunt traditiones suas *Luc.* 1, 1-4. b) e narratione tum diligenti et per partes singulas diducta, tum publica (Act. 2, 22. ὡς οἴδατε et forensi, cuius veritatem ne iudicia quidem in dubium vocarent. c) e consensu historiarum omnium cum indole populi, temporumque, locorum, morum, legum et institutorum ratione, quin et earum, quas per occasionem attingunt, cum narrationibus testium fide dignissimorum. LARDNER *the Credibility of the Gospel History: or the facts occasionally mention'd in the N. T. confirm'd by Passages of ancient Authors, vvho vvere contemporary vvith our Saviour or his Apostles. Lond.* 1727. Voll. 2. 8. cuius summam exhibet Ven. LESS *Wahrh. der Chr. Rel.* §. 14. n. 3. *p. m.* 143. *sq.* d) e constanti charactere hominum, quorum actiones enarrant, quae semper ita conspirant cum ingenio agentium vel loquentium, ut aut callidissimos confictores personarum fuisse statuas oportet homines literarum rudes, aut eos vivorum imaginem depinxisse agnoscas. Atque ex hoc quoque capite utilissimus lectu erit liber NIEMEYERI v. c. *Charakteristik der Bibel. Hal.* 1778. Ed. 3. e) e constantia, qua fidem narrationum suarum

rum tuebantur. Protervi sane hominis et mente capti esset, defendere cum dolore suo et interitu narrationem vel confictam vel temere creditam. At quomodo in Evangelistas saluberrimae sapientiae confessores aut cadat proterviae vel insaniae huius suspicio: aut animi levitatis insimularentur ii, qui βαρυκαρδιοι erant et diffidentiores fere quam creduli? *Marc.* 16, 14. f) e consensu tot hominum, qui in ea regione et urbe, in qua scena rerum gestarum I. C. figebatur, paulo post eandem doctrinam cupide atque sine dubitatione amplexi sunt. Frustra sane conciliabit mendaciis suis fidem, qui in patria quasi rerum publice gestarum sede cives suos fallere conabitur.

II.) Voluntas autem vera tradendi studiumque devitandi errores intelligitur primum a) a vitae morumque castitate et religione, quae vetat fraudes serere et temeraria suspicione fraudis gravi iniuria afficitur, tum praecipue, cum b) nulla causa enarrandi falsa reperiatur. Videmus enim eos vanitate, cupiditate, adulatione liberos, veritatis contra studio exosos, neque opum vel honorum et otii, bonorum a se et expectatione sua alienissimorum, lucello, quo saepius fides corrumpitur, allectos fuisse. c) Accedit oratio simplex, aequabilis, modesta, styli fere cultioris negligentior atque ita composita, ut appareat, scriptorum curam consiliumque non id fuisse, ut probarent et commendarent rerum gestarum veritatem, lectoribus suis aliunde satis perspectam, sed ut memoriam earum conservarent. Cum iam eos scriptores, qui in descriptionibus personarum, proeliorum, urbium, in quibus flores orationis consumi inprimis possunt, copiosiores ornatioresque sunt, merito suspectos habeamus iudicemusque eos maiorem ingenii laudis consequendae et voluptatis potius legentium quam veritatis curam habuisse: quomodo non probes scriptores, qui viscum capiendi lectores allinere historiis suis noluerunt, dumque facta doctoris sui laudant, verborum encomiis penitus abstinent et in genere sic loquuntur, u

ne veſtigium quidem adfectus vehementioris vel enthuſiaſmi appareat? d) Neque conſenſus ſcriptorum negligi debet, per varias regiones diſſitorum atque ita narrantium, ut, cum ſaepe ſecum pugnare videantur, tamen in his traditionibus conſpirent.

Obſ. 3. Haud diffiteor, resque ipſa docet, gravioribus tum niti debere fidem hiſtoricam firmamentis, cum quis res inſolitas, ſingulares et miraculoſas refert, quae fidem ſuperant. At mihi quidem latentior cauſarum, quibus effectus productus fuit, ratio, unde ſaepe miraculi forma pendet, omnino ſuadere videtur circumſpectam cautionem, ne temere credamus: ſed qui praeter teſtis facultatem voluntatemque vera dicendi certam exploratamque nova argumenta poſtulare vellet, is ſane omnem hiſtoriam, quae eventibus inopinis et inſolitis, ſaepe unius tantum autoris teſtimonio ſubnixis, maxime ornatur, penitus everteret. Itaque cum miracula Chriſti nitantur teſtimonio non unius viri vel duorum, ſed plurium, (obſ. 2, I.) conſtante, conſentiente, publico, coaevo: aut omnis certitudo hiſtorica vacillat, aut ea negare, inſolens erit et iniurium.

Obſ. 4. Vtitur his iam argumentis ARNOBIVS *adv. gentes. L. I. p.* 32. *Non creditis geſta haec. Sed qui ea conſpicati ſunt fieri et ſub oculis ſuis viderunt agi, teſtes optimi certiſſimique autores et crediderunt haec ipſi et credenda poſteris nobis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam iſti ſint, fortaſſe quaeritis? Gentes, populi, nationes, et incredulum illud genus humanum. Quod niſi aperta res eſſet — nunquam rebus huiusmodi credulitatis ſuae commodarent adſenſum. An dicemus illius temporis homines usque adeo fuiſſe vanos, mendaces, ſtolidos, brutos, ut, quae nunquam viderant, vidiſſe ſe fingerent? — gratuita ſuſciperent odia? — Quodſi falſa hiſtoria illa rerum eſt, unde tam brevi tempore totus mundus religione completus eſt? —*

LARDNER *the credibility of the Goſpel hiſtory Lond.* 734—755.

755. Tomi XII. 8. (verſ. germ. Berol. 770.) C. B. MICHAELIS *diſſ. de dexteritate ſeu aptitudine et ſinceritate Apoſtolorum, teſtium religionis Chr. fide digniſſimorum, Hal.* 760.

§. 13.

b) e teſtimoniis adverſariorum.

Eam domeſticorum ſcriptorum autoritatem magis adhuc ſtabiliunt exterorum et adverſariorum teſtimonia, qui miracula illa a Ieſu edita concedunt, dum criminantur et eorum dignitatem autoritatemque elevare cupiunt. Nam qui ſtudioſe cauſam effectus cuiusdam inquirit, is ſane effectum vere accidiſſe profitetur.

LARDNER A *large collection of ancient Ievviſch and Heathen teſtimonies to the truth of the Chriſtian religion. Lond.* 764 — — 76. Tomi IV. 4.

Obſ. 1. His quidem adverſariis religionis Chriſtianae adnumerari poſſe Petrum, Paulum, et veteres philoſophos, Iuſtinum Martyrem, Tatianum, Athenagoram, et univerſam Chriſtianorum, e Iudaico coetu converſorum, multitudinem, quae aegre tulit patriorum rituum formaeque Iudaicae everſionem, et tantum abfuit, ut impugnaret Apoſtolorum traditiones, ut potius iis commota religionem patriam mutaret, haud inficior: neque tamen nimis confiderem huic argumento, quum de paucis conſtet, quibusnam rationibus ducti novam religionem adamaverint et, ſi verum fatear, vis potius et gravitas doctrinae, quam miraculorum virtus iis perſuaſiſſe videatur mutationem veteris ſuperſtitionis. *Act.* 2, 37. ſq. Multo gravius pugnat pro veritate hiſtorica miraculorum teſtimonium adverſariorum, Iudaeorum et profanorum,

Obſ. 2. Iudaei a) publice profitentur edita fuiſſe a Chriſto ſigna plurima, inſtituta inquiſitione *Ioh.* 11, 47. *Act.* 4, 7. ſeq. b) nec, dum criminibus eum onerant coram iudice atrocibus *Ioh.* 18, 30. ſq. fraudis eum arguunt et praeſtigiarum, c) ſequioris aevo in libris Talmudis vixiſſe Ieſum et leproſos integritati, mor-

mortuos vitae restituisse aiunt, sine dubio, at de causa virtútis, qua haec patraverit, disputant, dum eam alii a nomine Iehova, alii ab auxilio mali daemonis, alii ab artibus Aegyptiacis repetunt vide EISENMENGER *entdektes Iudenthum* T. I. p. 148-188.
d) Iudae inprimis Iscariotis, proditoris, historia et animus hoc loco expendi meretur, qui, si unquam artibus et praestigiis usus fuisset Iesus, itineris comes rerumque gestarum testis praesens et adiutor, id minime ignorasset, nihilo tamen minus, quo utcunque ornaret colore quodam facinus, fraudis suspicionem nullam in eum defert, quin innocentem periisse testatur. *Matth.* 27, 4. sq. *Observations on the Conduct and Character of Iudas Ischariot* 1751. *Ed.* 2. *Edinb.* 8.

Obs. 3. E profanis scriptoribus, ut taceam Pilati fidem, qui nocentem criminisque reum Iesum negavit, sat graves testes sunt pro miraculis Christi CELSVS, HIEROCLES, IVLIANVS:

CELSI sententiam ORIGENES refert *Libro contra Celsum L.* I. p. 7. (ed. *Spencer*) κατηγορει δε ἐν τοις ἑξης και του Σωτηρος ὡς γοητεια δυνηθεντος, ἁ ἐδοξε παραδοξα πεποιηκεναι, και προϊδοντος, ὁτι μελλεσι και ἀλλοι τα ἀυτα μαθηματα ἐγνωκοτες ποιειν το ἀυτο, σεμνυνομενοι τη θεου δυναμει ποιειν, ὁυς τινας ἀπελαυνει της ἑαυτου πολιτειας ὁ Ἰησους. Dein: l. c. p. 30. Φησι ἐις Ἀιγυπτον μισθαρνησαντα, δυναμεων τινων πειραθεντα, ἐπανελθειν εκειθεν, δι ἀυτας δεον ἀυτον ἀναγορευοντα. HIEROCLES (Sec. III. ineunte) autoritatem operum Christi insignium minuere conatur, dum Apollonium quendam Tyanensem iisdem factis inclaruisse confingat. IVLIANVS Imperator, referente CYRILLO *Alex.* (L. VI. 191. 192.) ita sentit: ἐργασαμενος, παρ᾽ ὁν ἐζη χρονον, ἐργον ὀυδεν ἀκοης ἀξιον, ἐι μη τις ὀιεται τους κυλλους και τυφλους ιασασθαι, και δαιμονωντας εφορκιζειν ἐν Βηθσαιδα και ἐν Βηθανια ταις κωμαις, τον μεγιστων ἐργων ἐιναι.

Huc

Huc facit ARNOBII locus L. I. p. 24. sq. *Postulabit forsitan* (aliquis) *an se ita res habeat, comprobari. Nulla maior est comprobatio, quam gestarum ab eo fides rerum, quam virtutum novitas, quam omnia victa decreta dissolutaque fatalia, quae populi gentesque* suo geri sub lumine nullo dissentiente *videre, quae* nec ipsi audent falsitatis arguere, *quorum antiquas seu patrias leges vanitatis esse plenissimas atque inanissimae superstitionis ostendit. Occursurus forsitan rursus est cum aliis multis calumniosis illis et puerilibus vocibus:* magus fuit, *clandestinis artibus omnia illa perfecit*, Aegyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina et remotas furatus est disciplinas. — *Quid dicitis?* — — *Potestis aliquem nobis designare, monstrare ex omnibus illis Magis, qui unquam fuere per secula, consimile aliquid Christo millesima ex parte qui fecerit? qui* sine ulla vi carminum, *sine herbarum et graminum succis, sive ulla observatione sollicita sacrorum, libaminum, temporum?* — *Constitit Christum* sine ullis adminiculis rerum, *sine ullius ritus observatione vel lege omnia illa, quae fecit, nominis sui possibilitate fecisse: et quod* proprium, consentaneum, dignum Deo fuerat vero, *nihil nocens aut noxium, sed* opiferum, *sed salutare.* — Pergit, (postquam *praecipua Christi opera* laudasset *sanationes, cibatos quinquies mille homines, mortuos in vitam revocatos, resurrectionem* adderetque laudatoris fervore abreptus quaedam sine autoritate *v. g. quod cum unam emitteret vocem, ab diversis populis et dissona oratione loquentibus familiaribus verborum sonis, et suo cuique utens existimaretur eloquio*): *Quae quidem ab eo gesta sunt et factitata, non ut se vana ostentatione iactaret, sed* ut homines duri atque increduli scirent, non esse, quod spondebatur, falsum.

§. 14.

§. 14.

Novum momentum in miraculis Christi.

Haec virtus Christi miraculorum effectrix illustrior multo et augustior nobis videri debet, quod eam legatis quoque suis autoritate sua concessit, *Matth. 10, 1. Luc. 10, 19. Marc. 16, 17. 18. Ioh. 14, 12. Act. 3, 6. et 4, 10. sq. Rom. 15, 18.*

Obs. 1. Paulus l. l. *non ausim*, inquit, *dicere quidquam* vel profiteri factum aliquid per me, *quod non perfecerit Christus per me*(κατειργασατο ἐις ος δι εμε,) *dictis et factis* (λογῳ και ἐργῳ). ἐργα autem sunt miracula. *Matth.* 11, 2. Ita quoque ἀποδειξιν πνευματος και δυναμεως commendationem per miracula 1 *Cor.* 2, 4. 5. doctrinae suae vindicat, coll. *Act.* 2, 22.

Obs. 2. IVSTINVS *Mart. Apol.* 2. *pro Chr.* (Oxon. 1703. p. 15.): *Eversionem daemonum ex his, quae sub adspectu vestro fiunt* (εκ των ὑπ' ὀψιν γινομενων) *intelligere potestis. Daemoniis enim correptos multos per omnem orbem et in hac urbe vestra* (ἐν τῃ ὑμετερᾳ πολει) *permulti nostrorum hominum Christianorum, adiurantes per nomen Iesu Christi, crucifixi sub Pontio Pilato, — sanaverunt atque etiam nunc sanant* (ἐτι νυν ἰωνται.) ARNOBIVS l. c. p. 30. *Istas virtutes non tantum ipse perfecit vi sua, verum quod erat sublimius, multos alios experiri et facere sui nominis cum affectatione permisit.* Namque *— ex immensa illa populi multitudine, quae suam gratiam sectabatur admirans, piscatores, opifices — atque id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes missi cuncta illa miracula sine ullis fucis atque adminiculis perpetrarent.*

vid. et IRENAEVS *adv. Haer.* L. 3, 32. ORIGENES contra *Cels.* L. I. init. et quae monuit C. F. ROESLER V. C. *Bibliothek der Kirchenväter T. I. p.* 318.

§. 15.
Vis probandi e miraculis.

Salva itaque operum tantorum veritate, facile autoritas divina doctrinae Iesu Christi vindicatur. Cum enim ea opera non edi possint humanis viribus (§. 9.) neque credibile sit vel malum quendam genium vires suas concedere inimico suo et contra se saevire *Luc.* 11, 17. *sq. Matth.* 12, 22 - 30. vel bonum genium vel Deum adiuvare impostorem, *Ioh.* 9, 31. 33: firmissima ratione efficitur, Iesum autoritate divina non minus docuisse, quam egisse, inprimis quum non alio consilio ediderit miracula, quam confirmandae doctrinae causa. *Ioh.* 10. 20 - 38. *Act.* 2, 22.

Obs. 1. Ad hunc finem adiuvandum nihil sane per se efficacius cogitari potest miraculis apud homines, qui sensibus reguntur et novam doctrinam, utut salubrem, respuunt. v. b. HALLER *Briefe über die wichtigsten Wahrh. der Rel.* p. 109 — 111.

Obs. 2. Iesus ipse ex miraculis suis tuetur autoritatem suam. *Matth.* 11, 3 - 6. *Ioh.* 5, 26. 10, 20. 25. 30 - 38. 14, 11. vide et *Matth.* 9, 2 - 7. Deinde *Petrus Act.* 2, 22. Iesum vocat *ἀνδρα ἀπο θεου ἀποδεδειγμενον, qui multis documentis et miraculis demonstratus sit ἀνηρ ἀπο θεου*, id est, *vir divinus* divinitusque missus, sicut *Gal.* 1, 1. ἀποστολος ἀπ' ἀνθρωπων, Apostolus humana autoritate vocatus, et *Iohannis* 20, 31. *Marc.* 16, ult. *confirmabant doctrinam* (βεβαιουντες τον λογον.) Denique haud pauci divinam originem doctrinae Iesu Chr. e factis tam illustribus colligebant. *Ioh.* 3, 2. 7, 31. 9, 30 - 33. 11, 42. cf. quoque *Ebr.* 2, 3. *sqq.* Neque tantum spectatorum animos miracula convincere poterant de origine doctrinae divina, sed nostros quoque possunt, si rescinditur de historia dubitatio, et debent, e consilio Scriptorum sacrorum: *Ioh.* 20, 31. ut latius exponit I. G. TOELLNER *theol. Untersuchungen* T. 2. P. I. p. 193.

Obſ. 3. Si quae alia celebrantur miracula, ea vel hiſtoricis argumentis deſtituuntur, vel clara oſtendunt fraudis et praeſtigiarum veſtigia, vel nec methodo Deo digna, nec conſilio quodam gravi edita ſunt: velut Apollonii Tyanei, Pariſii, et nuper Gaſneri: unde ad concutiendam fidem et autoritatem factorum Chriſti nullo modo valent, ſicut bene iam monuit ORIGENES *contra Celſum L.* 2. *p.* 85.

CAMPHELL *Diſſert. ſur les miracles* (verſ. Gallica CASTILLONII. Vltrai. 1764. 12. contra *Humium*) COTTA *diſſ. de veritate religionis Chriſtianae ex miraculis certa.* Tub. 1766. WERENFELS *diſſ. de veritate miraculorum et num miracula certa ſint veritatis ſigna?* Opp. T. I. p. 70. ſq. LESS *Vertheid. der Chr. Rel.* §. 19-35. 41-45. NOESSELT *Wahrh. der Chr. Rel.* p. 391. ſqq. *Alex.* GERARD *diſſertations on ſubiects relating to the genius and the evidences of Chriſtianity.* Edimb. 766. 8. germ. in SEMLER *Magazin für die Religion T. I. Hal.* 1780. Ex adverſariis doctrinae de miraculis eminet HVME, acutiſſimus Anglus, in *Eſſay on miracles* (Works Vol. 2.)

§. 16.

Quintum argumentum: vaticinia. a) quid ſint b) vis probandi.

Novum argumentum (§. 8.) quo vindicatur divina Ieſu Chriſti autoritas, *vaticinia* diximus vel praedictionem plurium rerum futurarum contingentium perſpicuam, quae ſucceſſu rata habetur. Nam eas, niſi a Deo, mundi rectore et gubernatore, indubitato praeſciri non poſſe, et res ipſa docet, et communis experientia. Vnde hominem, dum ex hoc genere praevidet futuros eventus, divino admonitu iuvari cogitur. Itaque Ieſum videmus *Ioh.* 13, 19. 14, 29. autoritatis ſuae demonſtrationem e vaticiniis ſuis repetere.

Obſ.

Obſ. 1. In omni vaticinio ratio habenda *primum* argumenti, *poſt* hiſtoriae, quae ſecuta eſt vaticinium. In *argumento* ſpectatur *vel* res a) futura, unde de tempore, quo quis vates futuros caſus publice tradidit, ſtudioſe inquirendum erit; b) contingens c) quae pendet ab arbitrio hominum, d) cuius cauſae adhuc latent: *vel* orationis forma, quae futuros eventus praenuntiat ſermone claro, haud ambiguo, determinato, at per partes eunte, et firmo, omiſſis coniectorum dubitatiunculis. Quae ſi ſecus reperiantur, vel impoſtoris fraudes latent, vel divinandi naturalis facultas vel coniecturarum fortuna cernitur. *Hiſtoria* autem doceat, a) omnia, quae vates dixit eventura, b) vere et c) plane accidiſſe. Dignus eſt, qui conferatur *Eſaiae* locus Cap. 48, 6-8. et 16. ubi verſionem noſtram conſulas.

Obſ. 2. Omne vaticinium verum miraculi nomine ſalutari poteſt. (v. §. 9.) Equidem BONNETO, autori perſpicaciſſimo, non repugnem, potuiſſe Deum, quum vates aliquis futuros caſus nuntiat, aut immediata vi ſua afficere cerebrum et obiicere animo ſeriem rerum futurarum (quod vulgo ſtatuitur), aut vim illam concreare atque inſerere animo vatis vel prius praeparare in cerebro cauſas phyſicas, quae, tempore determinato, fibras ſenſuum concutiunt et ideas gignunt conſentaneas eventibus futuris, ſine novo numinis interventu: at taceam, quod univerſa illa hypotheſis ideas noſtras pendere ſumat a cerebelli motibus adeoque novae hypotheſi, valde dubiae, ſuperſtruatur, ſemper tamen vis illa inſolita, cuius exempla hodie fruſtra quaeruntur, a voluntate creatoris mundi et rectoris huius univerſi fluit: nec ſi inſerere potuit, ideo vere inſeviſſe et cerebri chordas ſic formaſſe ſtatuendum eſt, ut affectae temporis opportunitate, idearum et vocum tam incredibilem harmoniam canerent. Vates ipſi, quos edidiſſe oracula divina credimus, et qui imaginum, animo conceptarum et publice deſcriptarum origines ſentiebant, tantum abeſt, ut ad cauſas naturales referant

dicta sua, ut potius negent se inventa *sua* eloqui, Deumque unicum autorem profiteantur. 2 *Pet.* 1, 21.

Obs. 3. Laudat oracula quoque sua Graecia, Roma Sibyllas: habent aliae quoque gentes illustria vatum nomina; at ex his ambigua pleraque sacerdotumque fraudibus conficta fuisse et spem fefellisse, historia docet. EVSEBIVS *L.* 4. *praepar. Evang.* c. 2. ANTON VAN DALE *diss.* 2. *de oraculis veterum ethnicorum. Amst.* 700. 4.

§. 17.

c) *Vere edita a Iesu.*

At Iesus, si de fide Apostolorum constat, (§. 12.) futura fata tum sua, *Luc.* 18, 31-33, tum suorum *Matth.* 10, 18-42 *Ioh.* 21, 18-21. tum doctrinae suae, quam amplissimam *Matth.* 26, 23. et ad finem mundi usque duraturam 1 *Cor.* 11, 26. fore docet, tum denique reipublicae Iudaicae *Luc.* 21, 6-36. *Matth.* 24. *tot.* clare et determinate et eo tempore, quo quis tales ne cogitare quidem ausus erat casus, sic praedixit, ut historia cum vaticinio plane conspiret.

Obs. 1. Quum Matthaei et Lucae Evangelium publice editum fuerit ante ultima fata reip. Iudaicae, certior horum vaticiniorum fides constat. Dein fortuitos casus plures continent, primum urbis oppugnationem improvisam et summas angustias *Matth.* 24, 15. dein templi ruinam *Matth.* 24, 2. 29. 30. *Luc.* 21, 24. porro temporis definitionem, (ἡ γενεα ἁυτη ὀ παρελευσεται, homines huius aetatis adhuc superstites erunt): tandem ea omnia posse impediri negatur. *Matth.* 24, 34. 35.

Omnia eventum sortita esse indubium, locupleti Iosephi testimonio statuque gentis Iudaicae hodierno abunde firmatur, v. IOSEPHVS *de Bello Iud.* L. VI. c. 10. quod iam EVSEBIVS H. E. 3, 7. p. 131. (*Stroth*) observat.

LESS l. c. §. 37 - 39. et 46. *Nath.* LARDNER *discourses on the circumstances of the Ievvisch People, an argument for the truth of the Christian revelation. Lond. Ier. Fr.* REVSS *diss. qua ex vaticiniis Christi insigniter impletis probatur rel. Chr. veritas. Tub.* 768. *I. A.* NOESSELT *l. c.* §. 369 - 372. *Sammlung merkvvürdiger Abhandlungen über die Weissagungen* (*aus dem Engl.* aut. HVRD und HALIFAX.) *Zürch.* 779. *Tom.* 2. 8.

Obs. 2. Provocant alii ad vaticinia prophetarum, qui doctorem divinum et solemnem exhibent futurum depinguntque iis characteribus, qui non nisi in Iesu monstrari possunt, quo in argumento copiose versatus est *Ed.* CHANDLER *in Vindication of the christian religion*, cuius versio germanica lingua subiuncta legitur: KIDDER *Bevveiss dass Iesus der vvahre Messias sey. T. II. Rostock* 751. I. C. CLEMM *diss. veritas rel. Christ. ex implementis vaticiniorum. Tub.* 742. Sed universa illa demonstratio, Iudaeis convincendis aptior, proprie pertinet ad locum de Iesu Messia, quem infra §. 311. deducemus. Quare simul in vanum recidit spes *Collinsii*, Angli, qui, cum hoc argumentum e vaticiniis V. T. videret a multis ut validissimum et primarium commendari, omnem religionem Chr. eodem repudiato et fracto, infringi sibi persuasit in libro *Scheme of literal prophecy considered. Lond.* 1727.

§. 18.
Tertium momentum: doctrinam Christi sincere servari ab Apostolis.

Doctrinam igitur divinitus acceptam Iesus tradidit inprimis Apostolis, qui eam hominibus sic proposuerunt, ut ab institutione Christiana nullo modo deficerent, *Ioh.* 14, 25. 26. 15, *tot.* 16, 13. *Ebr.* 2, 3. *Eph.* 2, 20. 1 *Cor.* 3, 12. et incorruptam conservarunt, 2 *Cor.* 4, 5. *Gal.* 1, 6. 1 *Ioh.* 1, 3. 2, 19. 2 *Ioh.* 10. 11. unde ad nostra quoque tempora devenit.

Obſ. 1. In omni inſtitutione ſapienti et liberali primum elementa ſcientiarum tractantur, animisque per ea praeparatis ad ſublimiorem diſciplinam fit tranſitus. Qua prudentiae lege quis miretur Ieſum quoque uſum fuiſſe et per gradus quaſi ad doctrinam altiorem ſuos diſcipulos deduxiſſe? Sicut enim morbi graves et inveterati non uno die ſanantur: ita animi errores et opiniones parum commodae non uno quaſi ictu expelli e mente poſſunt, nec a rudibus ea concoquuntur, unde exercitatum ingenium capit nutrimenta. Itaque Ieſus novae religionis capita caute et temperate, prout congruunt auditorum imbecillitati, exponit ab initio, et perfectioris doctrinae explicationem uberiorem opportuno tempori reſervat, neque πασαν ἀληθειαν ſtatim aperit. *Marc.* 4, 34. *Ioh.* 16, 13. At vero cum viveret pleraque docuiſſe videtur ſuos, quae ad morum maxime diſciplinam animique correctionem attinent: poſt reſurrectionem autem corrigi et augeri curavit cognitionem de ſtatu novae religionis capitibusque theoreticis et hiſtoricis, velut de maieſtate Ieſu, vocatione gentium, beneficiis religionis novae etc. *Act.* 1, 3.

Obſ. 2. Incorruptam Apoſtolos doctrinam Chriſti conſervaſſe intelligitur a) ex inſtitutione divina, (inſpirationem vocant, de qua voce infra commodius exponetur) quam Ieſus, doctor divinus, fallere neſcius, iis promiſerat. *Ioh.* 14, 25. 26. παρακλητον (*monitorem*, ſicut alias παρακαλειν *monere*, *docere* cf. LOESNER *Obſ. e Philone ad h. l.*) αλλον (a ſe diverſum, novum) *a patre* (divinitus) *mittendum*, offert, duplici opere conſpicuum: altero: ὑπομνησει ὑμας παντα (*in memoriam revocabit vobis omnia*, quae a me adhuc audiiſtis); altero: και διδαξει παντα (*docebit omnia*, ad novum munus obeundum neceſſaria) *Ioh.* 15, 26. μαρτυρησει περι ἐμου (*referet mea placita*, docebit de me, e vi hebraica vocis μαρτυριον, μαρτυρειν, docere. vide LOESNER l. c. ad h. l.) *Ioh.* 16, 13. ὁδηγησει ὑμας εις πασαν ἀληθειαν (*in omnem vos manuducet*

ducet veritatem, quod fit institutione. cf. *Ps.* 25. 5, 9. 119, 35.) ȣ̓ γαρ λαλησει ἀφ' ἑαυτου (*legatus erit divinus*, *non sua decreta*, sed *a patre tradita*, uti *Ioh.* 12, 49. et 5, 19. *proponet*: *sed ea locuturus est ad vos*, oraculo significabit, *quae audivit*, nempe, vobis iam a me tradita fuisse, *coll.* 14, 26.) ἐμε δοξασει (*pro mea gloria*, quae inest disciplinae Christianae, *occupabitur*) ἐκ του ἐμου ληψεται (*e rebus meis* meaque doctrina *repetet argumentum institutionis*, nihil a mea disciplina alienum vobis suggeret). *Ioh.* 15, 1. sq. Iesus, ut, quae sit connexio doctrinae suae cum Apostolorum scientia, demonstret, exemplo utitur vitis et palmitis: vitis est dux et doctor, autor religionis; palmites discipuli et ministri. Itaque monet: *Sine me nihil potestis facere*, non potestis legatorum munere defungi rite, nisi a me edocti et perseverantes in doctrina mea. Eodem refer. v. 8. *Vinitor* (Deus) *non amputabit palmites*, non reprobabit hos ministros, sed iam *deputatos* h. e. edoctos et formatos a Christo, ac muneri praeparatos (v. 2.) *porro deputabit*, formabit ac augebit scientia magisque indies officiis praestandis aptos reddet. Haec omnia demonstrant, Apostolos divina vi adiutos, si quidem vere dixit Iesus, acceptam olim doctrinam integre tradidisse. Quare Paulus Iesum *e coelo loqui* haud veretur statuere. *Ebr.* 12, 25.

b) e miraculis, quae pro confirmanda doctrina sua, id est, genuina Christi institutione, ediderunt, virtute Christi et Dei, quos non probabile est vim suam concessisse hominibus, ut ingenii humani decreta vel errores per speciem divinae autoritatis venderent. (vide dicta ad §. 15.) Iesus quidem non alia conditione potestatem edendi miracula promisit Apostolis, quam ἐν τῳ ὀνοματι ἀυτου. *Marc.* 16, 15-18. et πιϛευοντι ἐις ἀυτον, illi, qui doctrinam suam profitetur *Ioh.* 14, 12-14. Itaque omnis effectus, per vim Christi et Dei ab Apostolis productus, demonstrat consensum doctrinae Apostoli cum doctrina

Christi. *Act.* 2, 6. 16. 4, 29. 30. *Ebr.* 2, 3. *Salubris doctrina, cuius auspicia Dominus fecit, ab auditoribus eius ad nos delata et confirmata est, contestante veritatem eius Deo signis multis et miraculis.* 1 *Cor.* 2, 6. 7. vide supra §. 14. Obs. 1. Quaedam ad hoc argumentum utilia reperies in *Ier. Fr.* REVSS *diss. de donis spiritus s. miraculosis, ut praecipuo pro veritate doctrinae Apostolicae argumento. Tub.* 768.

c) e consensu doctrinae Christi cum doctrina Apostolorum. Illa enim sine hac imperfectione, haec sine illa obscuritate laborat: neque in hac, ampliore et multis capitibus auctiore, quidquam occurrit, quod adversetur primis, quae Iesus tradidit, initiis.

d) e propagatione doctrinae Christianae. Ac videmus Iesum suis nonnisi hac conditione felicem rerum gerendarum successum promittere et augurari *Ioh.* 15, 2. 7. *Quodsi doctrina mea in vobis manserit, fructus multos feretis.* Dein res ipsa impedit, quo minus ab hac doctrina potuerint desciscere. Nam et ambitus et celeritas, qua propagata fuit Iesu doctrina, omnino vetuit, aliena submisceri et primam institutionem corrumpi. Aut enim Apostoli doctrinam Christi corruperunt prius, quam separarentur, aut post secessum. Si prius: in Iudaea, ubi primas radices fixerat religio nova, plurimi superstites erant auditores Iesu, praeter apostolos, qui tenerent elementa doctrinae Iesu eumque venerarentur: quomodo igitur amici sancto nomine abuti alios sinerent in proponenda doctrina, adversa genuinis decretis doctoris divini? aut quomodo semina eius institutionis in omnibus auditoribus plane degenerarent? Quod si postea, quam per alia regna innotuit doctrina melior fautoresque nacta est quam plurimos, per Graeciam, Aegyptum, Asiam, Arabiam, Latium, Hispaniam tentata fuit mutatio: unde, quaeso, tantus tamque constans in capitibus fidei Christianae consensus locum obtinere potuit, inter coetus dissitos, doctoribusque diversis illustratos, nisi communis et conspirans Apostolorum, qui primi

eos

eos coetus coegerant, sententia primum tradita fuerit? Serius quidem aevum, quum simplicitati religionis Christianae aliena multa admiscerentur, gravia dissidia vidit et partium studia: at quanto altius ad Christi aevum redit historia, tanto constantior et inter se consentanea reperitur doctrina, Latiumque Aegypti et Graecia Iudaeae fidem profitetur. (μια πιςις) *Eph.* 4, 5. 2 *Cor.* 1, 17. doctrina divina non fuit ναι και ου (contrarie proposita.) *Eph.* 2, 20. Christus est ακρογωνιαιος *commune fundamentum omnium coetuum.* 2 *Pet.* 1, 1. *Iudae* 3. Quantum autem consensus tam constans et firmus probet bonam religionis Chr. caussam, significat Iesus *Ioh.* 17, 21.

e) e studio Apostolorum, contrarias sententias refutandi et a fraudibus iniquorum hominum purgandi. *Gal.* 1, 6. 7. 1 *Ioh.* 2, 19. 2 *Ioh.* 10.

f) Paulus quoque, vir pius et ab omni partium studio alienus 1 *Cor.* 1, 10. sq. 3, 5. 2 *Cor.* 4, 5. pluribus locis tuetur fidem suam et institutionum suarum puritatem *Rom.* 15, 18. (λογῳ) 1 *Cor.* 1, 9. sq. 11, 23. *Gal.* 1, 1. *Ebr.* 13, 8. *Iesus Christus*, doctrina Christiana, *heri et hodie* (constans sibi) et perpetuo duratura.

Obs. 3. Lapidem contra movet nuperus Anonymus, cuius fragmentum LESSINGIUS edidit: *Vom Zweck Iesu und seiner Jünger* (Wolfenb. 778.); sed facile tollitur, si teneas, institutionem Christi in elementis doctrinae suae nondum proposuisse, quae perfectioribus ingeniis congruunt, v. c. de regno spirituali, de abrogandis ritibus Iudaicis, de personae suae maiestate etc. v. SEMLER *Beantwortung der Fragmente. Hal.* 779. I. TOBLER *Gedanken und Antworten zur Ehre Christi und seines Reichs. Zürch.* 1780.

Obs. 4. Quod diximus, ad nostra tempora eandem devenisse doctrinam Christi et Apostolorum, e sequenti capite patebit, ubi scripta eorum authentica et incorrupta superesse demonstrabimus.

§. 19.

Conclusio.

Quodsi genuinum doctrinae Iesu argumentum ab Apostolis propositum et conservatum fuit (§. 18.): divina omnino autoritate commendatur propter autorem, legatum divinum (§. 7-17.) quumque non modo a Dei scientia vera omnia proficiscantur, verum etiam voluntas in errores inducendi homines ab eius sanctitate abhorreat; religio Christiana *vera* iure habetur.

Obs. 1. Dicendum paucis de reliquis argumentis, quibus adhuc in demonstratione veritatis Evangelicae utuntur. Redeunt autem fere *vel* ad vim doctrinae Christianae, velut illud, quod *iam* a propagatione religionis Christianae, mirabili plane, petitur, dum brevi temporis intervallo, ex omni hominum genere, pluribus locis cultores innumeros nulla vi externa adhibita, quin inter gravissima impedimenta sibi conciliavit: (vid. ORIGENES περι ἀρχων *L.* 4. *c.* 1. ARNOBIVS adv. g. L. I. C. F. SARTORIVS *diss qua ex admiranda religionis Christianae propagatione probatur eius veritas. Tub.* 768. *East* ANTHORP *Lettres on the prevalement of Christianity befor its civil establishement. Lond.* 778. 8.) *iam* a martyrum et confessorum constantia, qua inter tot cruciatus tuiti sunt fidem suam, deducitur, cuius iam suo tempore efficaciam laudat IVST. M. *Ap.* 2. p. 30. *vel* ad praestantiam v. c. G. BENSON *the reasonableness of the Christianity. Lond.* 743. *germ. Halle* 763. *Ioseph* BVTTLER *analogy of religion natural and revealed to the course of nature Ed.* 4. *Lond.* 750. 8. (*vers. germ. Tub.* 1779.) *Franc. Volcm* REINHARD *Versuch über den Plan, den der Stifter der christl. Rel. zum besten der Menschen entvvarf. Ein Beytrag zu den Bevveisen für die Wahrh. dieser Religion. Wittenb.* u. *Zerbst.* 781. *vel* id tantum efficiunt, ut praesumat animus disciplinae Christianae dignitatem, velut methodus, qua docendo utuntur Apostoli: DVCHAL

prae-

praesumtives arguments for the truth of the Christian religion; *vel* ad singula decreta huius doctrinae v. c. DITTONI *Wahrheit der Christl. Rel. aus der Auferstehung Iesu Braunschvv.* 1749. *Will.* BELL *An inquiry into the divine mission of Iohn Baptist and Iesus Christ. Lond.* 761. (germ. vers. ab HENKE *Helmst.* 1779. 8) *vel* denique parum probabilia sunt, ut ducta de mortibus persecutorum, a tuto et alia, quae lubens praetereo, persuasus, non multis sed firmis argumentis et inconcussis stabiliendam esse veritatem Christianam et semper precaria argumenta plus nocuisse bonae causae, quam eam adiuvasse. Adversariorum testimonia apta magis tuendae historiae, quam demonstrandae veritati rel. Christianae, viam ad gravissima argumenta pandunt. cf. *The truth of the Gospel history made out by heathen evidence. Edimb.* 1741. *Alex.* GERARD libr. supra ad §. 15. laudatum.

Obs. 2. Scriptorum, quae veritatem religionis Christianae tuentur, syllabum edidit, iam plurimis observationibus augendum I. A. FABRICIVS s. t. *Delectus argumentorum et Syllabus scriptorum, qui veritatem rel. Chr. adv. Atheos. Epic. Deistas s. Naturalistas, Idololatras, Iud. et Muhamedanos lucubrationibus suis asseruerunt. Hamb.* 725. 4. Eminent HALLER *Briefe über die vvichtigsten Wahrheiten der Offenbarung. Bern.* 772. IERVSALEM *Betr. über die vornehmsten Wahrh. der Religion. Ed.* 4. *Braunsch.* 774. 8. G. LESS *Wahrh. der Chr Rel. Ed.* 4. *Brem.* 776. I. A. NOESSELT *Vertheid. der Chr. Rel. Hal. Ed.* 4. 774. I. G. ROSENMÜLLER *Prüfung der vornehmsten Gründe für und vvider die Religion. Erl* 776. I. G. TOELLNER *Bevveiss der Wahrheit der Chr. Rel. für iedermann. Mietau* 772.

Phil. MORNAEVS *de veritate rel. Chr. Antvv.* 579. 4. *Hugo* GROTIVS *de veritate rel. Chr.* ed. 1. 622. (belgice. Latine novissima editio curante I. C. KOECHERO *Hal.* 734.) *Iaq.* ABBADIE *traité de la verité de la rel. Chr. Roterd.* 684. ed. nov. *a la*

Haye 1763. Tomi 3. 8. (verſ. german. noviſſ. *Karlsr.* 778) SACK *vertheidigter Glaube der Chr. Berol.* 776. *Ed.* 2. *Iam.* FOSTER *the uſefulneſſ, truth and excellency of the Chriſtian revelation. ed.* 3. *Lond.* 734. *Traité de la verité de la religion chretienne du latin de M. Iean Alph.* TVRRETIN par I. VERNET *Genev.* 1748. ſq. (germ. *Halle* 753. 8.) C. BONNET *recherches philoſophiques ſur les preuves du Chriſtianiſme. Genev.* 771. german. *Zurch.* 179.

HVETIVS *demonſtratio Evangelica* ſaepe edita. *Bened.* STATTLER *demonſtr. Evangel.* Euſtadii ed. 2. 1780. 8. cuius compendium edidit *Mich.* SAILLER (*Monach.* 777.) et al.

§. 20.

De univerſalitate et perennitate rel. Chr.

Praeter divinam originem autoritatemque religionis Chriſtianae et praeſtantiam, de qua §. 5-19. diximus, duo cumprimis laudantur: *primum* univerſalitas, *alterum* perennitas. *Vniverſalis eſt*, dum per decreta ſua omnium eſſe poſſit nationum, et per inſtitutionem ſuam eſſe debeat. *Marc.* 16, 15. *Rom.* 10, 12. *Col.* 1, 23. (πασῃ κτισει.) *Perennem* vocamus, quia hanc beneficiorum et voluntatis divinae revelationem non inſecutura eſt inter homines alia. *Matth.* 28, 20. 2 *Cor.* 3, 11. 1 *Cor.* 15, 24. *Ebr.* 12, 27.

Obſ. 1. Prior adfectio, oppoſita religionis Iudaicae, unius gentis et provinciae certis limitibus circumſcriptae per decreta ſua, privilegio, non poſtulat, ut omnes omnino homines et gentes, terram, qua patet, habitantes, ſtatim amplectantur eam religionem et profiteantur; ſed ut haec revelatio, per temporis decurſum et opportunitatem pluribus, quam reliquae omnes, populis innoteſcat, neque propria ad gentem quandam pertineat, ſed ambitu ſuo omnes poſſit e conſilio divino amplecti, Ιȣδαιους και ἑλληνας, νομον ἐχοντας και ἀνομους.

Rom.

Rom. 1, 16. 2, 11. *Eph.* 2, 13. *Col.* 1, 6. 21. Verum grave hoc et intentatum a reliquis sive philosophis, sive legislatoribus consilium, universi generis humani salutem promovendi, satis demonstrat, quantum Iesus supra omnes emineat. De quo egregie multa disputat *Fr Volcm.* REINHARD, *libro* superius §. 20. Obs. 1. laudato. Vtrum autem sperare liceat et augurari, fore, ut humanum genus tam felix esse contingat, ut salutarem illam disciplinam non traditam tantum audiat, sed publica professione illi consentiat? de eo voluntatis divinae μυστηρίω (*Eph.* 1, 9.) nos quidem, qui prophetarum autoritatem nobis arrogantius haud sumimus, malumus ἐπέχειν, haud tamen immemores, nullas tam graves et innumeras, quae spem meliorem deiicere videntur, difficultates obiici posse a moribus et a malignitate hominum, quin facile providentiae divinae vi et sapientia removeantur. Vberius hanc sententiam deduximus in libro: *Fragmente und Antifragmente zvveyter Theil. Norib.* 1779. 8. Decreta certe religionis Christianae nihil sanciunt, quod vel felicitati hominum, utcumque climate, aetate, reipublicae forma diffidentium, adversetur, nec ea instituta iubent, quae, quo minus ad omnes terras transmitti sicque universalis fieri queat, sua natura, non omni tempori, coelo, civitati consentanea, impediant. Sed nonne divinis ingenii et sapientiae viribus pollere existimemus eum, qui disciplinae suae nihil immisceat, quod non a loci tantum patrii et temporis opportunitate non abhorreat, sed apud omnes omnino gentes per tot secula, inter tantas morum artiumque mutationes queat valere? Longe alia ratio cernitur in institutis Mosis, Muhamedis, et aliorum ita comparatis, ut in omnes terras migrare natura sua nequeant. Opponit quidem MONTESQVIVS (*Esprit des Loix L.* 16, 2. p. 98. T. II. Oeuvres Ed. 769.) exemplum legis de monogamia: at refutatur a b. E. A. FROMANN Progr. *de religione Christiana omni climati accommodata*, inserta *opusc. philolog. et histor. argumenti. Cob.* 770. *p.* 595. *seq.*

Obs.

Obſ. 2. Spes novae religionis div. quae tollat Chriſtianam, proſternitur a) conſilio I. C. *Matth.* 28, 20. b) Pauli teſtimonio; qui α) 2 *Cor.* 3, 11. το μενον, perenne Evangelium et το καταργεμενον (abolendam diſciplinam Moſis) opponit, β) finem oeconomiae Chriſtianae et finem mundi iungit 1 *Cor.* 15, 24. γ) perfectiorem inſtitutionem negat, in hac infantia ſperari poſſe 1 *Cor.* 13, 11. ſq. δ) *Ebr.* 12, 27. 13, 9.

Obſ. 3. Si qui nobis novae revelationis mutataeque diſciplinae Chriſtianae ſpem faciunt, quae poſt fanaticos, nuper etiam LESSINGIO in l. *Erziehung des Menſchengeſchlechts* videtur arriſiſſe, primo loco demonſtrandum eſſet, quonam ſ. literarum fundamento beatior expectatio ſubnitatur; deinde, cum haud ſine gravi conſilio Deus novam formam inducere credatur, felicitatem generis humani non poſſe amplius his inſtitutis contineri, ſed maiorem vel notitiarum amplitudinem, vel diſciplinae liberalitatem, quam praeſtat religio Chriſtiana, requirere. Sed ego vereor, ut genus humanum ampliſſimum notitiarum divinarum, quas Chriſto debemus, campum in hac vitae brevitate, ingeniorumque tarditate emetiatur atque tam beatum eſſe contingat, ut non amplius poſſit in his inſtitutis acquieſcere. Valeant tamen ingenia tarda, quae ne nova dogmata cudere videantur, incrementa religioni Chr. invident atque omnem ſtudiis hunis materiam praeripiunt. Multa ſane, neque contra conſilium Dei, qui ſuperiorum ſeculorum lucem conceſſit, ut ea colluſtrati ulterius progrediamur, tentari poſſunt ac debent, ut religio Chr. non modo conſervetur, ſed etiam felicia capiat incrementa, ſive claritate, ſive certitudine, ſive denique uſu notitiarum ad communem hominum ſalutem translato. Quam in rem plura in praefatione libri noſtri diſputavimus.

§. 21.

§. 21.

De articulis fidei.

Sed religionis huius capita, quae primum vivi proposuerunt Apostoli, adhuc integre conservantur in libris Christianorum antiquissimis, aevo Apostolico et autoritate Apostolorum consignatis, quos proprie principium cognoscendi religionem Christianam tutissimum recte dixeris. Quatenus igitur ex his doctrinae Christianae dogmata singula (*articulos fidei* vocant) derivantur: eatenus et *vera* existit (§. 19.) et *genuina* religio nostra, eaque vel *theoretica* vel *practica*.

Obs. Plura seq. capite dabimus.

§. 22.

Divisio artic. fid. a) in theoreticos et practicos.

Notitiae petitae ex his scriptis varii sunt argumenti. Aliae occupantur natura beneficiisque divinis; aliae voluntate et legibus: unde religionis capita vel *theoretica* vel *practica* sunt.

Obs. 1. Alio sensu supra §. 1. *religionem* (subiectivam) divisimus in *theoreticam* et *practicam.*

Obs. 2. *Theoreticarum* dignitas, negari visa vel elevari a viris, gravitate doctrinae et animi pietate illustribus, v. c. SPALDINGIO in l. *Ueber die Nutzbarkeit des Pred. Amtes* p. 108. STEINBART *Glücks. Lehre. Sect.* 5. rata manet, si de vocis potestate consentias. Nam si theorias dixeris hypotheses, quas excogitavit vel confinxit subtilitas humana, ut illustraret et definiret capita fidei, vel formulas, haeresibus dignoscendis et configendis destinatas: vel dogmata, quorum nulla plane cum doctrina morum intercedit coniunctio: earum non modo vile pretium in institutione religionis (habent enim aliquod regundis theologis) agnosco lubens, sed noxas etiam, quas rei Christianae per turbas graves et impedita liberaliori doctrina ac populari intulerunt, haud diffiteor. At, quae nos vocamus theo-

theoretica, cum ſint vel per naturam ſuam ſtimuli virtutis, cuius directoria doctrinas practicas dixeris, et diſciplinam morum maxime adiuvent, vel exercendi fidem Deo debitam occaſiones, vel elementa notitiarum ſalubrium, iure ſuo locum in doctrina Chriſtiana ſibi vindicant. Vide libellum noſtrum: *Materialien zum Kanzel-Vortrag.* Alt. 775.

Obſ. 3. Per ſingula capita habitus ad morum diſciplinam merito exquiritur.

§. 23.

b) in fundamentales et minus fundamentales.

Sicut in omni diſciplina vel arte quaedam ponuntur quaſi fundamenta, a quibus initium fit inſtitutionis pendetque uberior profectus: ita religionis chriſtianae quoque capita alia pertinent ad eos, qui initiari volunt ſacris chriſtianis, alia ad perfectiores. *Ebr. 5, 12. ſq.* Illa equidem articulos fidei *fundamentales*, (quibus fundatur eccleſia vel coetus Chriſtianus *1 Cor. 3, 11. Eph. 2, 20. 21. Ebr. 6, 1.*) haec *minus fundamentales* dixerim. Horum numerus indefinitus eſt: illos e dictis *Matth. 28, 19. Ioh. 17, 3. 1 Theſſ. 1, 9. 10. Ebr. 6,* 12. et orationibus apoſtolicis *Act. 2, 3. 13, 16. ſq. 14, 15. ſq. 17, 23.* definire auſim.

Obſ. 1. Paulus ipſe diſtinguit γαλα, τα ϛοιχεια της αρχης των λογιων του θεου, τον της αρχης του χριϛου λογον et ϛερεαν τροφην, τελειοτητα *Ebr.* 5. 12 - 14, 6, 1. vide et 2 *Pet.* 2, 2.

Obſ. 2. Video theologos ſe non modo haud expedire poſſe, ubi definiendum ſit, utrum dogma aliquod haberi pro articulo fidei fundamentali, an minus debeat? ſed in notione quoque vocis haerere. cf. E. I. DANOVII *theol. dogm. inſtit. L. I.* §. 11. qui varia monet, digna quae conferantur. *Neque ignoro*, vt verbis Cel. SEMLERI utar, *inſtit. ad doctr. Chriſt.* §. 79. *vix*

ſine

fine invidia licere hic aliquem liberrime dicere sententiam suam: latae sunt iam illae sententiae, quae Indifferentismum, Syncretismum, Naturalismum, Arminianismum, et si qua supersunt nomina terriculamentorum feracia, tribuunt omnibus, qui audent a vulgatissimis abire opinionibus. Nos autem decet publicae christianae rei dare ingenuam operam. Itaque libere dicemus sententiam. Primum quidem pervulgata definitio, cum articulos fidei fundamentales esse praecipiant, qui salvo fidei et salutis fundamento non ignorari, saltim non negari possint, multa ambiguitate laborat, matre errorum et rixarum foecundissima. Cum enim *fides* vel significet notitias doctrinae Christianae certas, vel animi habitum, Christi beneficio adquiescentis, et *fundamentum* tropice id dicatur, cui aliquid superstruitur, et quo tanquam principio nititur: sponte patet, *fundamentum fidei* dici posse, aut prima quasi doctrinae Christianae rudimenta, aut eam veritatem, sine qua habitus animi et fiducia salutis, Christo subnixae, nec oriri nec locum habere potest. Peccatum quoque, quum fundamentum *fidei* vel religionis et *salutis* non differre existimarent, unde quoque vulgaris distinctio inter fundamentum reale vel substantiale, quod Christum, salutis nostrae autorem, esse voluerunt, et fundamentum doctrinale, seu principium fidei salvificae, fluxit. Sic denique factum, ut articulos fundamentales, et errores fundamentales seu haereses efformarent pro arbitrio, norma valde ambigua et incerta proposita, ad quam exigi posset singularum universae doctrinae Christianae propositionum gravitas: ut taceam ridiculas quaestiones, qualis illa fuit *Tannero* Iesuitae in Colloquio Ratisbonensi 1601. proposita temere et temere affirmata: an Tobiae catellus sit articulus fundamentalis? acres polemicorum disputationes, immitia denique de salute hominum infidelium et haereticorum iudicia, parum Christiana, quae evitari non possunt, nisi propositis certis et pressis characteribus, quibus gravissima disciplinae salutaris capita

tuto

tuto et sine ambiguitate a reliquis secernantur. Eos iam nova quadam ratione exquirere tentabo, non alio duce, quam scripturis sacris, et luculenta Iesu Apostolorumque significatione. Primum itaque 1.) *fidem* dico universam religionem christianam, eo sensu, qui familiaris est Apostolis, supra demonstratus ad §. 4. obs. 1. c) 2) *fundamentum* alias primum est in aedificio: hinc cum aedificii vel templi imagine veniat universitas Christiana vel Ecclesia particularis, transfertur vox fundamenti ad prima initia religionis Christianae, certo loco tradita. Ita Paulus 1 *Cor.* 3, 11. *Equidem architecti more*, vel struendi templi divini minister, *fundamenta ieci*, inter vos, i. e. me doctore hausistis prima rudimenta doctrinae Christianae: *alii superstruunt* fundamentis a me positis: h. e. notitias vestras augent et cognitionem primam, ex mea institutione haustam, promovent, *quod quomodo quisque faciat, probe expendat. Aliud quidem fundamentum nemo iacere poterit, praeter* istud, fixum, quod est *Iesus Christus:* non poterit quis alia religionis quam Christianae capita vobis proponere: omnes, qui ad vos veniunt, doctores, Iesu nomen prae se ferre fas est, non suum, *Cap.* 1, 12. 13. ϰ μεμεϱισαι ὁ χϱισος) omnes initia institutionis repetere a Iesu Messia; *at si quis ulterius formare Christianorum ingenium studet*, sive is cara et utilia, sive inutilia, vana viliaque proponat, *tempus*, magistra rerum optima, *demonstrabit operis et institutionis pretium*; haud enim perennabit et experimenta sustinebit doctrina humana. Sic et CICERO de fin. 4, 1. (Vol. 4. p. 195. ed. Ernest.) Catonis laudat disciplinam, non modo *fundatam*, verum etiam *exstructam*, i. e. non strictim tantum expositam, sed omnibus numeris absolutam. *Eph.* 2, 20 - 22. *Fundamentum Apostolorum et prophetarum* i. e. quod Apostoli et divini homines iecerunt, est ipsa prima *institutio Apostolorum*, quae unice Christum, totius Ecclesiae dominum, respiciat, et publice tradita et consensu auditorum probata, Ephesios in unum coetum, subinde

inde augendum et illustri praesentia Iesu Chr. decorandum, coegerit. Nec aliter *Ebr.* 6, 1. accipit, dum *fundamenta* sese iterum iacturum negat, i. e. ἀρχην της διδαχης, rudimenta doctrinae christianae, lac, prima initia, propositurum. Sic et *Rom.* 15, 20. ἐπ' ἀλλοτριον θεμελιον οἰκοδομειν, est, ἐυαγγελιζεσθαι, ὁπου ὠνομασθη χριϛος Evangelium praedicare iis locis, quae religionem Christianam iam profitentur. Hinc puto patescet 3) *fidei fundamenta* optime finiri, *notitias primas, hominibus, quos Christiana religione imbuere studebant Apostoli, traditas*, quarum igitur sine cognitione et professione nemo Christi cultor potuit salutari. Sed 4) *quaenam ea capita* sint, dupliciter efficitur. *Primo:* si qua propositio expressis Christi vel Apostolorum testimoniis ut cognitu credituque necessaria Christianis commendatur. Idque *duobus* tantum vel *tribus* locis fieri reperio. A Iesu (*Ioh* 17, 3.) ζωη ἀιωνιος (doctrina de vera felicitate) *duabus* generatim thesibus contineri dicitur: *altera*, verum Deum non esse nisi unum: *altera*, Iesum esse legatum divinum Messiam, (1 *Ioh.* 2,22.) Alterius confessione Christiani a gentilitiis superstitionibus, alterius a Iudaicis opinionibus distinguebantur. Vide I. *Melch.* FABER *Progr. ad h. l. Onold.* 775. A Paulo negatur religionis Corinthiorum integritas, ubi resurrectionem mortuorum et Iesu negare ausint, 1 *Cor.* 15, 14. 17. 2 *Tim.* 2, 18. 19. Ergo *tertium* caput, sine quo non tenetur vera religio Christiana, est resurrectionis fides. *Quartum* innuit ad *Gal.* 5, 4. dum negat cum Christo amplius iungi, et gratia vel Evangelii beneficio extorres fieri iudicat, quicunque obsequio erga leges Mosaicas immunitatem a poenis obtineri existimant. In his igitur omnibus locis ita traduntur partes fidei, ut simul affirmetur, earum vel ignorationem vel negationem excludere a iuribus et communione religionis Christianae. *Secunda* methodus, qua indagentur fundamentales articuli, non minus aperta videtur et acili. Nam si ex notione, supra demonstrata, eo referuntur om-

nes propositiones, a quibus inculcandis initium fecerunt Apostoli in praedicatione Evangelii, non tantum probabili ratione sumitur, νεοφυτοις primas notitias de patre et filio et spiritu sancto, quorum in nomen baptismum accepturi erant, traditas fuisse, verum etiam certius historia duce edocemur, eos a) semper praemonuisse auditores de Deo uno et vero, sive ad Iudaeos haberetur oratio, quibus non novum se sed patrium Deum colere profitebantur *Act.* 3, 13. 25. 7, 2. sq. 13, 16. sq. sive ad idololatras, quos ab impietate revocare primum tentabant, *Act.* 14, 15. 17, 23. b) deinde de Iesu ratione iterum diversa locutos esse pro auditorum religione veteri. Nam Iudaeis tantum demonstrabant, Iesum esse Christum seu Messiam, *Act.* 2, 36. 3, 18. 5, 31. 18, 28. 1 *Cor.* 2, 2. gentilibus, quibus Messiae expectatio nulla nomenque obscurum erat, rem uberius explanabant. *Act.* 17, 31. semper addita mentione c) resurrectionis Iesu l. c. *Act.* 13, 30. 1 *Cor.* 15, 3. sq. d) et remissionis peccatorum per eum promissae *Act.* 3, 26. 5, 31. 10, 43. 13, 38. 26, 20. Atque hic inprimis dignum, quod teneatur, Pauli testimonium priori ad *Thessalonicenses* 1, 9. 10. quorum laudat studium et obsequium, a primo adventu (εισοδω) institutionibus suis praestitum, tum *relicto idolorum cultu et fide in deum* (erant enim e gentibus) *unum* et verum, quibus discernebantur a gentibus: tum *spe in Iesum*, Dei filium, *e coelis rediturum*, cuius iterum et *resurrectionem* laudat (όν ἠγειρεν ἐκ νεκρων) et *beneficia* (τον ῥυομενον ἡμας ἀπο της οργης της ἐρχομενης *a poenis futuris.*) Hac fide a Iudaeis ἀπιςοις secernuntur. Haec sunt *quinque* capita, quibus θεμελιον ponebant, quasi elementa doctrinae Christianae, ut bene monuit ad h. l. MICHAELIS *in paraphrasi.* Addit quaedam alia, ritualia *Ebr.* 6, 1. dum praeter μετανοιαν ἀπ᾽ ἐργων νεκρων (*sceleris adversationem*), πιςιν ἐις θεον (*fidem de Deo uno*), ἀναςασιν νεκρων et κριμα αιωνιον (*poenas futuras*) adhuc recenset: διδαχην βαπτισμων et ἐπιθεσιν χειρων,

quae-

quaenam sit ratio baptismi, ritus initiatorii ad Christianismum, et *impositionis manuum*, qua doctores publici constituebantur. v. et *Act.* 20, 21. His igitur constitutis articuli primarii et fundamentales argumenti theoretici (nam de practicis seu morum pietate exercenda a cultore nominis Christiani nemo dubitat), quosque a quocunque Christiano teneri necessarium est, definiuntur:

1) Deus est unus, omnium rerum autor et rector summus.
2) Iesus est Messias seu Dominus omnium, filius Dei.
3) Iesus morti traditus in vitam rediit.
4) Ei debetur omnis spes immunitatis a poenis futuris.
5) Datur Spiritus Sanctus.
6) Legis Mosaicae observatio non est necessaria.
7) Mortui resurgent.
8) Conditio beneficiorum Christi obtinendorum est aversio a peccatis.
9) Baptismi ritu initiandi sunt Christiani.

Haec sunt, quae ita constituunt religionem Chr. ut, quisquis haec capita tenet, is traditae a Iesu religionis cultor habeatur iure suo: qui ullum eorum negat vel ignorat, frustra sibi vindicet nomen μαθητου χϱιϛου, unde *constitutivos* recte appelles. Sed quum tum demum veritas cognoscatur, cum vim et veram potestatem vocibus subiectam intelligamus, consequitur, ut, quid sit Deus vel Messias, quaenam poenae futurae, quarum immunitatem Iesus praestat, quid mortuorum resurrectio, intelligamus, ne in commune vitium incurramus multorum, qui formularum sonos potius memoriae quam ideas rerum animo impressas conservant nec in verbis, praeter verbum, aliquid cogitant.

Obs. 3. Ab elementis doctrinae christianae, quae paucis propositionibus absolvuntur, merito pergitur ad uberiorem ac clariorem cognitionem Dei et beneficiorum eius. Atque hic offerunt literae sacrae quasdam notitias, quae vel faciunt ad intelligentiam planiorem et certiorem primariorum dogmatum, vel

cum iis ita cohaerent, ut, si eas neges, ipsa primaria dogmata evertere vel concutere videaris, velut si quis neget, se peccatorum poenas mereri. Eas *articulos consecutivos primarios* vocare iuvat, quibus fundata disciplina exstruitur. Earum autem characteres, si delineare ausimus, fere sunt: si dogmata sint ab Apostolis serio et saepius proposita, si studiose propugnata, si gravioris momenti elogio insignita (v. c. 1 *Tim.* 3, 16.). Reliquae notitiae, quas ipsi ad τελειους pertinere iudicant v. c. caput de Christi sacerdotio, vel obscurius docent, vel per occasionem orationis attingunt, si quidem agunt de Deo eiusque operibus utilesque sunt ad sensus Christianos, quaeruntur a Christiano, veritatis addiscendae et scientiae promovendae cupido, at secundariorum ordine habentur. Si tandem nihil plane faciunt ad consilium doctrinae Christi, felicitatem et pietatem hominum, si non tam res ipsas, sed modum rei in ipsis S. literis haud declaratum, concernunt v. c. *quomodo* pater a filio differat? *quaenam* sit futura corporis forma post resurrectionem? ne articulorum quidem fidei numero habentur.

Obs. 4. Neque hoc loco praetereunda distinctio a SEMLERO (*Inst. rel. Christ.* §. 79. et 80.) proposita inter articulos fundamentales *universales* et *particulares*. *Illos* vocat capita religionis, quorum cognitione et professione Christianus discernitur ab infidelibus, paucos sane et planos: *hos* autem proprios seiunctis Ecclesiis, velut Lutheranae, Graecae, Nestorianae, novae quaestiones peperere, de modo intelligendi traditiones Scripturae sacrae, de notionibus, quae latent sub formulis Apostolorum, et rebus aliis, haud semper commodis ad promovendam caritatem. Nam ex iis potissimum subnatum novum malum αἱρετικοποιεια, exacta ad illas propositiones particulares, tanquam ad normam fidei certam et fallere nesciam, aliarum ecclesiarum vel hominum doctrina.

Obs. 5. Sed cum omnis illa divisio sit singularum proposi-

tio-

tionum systematis Christiani, caute regatur iudicium nostrum, ne quis totum caput, quod praeter propositionem fundamentalem, multas alias diversi ponderis amplectitur, fundamentale dicere ausit. Quis v. c. quanquam unum Deum profiteri essentiale sit et primarium in doctrina Christiana, eo progrediatur, ut omnia, quae systematum et doctorum arbitrio hoc loco tractantur, de definitione omnipraesentiae, personarum differentia etc. ad fundamentum fidei referat? Sed singularum dignitatem, dubiam interdum, infra discutiemus.

Obs. 6. Originem distinctionis inter Art. fid. fund. et non fundamentales a Iudaeis repetit I. H. HOTTINGER *Syst. theol.* L. I. p. 37. sq. Communis autem παιδειας τροπος autorem Nic. HVNNIVM theol. Lubecensem, agnoscit in *διασκεψει de fundamentali dissensu. Witt.* 1626. (Ed. 2. 1663.) quem reliqui ut ducem gregis sequuntur, CALOVIVS, MVSAEVS et eum eo, ut solet, BAIERVS. Difficile tamen, nedum temerarium, videtur, velle definire doctrinas homini creditu necessarias vel instruere nexum propositionum theologicarum cum causa salutis aeternae, vel excludere reliquos propter inscitiam vel dubitationem, quae saepe culpa caret, a spe felicitatis per Iesum partae. Itaque alii alios characteres articulorum fundam. delinearunt, esse partes doctrinae Christianae, quarum fidem sub conditione salutis exigunt in Scr. S.: alii; quae expressis verbis traduntur sacris literis: alii; quae Symbolo Apostolico (fides κατ᾽ ἐξοχην dicto) continentur: alii; quorum aperta est aliqua cum Christiana religione coniunctio. vid. DANOV. *inst. theol. dogm. Ien.* 764. §. 11. et I. A. DIETELMAIR *theol. Betracht. T. I.* p. 275. sq. I. A. TVRRETINI *disquis. de articulis fidei fundamental. Opp. Vol.* 2. *Lamb.* VELTHVSII *tr. de artic. f. fundam.* (T I. opp. — 825. Roterd. 1680.) I. FOSTER *essay on fundamentals*, Lond. 720. germ. *in brittischen Theologen T. II.* Hal. 1780. Digna quoque est, quae legatur ob historiam C. M. PFAFF *diss. de fidei Chri-*

stianae articulis fundamentalibus Tub. 718. Varia quoque lectu utilia exhibet G. G. ZELTNER *Diss. cur articuli fidei fundamentales non sint in Scr. S. pressius definiti*, Alt. 712.

§. 24.

De mysteriis.

Si quae notitiae rerum, quarum modus in intelligentiam humanam non cadit, clare docentur, *mysteria*, (usu ecclesiastico potius quam biblico) dicimus. Vtrum ea tradantur a Christo et Apostolis, rationibus hermenevticis efficitur: offendent autem neminem in religione, quae fidei legem cultoribus suis praescribit.

Obs. 1. Μυϛηριον in sacris literis simpliciter est *quaevis res occulta*, et adhuc hominibus ignota. Sic *Rom.* 16, 25. *Eph.* 1, 9. *Marc.* 4, 11. *Rom.* 11, 25. *Tob.* 12, 8. *Sirac.* 22, 27. 27, 19. 2 *Macc.* 13, 21. *Dan.* 2, 18. Chald. רז. Vnde μυϛηρια θεου *Sap.* 2, 22. *leges divinae revelatae* sunt, et 1 *Cor.* 4, 1. universa *religio Christiana*, alias μυϛηριον πιϛεως dicta. coll. *Matth.* 11, 25. Interdum tamen includit notionem magnitudinis (vide CASAVB. *Exercit. Antibaron.* 16. §. 43.) et sublimitatis, quae non capitur ingenio humano, 1 *Cor.* 15, 51. 1 *Tim.* 3, 16. De usu vocis Ecclesiastico alio loco dicendum erit.

Obs. 2. Duo sunt characteres veri mysterii religionis: alter testimonium sacrarum literarum de rei existentia haud ambiguum: alter iudicium ingenii humani, quod rei naturam non perspicit. Hinc consequitur, pro ingeniorum varietate eandem veritatem iam mysterii formam induere, iam apertam perspici.

Obs. 3. Equidem non eo progrediar, ut statuam necessitatem mysteriorum, sensu quidem strictiori, in revelatione, id tantum concedi optem, non esse, quod iis, si perspicue tradantur, offendamur. Nam primum dantur quoque naturae mysteria plurima, quae exercent ingenia neque tamen offendunt, et in qui-

bus

bus stultus et ridiculus recte habeatur ille, qui rem, auribus suis perceptam vel aliorum sensu cognitam, propterea infitietur, quod modum et causam eius ignoret omninoque aliquid incredibile in illa reperire sibi videatur. Dein quomodo alienum sit a religione, cuius summa fidem Deo debitam commendat et exercet, tradere notitias rerum, quae nec sub adspectum cadant nec intelligentia nostra in his infantiae angustiis possint comprehendi? *Ebr.* 11, 3. 1 *Cor.* 13, 9. 10. Denique si nulli rei locus in religione conceditur, quae non necessariis rationis conclusionibus intelligatur, eo ipso omnis significatio divina monitusque supervacaneus plane reddi abiicique videtur.

Obs. 4. Non docet horrere mysteria, sed revereri: nec ea scrutari pietas vetat, monet tamen, reverentiam praestare et acquiescere testimonio divino, si nihil contrarium notitiis certis naturalibus contineat. Ceterum cautione opus est, ne sublimiora capita simul augustissima et primaria in systemate doctrinae divinioris putemus.

Fr. WAGNER *Allg. Betrachtungen über die geoffenbarten Geheimnisse der Religion Hamb.* I. A. BVTTSTEDT *vernünftige Gedanken über die Geheimnisse der Christen. Wolfenb.* 735. *Gisbert* BONNET *diss. qua mysteriorum religionis ἀξιοπιςία ex naturae mysteriis adstruitur. Trai. ad Rhen.* 762. *C. Guil.* THALEMANN *prolus. de vitiis a studio res divinas humano ingenio accommodandi. Lips.* 774.

§. 25.

Transitus ad sequentia.

Sed in his capitibus tenendis, ne coniecturis vel coeca fide feramur, opus est, ut habeamus certa *principia* et *fontes* cognitionis Christianae, de quibus capite tertio iam agemus.

CAPVT TERTIVM.

DE FONTIBVS RELIGIONIS CHRISTIANAE.

§. 26.

Generatim.

Doctrinae Chriſtianae partes, traditae olim per Ieſum eiusque diſcipulos, fidos acceptae inſtitutionis cuſtodes et promotores (§. 18.) nobis tantum e libris aevi Apoſtolici innoteſcunt, ſicut Platonicae vel Socraticae ſapientiae decreta ſine dubio hauriuntur e ſcriptis, quae vel ipſi ſapientes vel aſſeclae eorum vel coaevi quicunque ſcriptores, ſi modo idoneos autores eſſe conſtiterit, ſine dubio conſignarunt, quorum quanto maior copia ſupereſt, tanto maior et copioſior nobis, de diſciplinae argumento et ambitu iudicandi, facultas conceditur. Simili igitur methodo utimur in cauſa chriſtiana et indagatione ſat gravi, quaenam illa veritas ſit, per Ieſum legatosque eius hominibus propoſita atque commendata, et *primum* conſulimus libros primorum doctrinae novae doctorum ſuperſtites; *poſt* aliorum, qui vel audierunt eos, vel ſub initia rei Chriſtianae vixerunt. Quum autem ſalutaris illa inſtitutio nec omnis nova fuerit, ſed decreta alia e libris antiquis Iudaeorum, alia e diſciplina naturali tanquam nota primis auditoribus et praeſtructa ſumat, nec ita abſoluta quin explicationibus et progreſſibus locus ſuperſit, pateſcit, librorum Iudaicorum ſacrorum et rationis uſum in addiſcenda doctrina Chriſti haud eſſe negligendum.

Obs. Trademus igitur sectione *prima* de *fonte* religionis Christianae *primario*, libris Novi Testamenti: reliquae de *fontibus secundariis* eorumque ad disciplinam Chr. habitu exponent, *secunda* de libris V. T. *tertia* de rationis usu, *quarta de traditione.*

SECTIO PRIMA.

DE LIBRIS NOVI TESTAMENTI.

§. 27.

Speciatim A) de fonte primario rel. Chr. s. Novo Testamento.

Corpus librorum, qui ex aevo Apostolico a primis religionis Christianae doctoribus conscripti ad nos venerunt, *novum testamentum* dicitur. Eorum, ut accurate versemur in hoc argumento, *primum historiam* et fata trademus, *post*, quum sint materia, qua prae omnibus utatur homo Christianus, persequens Iesu et Apostolorum sententias, *habitum ad religionem Christianam* exponemus.

Obs. 1. Proprie καινη διαθηκη ipsa religio Christiana dicitur (vide §. 4. Obs. 1.): at a Seculo inde II. transfertur nomen ad libros, quibus ea praecipue continetur, sicut Paulus 2 *Cor.* 3, 14. fontes disciplinae Iudaicae, Mosis libros, παλαιαν διαθηκην appellat. E graeco latini, minus apte, dixerunt *testamentum.*

Obs. 2. Libri superstites, 27 numero, dividuntur pro argumenti diversitate in *historicos*, qui origines religionis Chr. describunt, et *dogmaticos*, quibus doctrinae melioris partes traduntur. Ex *illo* genere sunt: Evangelia *Matthaei et Iohannis*, Apostolorum: Evangelium *Marci*, Petro familiaris: *Lucae*, Pauli per itinera comitis, qui et ipse per multas

regiones docuit, libri duo, Evangelium et Actus Apostolorum. Ad *hoc* referuntur *Epistolae* Apostolorum, *Pauli tredecim*, *vel* ad civitates, *ad Romanos una*, *ad Corinthios duae*, *ad Galatas una*, *ad Ephesios una*, *ad Philippenses una*, *ad Colossenses una*, *ad Thessalonicenses duae*, *vel* ad privatos, *ad Timotheum duae*, *ad Titum una*, *ad Philemonem una*, quibus additur *ad Hebraeos una*. Praeter Paulinas *septem catholicae* vel *canonicae* extant, *Petri duae*, *Iohannis tres*, *Iacobi una*, *Iudae una*. *E prophetico* genere *Apocalypsin* esse volunt.

Obs. 3. Apostolos alios quoque, praeter hos superstites, et plures libros, epistolas, narrationes exarasse, equidem plane persuadeor. Nam et Paulus laudare in epistolis suis quasdam deperditas videtur et Lucas post aliorum studia enarrandi vitam I. C. minime reprobata, se quoque simile opus aggressum esse profitetur. *Luc.* 1, 1 - 4. Neque admodum vero simile videtur, providentiam divinam et primorum religionis Christianae doctorum pietatem solicitam, quae Ecclesiis graece locutis, Asiae, Graeciae, Aegypti Latiique curam suam institutione scripta demonstravit et admonitionibus necessariis succurrit, reliquorum coetuum, quorum longe maior per Orientem, Persiam, Arabiam, Aethiopiam celebratur numerus, negligentiorem (absit verbo invidia) fuisse eosve libris suis sacris voluisse carere. Atque inerant forsan Evangeliis Nazaraeorum, secundum Aegyptios aliisque, quae temporis iniuria interiere ac in Ecclesiis orbis Romani autoritatem haud obtinuerunt, multa vere Christiana et ob antiquitatem librorum digna, quae aestimentur. Sed non adeo magnam res Christiana, iis amissis, iacturam fecit. E nostris enim libris integre conservatis, argumentum doctrinae Christianae potissimum satis eruitur.

§. 28.

§. 28.

c) *Historia librorum N. T.*

Ad *historiam* pertinet *authentia*, *origo divina*, *collectio in unum corpus* et *integritas* librorum, de quibus iam sigillatim videbimus.

§. 29.

1) *Authentia librorum N. T.*

Libros N. T. graecos autores habere eos, quorum nomina praeferunt, de plerisque ita tenemus, ut de nullius alius libri antiqui autore certius constet. Eam *authentiam* librorum dicimus.

Obs. 1. *Authentia*, cum de instrumento vel literis dicitur, apud ICtos est *autoritas*, quam alias ἀξιοπιςίαν appellant, sicque Glossaria exponunt, αὐθεντια, ἀξιοπιςία, βεβαιωσις. Hoc sensu CICERO ad *Attic. IX* 14. *X.* 9. αὐθεντικως narratum scribit, id est, sic ut fidem mereatur. Itaque tabulae *authenticae* sunt, quae fidem certam habent et indubiam, quarum de autore constat v. c. e. sigillo vel manu autoris, ut apud PAVLVM in *Digest.* 22, 4. 2. *de fide instrumentorum: Quicunque a fisco convenitur, non ex indice et ex exemplo alicuius scripturae, sed ex* authentico *conveniendus est.* Vnde authentica sunt, quae fide publica digna habebantur. Atque non dubitem (ut obiter hoc moneam), quin hoc sensu Vulgata Scr. S. versio latina declarata sit *authentica* i. e. ea, quae publice prae reliquis versionibus fidem mereatur, iuxta *decreta Concil. Trid. sess.* 4. (*p.* 8. *ed. Antuv.* 1586. 8.) *Insuper sancta Synodus, considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei,*

Dei, *si* ex omnibus Latinis editionibus, *quae circumferuntur*, *sacrorum librorum*, *quaenam pro* authentica *habenda sit*, *innotescat*, *statuit et declarat*, *ut haec ipsa vetus et vulgata editio*, *quae longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est*, *in publicis lectionibus*, *disputationibus*, *praedicationibus* pro authentica habeatur. (Rationem decreti inscitiam linguarum originalium V. et N. T. fuisse haud obscure prodit BELLARMINVS *de Verb. Dei L.* 2. 10.) Sed quam iniusta sit criminatio nonnullorum, qui Pontificiam Ecclesiam versionem Latinam textui hebraeo vel graeco aequiparare, nedum praeferre tradiderunt, ex hoc ipso loco patescit. Nescio, annon eodem significatu TERTVLLIANVS, loco satis celebri *de praescr. haer. c.* 36. (p. 45. *T. II. ed. Seml.*) laudet authenticas apostolorum literas, cum: *Age*, inquit, *percurre ecclesias apostolicas — apud quas ipsae authenticae literae eorum* (Apostolorum) *recitantur*, *sonantes vocem*, *repraesentantes faciem. Proxima tibi est Achaia*, *habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia*, *habes Philippos*, (*habes Thessalonicenses*): *si potes in Asiam tendere*, *habes Ephesum. Si autem Italiae adiiceris*, *habes Romanam*, *unde nobis quoque autoritas praesto est statuta:* quo de loco vide LARDNER *Credibility of the Gospel Hist. Vol.* 2. *p.* 598 — 606. et SEMLER l. c. Ceterum cum plerumque instrumentum authenticum opponatur adulterino, quod alium autorem habet, alium praefert, et vitiato, quod aliena manu corruptum integritatem et ἀξιοπιςίαν amisit, αὐθεντία libri ut demonstretur, tenendum, tum genuinum esse autoris opus, tum sincerum et incorruptum superesse. Nos quidem, qui de integritate N. T. sigillatim agemus, autoribus tantum suis libros N. T. hoc loco vindicabimus, quam αὐθεντίαν scriptorum ERNESTIVS quoque *Interpr. N. T. P.* 2. c. 1. dixit.

Obs.

Obs. 2. Vindicias αὐθεντιας repetimus a) ab argumento. Nihil enim in his libris reperitur, quod iustam suspicionem faciat, eos, alia quam qua creduntur aetate, aut ab aliis, quam quorum nomina praefiguntur, hominibus scriptos esse. Etenim quae complectuntur sive sacra sive profana, ea cum historia Seculi primi et ratione temporum, locorum, reipublicae tam Iudaicae quam Romanae, sacrae et civilis, plane concordant, neque ullum serioris aevi vestigium, quod in aliis scriptis suppostitiis fraudem ostendit, deprehenditur. Praeterea omnes libri characterem autorum, quibus tribuuntur, impressum habent: styli simplicitas testem fere prodit, qui praesens interfuit rebus, orationis structura Iudaeos, ἀγραμματους et ἰδιωτας: denique singulorum forma sermonis plane constans et cum ingenio autoris consentanea. Paulinum ingenium nemo per tredecim epistolas Paulo adscriptas desiderabit; qui Evangelium Iohannis scripsit, non potuit Petrinas Epistolas etc.

LARDNER *Credibility of the Gospel hist. cuius epitomen dedit* G. LESS *Wahrh. der Chr. Rel.* §. 1 — 13. I. D. MICHAELIS *Einleit. in die göttlichen Schriften des Neuen Bundes T. I. Ed.* 3. 4. *Goett.* 777. *Bern.* LAMI *Apparatus Chronologicus ad Comment. Harmoniae Evangelicae. Venet.* 735.

b) e consentientis antiquitatis autoritate, quae in hoc iudicio omnino gravissima est. Nam certe Hippocratis, Aristotelis, Ciceronis, Homeri libros unde quaeso, nisi antiquitatis consensu, ipsorum esse constat? Atque cum peritos arbitros non statim excludere videamus testes, qui multa post hos autores secula vixerunt, sed traditionis fidem agnoscere, ut de Homeri, Hesiodi libris: nos quidem testes plurimos non seriorum temporum, nec obscuros et credulos, sed antiquiorum, sed eorum, qui aetatem horum librorum attingunt, sed pro-

providos, sed adversarios doctrinae Christianae pro αὐθεντια librorum N. T. cur non audiamus? Sunt autem

α) *domestici* scriptores, quorum maxime intererat, veritatem cognoscere et quorum diligentia, adulterina a genuinis secernendi, multis exemplis monstratur (vide TERTVLLIAN. *de bapt. c.* 17. ubi refert Asiae presbyterum ab Apostolo Iohanne dignitate sua ideo exutum, quod Acta quaedam ad augendum Pauli honorem in lucem emisisset, et quae infra §.31. monebimus). Horum summam EVSEBIVS, lector veterum scriptorum diligens et cautus, exhibet ex ORIGENE, Seculi III. scriptore illustri per eruditionem et iudicandi solertiam, *Histor. Eccl. L.*6. *c.*25. (p.290. ed. Reading. Cantabr. 1720. fol. *p.* 369. *ed. Stroth*) ORIGENES εν τω πρωτω των εις το κατα ματθαιον ευαγγελιον, τον εκκλησιαϛικον φυλαττων κανονα, μονα τεσσαρα ἐιδεναι ευαγγελια μαρτυρεται, ὡδε πως γραφων. „ὡς εν παραδοσει μαθων περι των Δ ἐυαγγελιων, α και μονα αναντιρρητα εϛιν εν τη ὑπο τον ȣρανον εκκλησια του θεου, ὁτι πρωτον μεν γεγραπται το κατα τον — ματθαιον — γραμμασιν εβραϊκοις συντεταγμενον. δευτερον δε το κατα μαρκον, ὡς πετρος ὑφηγησατο αυτω, ποιησαντα — και τριτον το κατα λουκαν, το ὑπο παυλου επαινουμενον ευαγγελιον. επι πασι το κατα ιωαννην.„ Και εν τω πεμπτω των εις το κατα Ιωαννην ἐξηγητικων — ταυτα περι των επιϛολων των ἀποϛολων φησιν — (De Pauli Epistolis nihil finit). Πετρος μιαν επιϛολην ὁμολογȣμενην καταλελοιπεν. εϛω δε και δευτεραν· αμφιβαλλεται γαρ τι δει περι — Ιωαννου; ὁς ευαγγελιον ἑν καταλελοιπεν — εγραψε δε και την ἀποκαλυψιν — καταλελοιπε δε και την επιϛολην πανυ ολιγων ϛιχων. εϛω δε και δευτεραν και τριτην. επει ȣ παντες φασι γνησιους ειναι ταυτας. — Περι

της

της προς εβραιους επιςολης εν ταις ἑαυτου ὁμιλιαις ταυτα διαλαμβανει· ὁτι ὁ χαρακτηρ της λεξεως — ἐκ ἐχει το εν λογω ιδιοτικον του αποςολου — „ἐγω ἀποφαινομενος ἑιποιμ' αν, ὁτι τα μεν νοηματα του αποςολου ἐςιν, ἡ δε φρασις και ἡ συνθεσις ἀπομνημονευσαντος τινος τα αποςολικα — ει τις ουν εκκλησια εχει ταυτην επιςολην ὡς παυλου, ἀυτη ευδοκιμειτω και επι τουτω· ἐ γαρ εικη ὁι αρχαιοι ανδρες ὡς παυλου αυτην παραδεδωκασι. τις δε ὁ γραψας την επιςολην, το μεν αληθες θεος οιδεν. Accuratiorem autem pro suo tempore catalogum texit L. 3. c. 25. iuxta εκκλησιαςικην παραδοσιν (*traditiones antiquas*) p. 118. (158. *Stroth.*) ἐυλογον — ανακεφαλαιωσασθαι τας δηλωθεισας της καινης διαθηκης γραφας. Και δη τακτεον εν πρωτοις την ἁγιαν των ευαγγελιων τετρακτυν, ὁις ἑπεται ἡ των πραξεων των αποςολων γραφη. μετα δε ταυτην τας παυλου καταλεκτεον επιςολας, ἁις ἑξης την φερομενην Ιωαννου πρωτεραν, και ὁμοιως του πετρου κυρωτεον επιςολην. επι τουτοις τακτεον, ειγε φανειη, την αποκαλυψιν ιωαννου, περι ἡς τα δοξαντα κατα καιρον εκθησομεθα. Και ταυτα μεν εν ὁμολογεμενοις. των δ' ἀντιλεγομενων, γνωριμων δ' ὁμως τοις πολλοις ἡ λεγομενη Ιακωβε φερεται και ἡ Ιεδα, ἡ τε Πετρου δευτερα επιςολη, και ἡ ονομαζομενη δευτερα και τριτη Ιωαννου, ει τε του ευαγγελιςου τυγχανουσαι, ειτε και ἑτερου ὁμωνυμου ἐκεινω. εν τοις νοθοις κατατεταχθω και των παυλου πραξεων ἡ γραφη ὁ τε λεγομενος ποιμην και ἡ αποκαλυψις πετρου. και — ἡ φερομενη βαρναβα επιςολη, και των ἀποςολων ἁι λεγομεναι διδαχαι. ἐτι δε, ὡς ἐφην, ἡ Ιωαννου αποκαλυψις ἐι φανειη. ὁ ἡδη δ' εν τουτοις τινες και το καθ' ἑβραιους ἐυαγγελιον κατελεξαν — ταυτα μεν παν-

τα

τα των αντιλεγομενων ἀν ειη. Αναγκαιως δε τουτων ὁμως τον καταλογον πεποιημεθα, διακριναντες τας τε κατα την εκκλησιαςικην παραδοσιν αληθεις και ἁπλαςους και ἀνωμολογημενας γραφας, και τας αλλας παρα ταυτας, εκ ενδιαθηκους μεν, αλλα και ἀντιλεγομενας, ὁμως δε παρα πλειςοις των εκκλησιαςικων γινωσκομενας, ἱν᾽ ειδεναι ἐχοιμεν αυτας τε ταυτας και τας ονοματι των αποςολων προς των ἁιρετικων περιφερομενας. (ut Evangelia Petri, Thomae, Matthiae). Hos autem libros reiicit tribus characteribus, quia 1) nemo vir ecclesiasticus eorum memoriam iniicit: 2) dicendi genus differt ab Apostolico: 3) sententiae (γνωμαι) et opiniones in iis traditae ab orthodoxa aberrant. Itaque ϰδ᾽ ἐν νοθοις, inquit, ἀυτα καταϰτεον, αλλ᾽ ὡς ατοπα παντη και δυσσεβη παραιτητεον. Neque tamen unico teste, qui plurium scripta conquisivit, authentia nititur, sed antiquioribus, qui adhuc supersunt, et iam loca complura ex Apostolicis scriptis, laudato autorum nomine, in libris suis ostendunt, iam aperte hos libros ab iis conscriptos fuisse tradunt. IRENAEVS *adv. haer. L.* 3. *c.* 1. 1. CLEMENS *Alexandrinus*, TERTVLLIANVS, IVSTINVS MARTYR, alii.

R. SIMON *histoire critique du texte du N. T. Roterd.* 689. 4. (vers. German. Hal. 777.) LARDNER l. c. cuius compendium exhibet Ven. LESS l. c. §. 2 — 11. ROESLER *Bibl. der Kirchenväter T. IV. p.* 394 — 414.

Multo gravius est β) *haereticorum* veterum testimonium, qui secessione ab orthodoxis facta, seculo iam secundo libros Apostolicos reveriti sunt. *Valentinus*, teste TERTVLLIANO *de praescr. adv. haeret. c.* 49, *integro uti videbatur instrumento et ad scripturas materiam, sicut alii ad materiam scripturas, excogitasse* dicitur. Atque si Aegyptius ille

ille liber, *Sophia*, quem doctissimus WOIDE describit, (CRAMER *Beyträge zur Beförderung theol. Kenntnisse. Kiel. T. III.* 778. p. 84. sq Valentiniani ingenii foetus est, de quo equidem nolim refragari Cl. *Woidio*, eum e Iohannis quidem et Matthaei Evangeliis commenta sua firmasse, constat constaretque de pluribus, si, quod vehementer optamus, antiquissimi libri editio vel versio luci traderetur. *Basilidis* fragmentum, quod *Pauli* dictum ex *Ep.* ad *Rom.* 7. repetit, *Origenes* exhibet et ex eo GRABIUS *Spicil. Patr. T. II. Oxon.* 699. 8. *p.* 43. *Ptolemaeus*, Gnosticorum haud ignobilis scriptor, in *Epist. ad Floram* suam plurima ex Evangeliis (Matthaei fere) dicta Servatoris refert, *Pauli* quoque testimonio sese munit, locis Epistolae primae ad *Corinthios* (GRABE *l. c. p.* 77.) et *Ephesios* (p. 78). *Marcion Lucae* Evangelium et Epp. Pauli *decem* (nempe exceptis Epp. ad Timoth. et Tit. iuxta *Tertullianum adv. Marcion. sub fin.* et *Epiphanium adv. haereses*) adprobavit, repudiatis vel corruptis aliis. *Elcesaitae*, quorum antesignanus *Traiani* tempore vixisse dicitur, Evangeliis utebantur, reiecto Apostolo i. e. altera parte N. T. quae Epistolas continet. (EUSEB. H. E. 6, 38. p. 300.) Extant quoque *Heracleonis* fragmenta *Commentarii* in *Lucae* et *Iohannis* Evangelia. GRABE l. c p. 85. sq. Aliorum exempla passim apud *Irenaeum* extant, qui cum e nostris libris adversus Gnosticos argumenta struit, aut operam perdit inanem, si repudiatos libros pro divinis obtrudit, aut consentientes adversarios in autoritatem librorum christianorum habuit. Sed illi quoque, qui depravare conati sunt integra exempla, *Artemon*, *Marcion*, *Tatianus* et alii, autoritatem librorum atque authentiam confirmant. Nunquam enim credibile est, eos corrupisse libros atque, ut faverent erroribus suis, permutasse, nisi in ipsis libris per Apostolicam autoritatem impietatis praesidia fuissent quaesita.

Quin et γ) hostes doctrinae Christianae, impugnantes doctrinam, his libris proditam, suo tempore eos extitisse docent,

 quod

quod iam CHRYSOSTOMVS agnovit homil. 6. in 1 *Cor.* Ἱκανοι δε και οἱ καθ' ἡμων ειρηκοτες την ἀρχαιοτητα μαρτυρησαι των βιβλιων, οἱ περι κελσον και τον βατανεωτην (*Porphyrium*, patria Basanensem) τον μετ' εκεινον. Ου γαρ δη τοις μετ' αὐτους συντεθεῖσιν αντελεγον. CELSVS plura ex Evangeliis et Epistolis loca profert ac reprehendit. *Porphyrium* vel Malcho, Celso inferiorem aetate, natus enim est A. 233. aerae Chr. sed eruditione superiorem, graviter invehere in Evangelia Matthaei, Marci, Iohannis, Acta et Epistolam ad Galatas, fragmenta eius testantur a LARDNERO collecta in libro: *Collection of Ievvisch and Heathen testimonies* T. III. 166 — 183. nec ullum eorum librum autoribus suis abiudicat vel ut suppostitium damnat. IVLIANVS denique, acerrimus impugnator, qui iuvenis hos libros publice etiam legerat, non audet authentiam librorum sed argumentum lacessere.

δ) Accedit versionum Syriacae et Latinae antiquitas, secundo, Aethiopicae et Gothicae, tertio et quarto seculo editarum; unde authentica scripta ea iam aetate fuisse composita evincitur.

Neque praeteream probabile argumentum, quod ε) e stylo librorum N. T. deduxit I. D. MICHAELIS *Einl.* p. 45. Fac adulterinos esse libros: quis ergo composuit? Homo sane callidissimi ingenii et ad fraudes vaferrimi, qui cavere potuit, ne quid obreperet aetatem prodens, qui antiquum reipublicae Iudaicae statum penitus cognovit et orationem ita componere potuit, ut videretur plurium ingenio accommodata imitareturque Iohannis brevitatem, Pauli dialecticam, Petri fervorem, Lucae mixtum dicendi genus? At unde dictionem hebraeograecam, qua a seculo secundo nullus scriptorum Christianorum utitur, didicit? Itaque eam quoque imitatum fuisse fraude dicamus tam tecta, tam felici, qualem nullus unquam falsarius exercuit?

Obs. 3. Neque vero aut dubitatio quorundam coetuum, aut haereticorum veterum libros eos Apostolis abiudican-

tium

tium criminatio testes authentiae retundit. Nam illa per se demonstrat, quanta solicitudine caverint Ecclesiae, ne adulterinis libris deciperentur, et cessit autoritati aliorum coetuum. Itaque HIERONYMVS (*de vir. illust. T. II.* opp. p. 829.) tradit: *Epistola Iacobi ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit autoritatem* (κατα βραχυ τον χρονον προϊοντος αυθεντιας τινος επελαβετο). Similiter *Epistolam ad Hebraeos*, quam quidam teste *Steph. Gobaro* ap. PHOTIVM *Cod.* 232. ut Paulinum agnoscere repudiarunt, EVSEBITS *H. E. VI.* 25. ab αρχαιοις Paulo tribui pronuntiat. In hac autem clarum est, aut adversus suffragium commune ecclesiae Apostolicae parum valere autoritatem coetuum, qui neminem Apostolum conditorem haberent et Iudaicis, opinionibus faverent et in repudiandis libris parum concordes essent, aut nihil nisi impietatis perfugium quaesitum aut reiectam potius librorum autoritatem, quam de autore dubitatum fuisse, aut serioris aetatis testimonia haud valere contra antiquitatis traditionem. cf. MICHAELIS l. c. p. 4. qui praecipue *Fausti Manichaei* commentum refellit. Minime omnium audienda recentiorum Deistarum, frequentiam piarum fraudum in prima Ecclesia et similia iactantium, temeritas, in quo non quid factum sit, historicis argumentis legitime colligunt, sed quid fieri potuerit, temere coniiciunt: quod est potius cupide optantis, quam recte et subtiliter docentis, ut verbis utar Ven. ERNESTII *Inst. interpr. N. T. p. m.* 91.

Obs. 4. De autore *Apocalypseos* antiquissimis temporibus iam a secundo seculo disceptatio sic viguit, ut certi quidquam de ea statuere non ausim, sive historicae rationes valeant, sive aliae, ex argumento petitae. Quam litem quum suo tempore EVSEBIVS, iudiciorum antiquissimorum arbiter studiosissimus, noluerit dirimere, nobis, qui fere eius testimoniis unice ducimur, eius finiendae arbitrium non arrogamus. Defensores authentiae nacta est

gravissimos *Leonh.* TWELSIVM *Vindic. Apocalyps.* (Lat. in WOLFII *Curis exeg. in N. T. T. IV. p.* 387. *sq.* *Ier. Fr.* REVSS *diss. de autore apocalypseos*, inserta *opusc. eius Theol. Tub.* 758. *Fasc.* 1. *p.* 159-263. C. F. SCHMID *ob die Offenb. Ioh. ein göttlich Buch sey? Leipz.* 771. 8. *Die Apocalypse gerettet wider falsches Lob und falschen Tadel. Partes IV. Lips.* 1780. *sq.* Contra pugnarunt (OEDERVS) *Christlich freye Untersuchung über die Offenbarung Ioh. Hal.* 769. (STROTH) *Freymüth. Unters. die Offenb. Ioh. betr.* (cum praef. SEMLER 771. Hal.) I. S. SEMLER *neue Unters. die Offenb. Ioh. betr.* 777. MICHAELIS *Einleitung in das N. T.*

Obs. 5. E diversis antiquiorum Ecclesiarum de singulorum librorum authentia iudiciis subnata Eusebiana (v. supra obs. 1. a. α p. 63.) librorum Christianorum divisio in ὁμολογουμένους, (ἀναντιῤῥήτους, ἀναμφιλέκτους) quorum de autore nullo tempore, nulloque a coetu, catholicae doctrinae addicto, dubitatum fuit: ἀντιλεγομένους, quorum αὐθεντια et autoritas, haud tamen negata antiquitate, alicubi et aliquandiu in quaestionem venit, vincente tamen plurium suffragio agnosci debuit: et νοθους, *spurios*, quorum *duas* classes constituit: alteri tribuit scripta, quae, nescio quonam autore, sub praetextu nominis Apostolici conficta et a paucis laudata, nihil tamen fidei christianae adversum continent: alteri compilata ab haereticis, Apostolorum nomine, ut impietati suae fidem conciliarent, abutentibus (δυσσεβῆ et ἄτοπα). Reiectis spuriis, nostri eandem divisionem, mutato tamen nomine, repetunt, atque ὁμολογουμένους *protocanonicos*, ἀντιλεγομένους *deuterocanonicos* appellant.

Obs. 6. *Graecum* porro textum esse authenticum, de plerisque non minus liquido constat testimoniis antiquitatis. *Matthaeum* tamen hebraice scripsisse, est communis veterum traditio, cui non refragabimur, si quod probe monuit Ioh. BARSALIBAEVS *Praef. in Matthaeum* (ap. *Assem. B. O.* T. III. p. 8.) hebraicum pro Syriaco dicitur ex more veterum. V. MICHAELIS

Einl

Einl T. 2. contra pugnante MASCH *Abhandl. von der Grundsprache des Ev. Matthaei, Hal.* 755. et *Progr. Lips.* 764. Ceterum omnes a seculo secundo, qui laudant Matthaei loca, ea e graeco nostro exemplo petunt, *Origenes* quoque, et eadem traditio, quae hebraeum facit authenticum, ab alio viro sacro graece conversum Evangelium docet. De *Marci* latino textu inanis quidem BARONII (*annal. Chr. ad ann.* 45.) coniectura est eaque fabula hodie nemini arridebit, post origines Evangelii Marci Latini, quod partim Venetiis partim Pragae adservatum apographum Evangelistae esse iubent, nuper detectas Veneti exempli a *Laur. a Turre ep. ad Blanchinum.* (BLANCHINI *Evangelistarium quadruplex. Venet.* 749. T. 2. p. 543.) vide quoque SCHOEPFLIN *tr. de Ev. Marci Codice apud Venetos, inserta Tom. III. Actorum Acad Palatinae*, Pragensis autem a *Iosepho* DOBROWSKY Pragae 1778. 4. Ceterum hoc non est, quod multi volunt Baronii inventum, sed longe antiquioris scriptoris Syri, EBEDIESV traditio: *Marcus Romane locutus est in celeberrima Roma.* (catal. scr. syr. ap ASSEM. l. c.) *Iohannis* Evangelium SALMASIVS (*de hellenist.* p. 251 sq.) *Iacobi* librum I. M. FABER Syriaco idiomate consignatum fuisse defendunt, per coniecturas, quibus in hoc genere nihil fallacius reperitur. De Epistola denique *ad Hebraeos* hebraice primum scripta, CLEMENTIS quidem, decepti, ut videtur, nomine libri ap. *Euseb. H. E. VI.* 14. ipsiusque *Eusebii* ac nuper Ill. MICHAELIS, sed nullis certis argumentis nixa opinio fuit. v. I. S. SEMLER *diss. quod graece Epistolam ad Hebraeos Paulus exaraverit* Hal. 761. I. HARDVINI autem commentum (*comment. in N. T. Amst.* 741.) plerosque libros N. T. latino sermone ab Apostolis in lucem emissos fuisse, dudum a peritis artis critices viris, qui in hoc genere testimoniorum fidem, omissa coniecturarum levitate, quaerunt, damnatum et proscriptum fuit. *S. Iac.* BAVMGARTEN *diss. vindiciae textus graeci N. T. contra Harduin. Hal.* 742. MICHAELIS *Einl, T. I. p.* 99 - 108.

§. 30.

2) *Origo divina.*

Iam si constans antiquorum ecclesiae doctorum traditio autores librorum istorum ostendat Apostolos, quibus non tantum demandata fuit provincia, tradendi religionem divinam, verum etiam promissio obtigit, fore, ut per Spiritum Sanctum vimque divinam doceantur omnia quae pertinerent ad historiam et disciplinam Christianam *Ioh. 14, 16. 16, 7-15.* (§. 18. Obs. 2.): non est dubium, quin omnia capita religionis in scriptis eorum tradita ad Spiritum sanctum referri debeant atque, cum eius institutio (*inspirationem* vocant *2 Tim. 3, 16.*) qualiscunque tandem fuerit, (nam modum eius etiam e dictis *2 Pet. 1, 20. 1 Cor. 2, 6. Matth. 10, 19 20. Luc. 21, 15.* definire velle, difficillimum videtur) divina esset, *Ioh. 16, 13. divina* iure habeantur. *Matth. 16, 19. 1 Pet. 1, 12. 1 Thess. 2, 13. 1 Cor. 2, 6. sq.*

Obs. 1. Haec tenere librosque hos, *quorum de authentia constat*, ut sacros i. e. ut veritatis salutaris, qua nihil sanctius et antiquius menti humanae esse potest, fontem ac promtuarium, revereri, satis est pro pietate Christiana, ad quam e disputationibus scholasticis de modo, quo divini facti sint, vile, ut puto, lucrum redit. Vere *Aug.* CALMET *diss. in S. Scr.* statim laudanda, *Dummodo*, inquit, *de re praecipua, nempe Scripturas omnes inspiratas esse* (vel potius, doctrinam his literis integre traditam divino beneficio obtigisse hominibus) *conveniamus, consentaneum videtur, ea nobis potestas fiat, ut quod vero similius ducimus, de inspirationis ratione pro lubito cogitemus.* Veteres quidem ecclesiae doctores nunquam ex idea aliqua inspirationis divinam sacrarum literarum autoritatem deducunt, sed ab authentia et consensu cum regula fidei antiqua. Ac si persuasi fuissent, Marcum Lucamque virtutis divinae operatione fuisse contra

tra omnem errorem praemunitos, equidem vix intelligo, eccur non solum solicite tradant, eos nihil aliud in scripta sua retulisse, quam quod ab Apostolis audiverant, verum etiam tria Evangelia Iohanni, ut ea confirmaret suffragio et autoritate sua, oblata fuisse profiteantur? vide infra Obs. 4.

Obs. 2. Ceterum *modus*, quo Deus vel Spiritus divinus instituit Apostolos idoneosque fecit ad instruendas notitias, dicitur θεοπνευςια vel inspiratio, de qua post multorum controversias nuper exortas et tentamina paucis disseremus.

a) Vox θεοπνευςιας, cuius cognatum θεοπνευςος 2 *Tim.* 3, 16. extat, optime redditur e linguarum analogia *afflatus divinus*, quem Graeci et Latini oraculis, vatibus et poetis tribuunt, phrasi רוח יהוה עלי plane consentanea. Sed ex usu loquendi, primario ac tutissimo potestatis vocum magistro, docemur, afflatu divino actos dici, quorum sensus in animo exortos sermonemque, in quem erupit mens vehementius concitata, ad vim Dei alicuius referendam esse iudicarent, inprimis in poëtis. Illustris locus est CICERONIS *pro Arch.* 14. *Accepimus, ceterarum rerum studia et doctrina et praeceptis et arte constare: poetam natura ipsa valere et mentis viribus excitari et quasi divino quodam spiritu afflari.* Dignus quoque, qui conferatur VIRGILIVS Aen. 6, 50. et 3, 358. et HORAT. L. 4. *Carm.* 6. Haec vis sententiae firmatur simili formula, Φερεσθαι ὑπο πνευματος ἁγιου 2 *Pet.* 1, 21. πνευματοφορος *Hos.* 9, 8. *Zeph.* 3, 5. θεοφορεισθαι, *divino impetu* ferri, *rapi*, et aliis, quibus omnibus significatio inest vehementioris adfectus, a numine concitati, qui disertum faciat. Neque dubito, quin nomen θεοδιδακτος *Ioh.* 6, 45. 1 *Thess.* 4, 9. cognatum sit τῳ θεοπνευςος, uti bene exposuit KOPPIVS ad 1 *Thess.* 4: scriptores quidem olim ecclesiastici utrumque epitheton permutant et θεοδιδακτους ἀποςολους *Athenagoras* dixit. Divinitus autem

tem edoctum scimus eum, qui veritatis divinae vi compulsus aliquid agit. Omnis igitur mentis concitatio, quae oritur a Deo, sive per directam numinis operationem, sive e mente, numinis admiratione vel cultu adfecta et a veritate, quae divinitus obtigit hominibus, θεοπνευςια ex usu loquendi dicitur.

b) Sed age, ut figamus, quoad licet nihil tale expertis, notionem *inspirationis*, dispiciamus, quaenam partes in institutione virorum θεοπνευςων Deo vel Spiritui sancto a scripturis sacris vindicentur. Illustris prae reliquis locus *Petri* 2 *Ep.* 1, 20. cum prophetiarum studium commendat, adversus ψευδοπροφητας, qui tum turbarent ecclesiam, addito argumento: *nullius vaticinii interpretatio dari potest ab autoribus* (ἐπιλυσις usu venit in *declaratione* ac *interpretatione rei obscurae*, problematis, somnii, ut επελυσεν *Gen.* 41, 12. apud Aquilam, ubi in Hebr. est פתר, aenigmatis, oraculi, monstrante L. BOS *in exercit. philol.* deinde in interpretatione vel explicatione sacrarum literarum apud PHILON. *de vita contempl.* p. 901. A., et in loco CLEM. *Alexandr.* in *Caten. in Marc. Possin* p. 13 ουκ ειμι αξιος τα εις αυτον ειρημενα προφητικα αινιγματα επιλυσαι. *Marc.* 4, 34. v. et *Act.* 19. 39. neque ullo, quoad scimus, loco *inventionem* (Erfindung) notat, ut olim b. ZACHARIAE *biblicae Theologiae* T. I. p. 53. et ex eo MOSCHE *in Bibelfreund* T. II. p. 30. vertere tentarunt. ἴδια ἐπιλυσις est *explicatio*, *quae venit ab autore libri* vel vaticinii: unde sensus efficitur: nemo vatum divinorum apertum habet dictorum suorum sensum. vide 1 *Pet* 1, 10—12.) Subiungitur causa v. 21: *nullum enim vaticinium editur*, θεληματι ανθρωπου, *consilio et inventione humana* (sic Graeci ponunt *Ier.* 3, 27 ἐν τω προφητευειν τα θεληματα της καρδιας αυτων). Nam qui sui ingenii foetum edunt, animi sui sensa claris verbis et perspicuis exponere possunt: quod non est in propheta, cuius nullum est arbitrium nec solertia

tia in proferendis sententiis: *sed viri divini* quotquot fuere *prolocuti sunt acti a Spiritu S.* Hinc colligitur, virtutem inspirationis *in vate* tollere consilium humanum et spontanea ingenii exercitia. Ceterum v. infra §. 42. obs. 2. Aptior ad hoc argumentum Pauli declaratio de muneris sui ratione reperitur 1 *Cor.* 2, 6. sq. ubi negat se sapientiam artibus dialecticis docuisse. Nam doctrinam ipsam, inquit, qui per se sciret, fuisse neminem, a spiritu divino, qui omnia divina intime noscat, sibi revelatam: (v. 6—12.) huius autem revelationis ductu, affirmat, se tradere Evangelium sermone, quem Spiritus Sanctus doceat, (ἐν διδακτοις πνευματος ἁγιου λογοις) vel submonente Deo loqui. Rerum igitur, quas proponit, sublimitas a Deo originem ducit, sed quum rerum ideae non possint vel informari in animo vel e mente quasi in publicum prodire, nisi verbis; patescit, duplex fuisse opus Spiritus S. in animo Apostoli, alterum, ut notitias, alterum, ut verba, commoda rebus exprimendis, ei inseverit. Haud repetemus promissiones novi doctoris, quas a Iesu Apostolis datas superius §. 18. Obs. 2. exposuimus, in quibus auxilium Spiritus S. ponitur *primum*, fore, ut memoriam adiuvet ad tenendas res olim auditas, *post*, ut novas notitias et uberiores disciplinae Christianae, consentaneas tamen prioribus, ad eos deferat (quam *revelationem stricte dictam* nostri dicunt). Vnum addam e *Matth* 10, 19. 20. *coll. Luc.* 12, 11. 12. 21, 15. Prohibet Iesus suis, ad iudices vocatis in causa Evangelica, solicitudinem, quae defensionem praemeditatur orationemque studiose ornat componitque, monens: *imparatis quoque vobis opportuno tempore dabitur* (διδοναι autem saepissime significat *tradere, docere*) τι και πως λαλησητε (*materia et modus defensionis*) vel ut est *Luc* 21, 15. σοφια *consilium* loquendi et ϛομα, *orationis felicitas* ac παρρησια *Act.* 4, 29. Finiam denique loco obscuro quidem, sed post Ven. NOESSELTI operam, qui *Programmate Hal.* 775. edito eundem illustravit, clarissimo

2 *Cor.* 4, 6.: *Deus qui post tenebras iussit lucem emergere, idem* (ὅς pro οὗτος ut *Rom.* 16, 27.) *ille collustravit* (λαμπειν, alias φωτιζειν *illuminare*, vide *Eph.* 3, 8. quod fit institutione, sed illa immediata fuit et creationi similis,) *animum nostrum* (nempe Apostolorum) *ut nos quoque doceremus alios maiestatem divinam, quae cernitur in Iesu Christo.* Deo igitur intervenien-te acceperunt Apostoli doctrinam ad alios propagandam. Ex his itaque locis, quae auxilii divini, Apostolos adiuvantis, mentionem faciunt, intelligitur, primo ad Deum referri sensus pectorisque, quod semper disertos facit, motus, quum vi veritatis divinae compulsi proloquerentur, quidquid utile atque auditorum animis percellendis aptum iudicarent. Aperte in hanc rationem CLEMENS *Alexandr. L. I. c.* 3. το φιλτρον ενδον εστιν ἐν τω ανθρωπω, τουθ' ὅπερ ἐμφυσημα λεγεται θεου. Eos tamen, utut orationem longe praestantissimam et efficacissimam, sententiarum frequentiam et elegantiam, verborumque copiam et ornatum etiam non quaesitum gignunt, diligentia et studio Apostolorum naturali exortos fuisse, mihi quidem non persuadeo. Nam in omni sensu legitimo, nisi notitiae certae quasi praestructae sint, quibus excitetur et regatur, fallax et dubium est iudicium, neque sensus religionis fidelis veritatis inventor, sed veritas, primum accepta et tradita menti, sensuum mater habetur. Nec ego Apostolis, quorum prima cognitio plurimis naevis praeiudicatisque opinionibus turbata fuit, quodsi e sensibus suis et pietate Christiana sine aliis adminiculis et directoribus loquerentur, certam fidem, quam equidem mere humanis, utut piis, iudiciis regi nolim, vel tribuere ausim vel vindicare. Denique praeter hos impetus mentis piae per doctrinam Christianam excitatos, scripturae sacrae, prout vidimus, maiora ac diviniora adiumenta doctoribus Christianis obtigisse tradunt. Quodsi plurimi a Deo quoque, exclusis humani ingenii artis, sapientiae, ac meditationis propriae subsidiis, ideas rerum ignota-

rum

rum verborumque delectum pependisse docent, qua re, sublata plane errorum suspicione, exstruatur fidei, quae Apostolorum λογον reveretur ut λογον θεου, fundamentum firmissimum, cavendum primum erit, ne huius directionis divinae virtutem latius, ac promissio Christi literarumque sacrarum permittit testimonium, extendamus; pertinuit enim ad apostolatus munia feliciter obeunda, ad causam Christianam, sive voce sive scriptis promovendam: ad privata autem officia peragenda directione divina eos gravisos fuisse, nullibi legimus. Praeterea observare licet autores in editione librorum sacrorum non modo historias ab experientia sua atque testimonio virorum αὐτοπτων repetere earumque fidem a conscientia sua atque diligentia, nec, ut alias, a Spiritus S. admonitione firmare, *Ioh.* 19, 35. 1 *Ioh.* 1, 1. *Luc.* 1, 1 - 4. *Rom.* 9, 1. 2 *Cor.* 11. 31. 12, 2 *Pet.* 1, 16. 17. verum etiam cum praecipiant, laudent, reprehendant, suo nomine scribere atque dicta sua per studia ecclesiarum erga se commendare. 1 *Cor.* 7, 12. Porro omnibus N. T. libris authenticis character ingenii autoris altius imprimitur omnisque oratio eo dictionis genere describitur, quod maxime familiare videtur scriptori, cui tribuitur, per patriam animique indolem et studia. Quin Matthaei narrationes a Marco per compendium repeti, Iudamque in epitomen redegisse Petri epistolam alteram, iisdem, quibus Petrus, verbis usum, luce clarius patet, sicut olim ex Esaia 15, Ieremias 48, e Ieremia 49. Obadias sententias prolixas, Ezechiel ab Esaia imagines illustres, Daniel a Davide carmina atque Apocalypseos autor e propheticis Ezechielis et Danielis imaginibus mire compositas visiones sumunt. vide et 1 *Cor.* 1, 14 - 16. 1 *Cor.* 7, 10. 40. Ad haec ακριβειαν dictionis nec in dogmatico argumento nec probationum delectu nec rerum gestarum expositione conservari videmus, ut solet in libris ingeniisque vulgaribus laudique eruditionis ac studiose meditatae orationis haud inhiantibus. Quare non dubito, quin in autoribus

bus librorúm ſacrorum minime ſublatum ſit, dum exararent monumenta ſua, omne virium ſuarum exercitium, ut ſit in tibia inflata, vel amanuenſi, atque, ſi qua in his Sp. S. virtus cernitur, ea rectrix potius et adiutrix idearum fuerit, quam excitatrix. Nec enim Deus directa vi id efficit, quod citra miraculum per vim humanam eiusque uſum legitimum effici potuit.

c) Modum autem actionis ipſius, qua Deus rexit Apoſtolorum memoriam, ingenium, ſenſus ac orationem, declarare ductisque quaſi limitibus finire, quaenam partes Apoſtolorum fuerint in compoſitione librorum et epiſtolarum, quaenam Spiritus S., temerarium eſſet, niſi quis coniecturis, quarum ſemper et ferax fuit theologorum ingenium et iudicium relinquitur liberum, malit indulgere. Sufficiat tenere, doctores Evangelii primos nunquam in inſtitutione religionis, ſive hiſtorica capita, ſive doctrinalia tractaverint, egiſſe vel ſcripſiſſe ſine numine et inſtitutione divina, a qua nihil niſi ſanctum et ratum venit. Qui ulterius ſapere auſint, periculum eſt, ne rem implicatam impediant magis quam declarent.

Obſ. 4. Nec iam opus eſt, ut multis demonſtremus, Deum providiſſe viris ſanctis, ut, quotiescunque religionem tractarent, ſemper veritas menti eorum obverſaretur. Namque a) promiſſum erat Sp. S. auxilium *Ioh.* 14, 16. 17. 16, 7-15. (vide ſupra § 18. Obſ. 2.) Adhuc b) *ſi ad iudices praeteritura verba facturis* (ut bene monuit E. I. DANOV. *Inſt. th. dogm.* §. 28. Obſ.) *adflatu divino erat proſpiciendum, ne inepta loquerentur. Matth.* 10, 19. 20. *Luc.* 21, 15. *quanto magis manſura ad omnem poſteritatem ſcripta edituris, ne humano generi graviſſimorum errorum autores exiſterent. Nempe quantum in illo genere momentum habebat periculi* praeſentia, *tantum in hoc habuiſſe* gravitas *cenſenda eſt.* Accedit c) Ieſum ſuis tantam ſpopondiſſe autoritatem, ut, ſi qua inſtituta decernerent legesque promulgarent, ea a Deo rata haberentur,

Matth.

Matth. 16, 19. 18, 18. ubi *solvere* ex usu Chaldaeo i. q. *permittere*, et *ligare* significat *probibere alicuius rei*, inprimis ceremonialis, *usum*, vide *Lightfoot ad h. l.* Itaque viri divini promissionibus sanctis freti sensuque virtutis divinae perculsi d) orationes suas et decreta ad Deum autorem referunt. 1 *Pet.* 1, 12. 1 *Cor.* 2, 13. (vide Obs. 1, a) *Gal.* 1, 11. 12. 1 *Cor.* 7, 40. 1 *Thess.* 2, 13. ac Petrus Pauli quidem epistolas γραφαις i. e. libris sacris 2 *Pet.* 1, 19—21. accensere non dubitat 2 *Pet.* 3, 16. vide I. G. TOELLNER *die göttliche Eingebung der h. Schrift untersucht. Lindau und Leipz.* 771. 8. MICHAELIS *Einleitung* T. I. p. 71. ZACHARIAE *bibl. Theol P. I.* 62. *sq.* Quod alii adducunt *testimonium Spiritus S. internum et externum Ecclesiae*, merito in causa nostra reiicitur. Illud enim, quale supra p. 16. descripsimus, valet tantum pro origine divina *doctrinae* Christianae, quae in his monumentis conservatur. Huic autem equidem minime virtutem tribuere ausim. Namque ecclesia non potuit cognoscere de motibus, in animo Apostolorum concitatis, nec testis esse θεοπνευςιας, quae propria experientia propriisque autoris sensibus constat. Praeterea veteres Ecclesiae doctores liberalissime scriptis antiquis, humanisque, v. c. Pastori Hermae, Ignatii etc. nomen θειων et θεοπνευςων largiri videmus, qua re efficiunt, ut diffisi fere splendidis eorum compellationibus non statim afflatu divino consignatos arbitremur, quoscunque hoc nomine ab iis laudari cernimus. Neque omittenda videtur observatio, non posse ex his dictis, quae laudavimus, adstrui vel diiudicari, utrum iis quoque, qui orationes θεοπνευςους literis mandarent, afflatus divinus contigerit. Ceterum ne quis scripta *Marci* et *Lucae*, ad quos promissio Christi *Ioh.* 14, et 16. *Matth.* 18, 18. vix pertinuit, minus divina reliquis existimare possit ideoque deprimere, (quamquam si quis id ausus fuerit, absit periculum et iniuria, dummodo de fide scriptoris et de θεοπνευςια doctrinae con-

constiterit) satis cavit traditio Ecclesiastica. *Marcum* enim Petri θεοπνευςου dicta repetiisse, antiquissimi testes referunt. IRENAEVS *adv. haer. L.* 3, 1. μαρκος μαθητης και ἑρμηνευτης Πετρου και αυτος τα ὑπο πετρου κηρυσσομενα εγγραφως ἡμιν παρεδωκε. CLEMENS autem *Alexandr. Hypotypos. L.* 6. (apud EVSEB. *H. E. L.* 1, 15.) *auditores Petri*, inquit, *non contentos auditione et doctrina* ἀγραφω, *Marcum, Petri comitem, orasse, ut scriptum traditae viva voce doctrinae monumentum apud se relinqueret. praecibusque suis coegisse tandem*(ατειναι και κατεργασασθαι τον ανδρα) *ut cedens desideriis consignaret Evangelium.* (Vbi igitur ille ad scribendum *impulsus* internus, quem alii *primam* inspirationis partem confingunt?) *Apostolum autem, cognito facto, per revelationem Sp. S. auditorum studiis* (προθυμια) *delectatum, ratum habuisse librum* (κυρωσαι) v. quoque PAPIAE fragm in GRABII *Spic. patr. T. II. p.* 32. *Lucam* perhibent *hausta veritate* εκ της ἁμα παυλω συνεσιας και διατριβης, και της των λοιπων αποςολων ὁμιλιας (EVSEB. H. E. L. 3, 24. *p.* 113.) *Pauloque adprobante Evangelium edidisse* Quin Iohannem θεοπνευςον, *allata sibi a presbyteris Ephesi Matthaei, Marci et Lucae Evangelia*, aiunt, *recepisse, ut fide digna* (αποδεξαντα, cuius oppositum αθετειν) *atque ut vera laudasse* (αληθειαν αυτοις επιμαρτυρησαντα), suffragante EVSEBIO l. c. Itaque si vel maxime pia et provida privatorum hominum cura compositi fuissent libri, tamen probati autoritate virorum θεοπνευςων, fidem divinam promererentur. His igitur praestructis tenemus, Deum vel Sp. S. autoribus sacris, cum tractarent causam religionis Christianae, affuisse, ita quidem, ut si docerent vel consignarent res gestas vel dicta Iesu, memoriae vires sanas conservaret, si novis opus esset iudiciis vel consiliis, nova revelatione eosdem afflaret, si denique, quae ipsi gesserant, referrent, animum veritatis integre

tegre tradendae studio per vim disciplinae Evangelicae regeret.

Obs. 5. Ad historiam *theoriarum* de inspiratione utilia multa tradunt *Aug.* CALMET *proleg. et diss. in Scr. S.* (*ed. Mansi. Lucae* 729. *fol. T. II. p.* 292.) *R.* SIMON *hist. critique du N. T. chap.* 23—25. *p.* 272. *I. Gottl.* TOELLNER *l. c. Einleitung p.* 1-86. Argumenta vulgaria pro defendenda inspiratione latius persequitur SEMLER *von freyer Untersuchung des Canon T.* 2. et inprimis nuper in *Notis* ad *I.* KIDDEL Abh. *von der Eingebung der h. Schrift. Hal.* 783. Semper fuere, qui diverse sentirent et inspirationis modum varie efformarent. *Alii* quidem unam eandemque Spiritus S. inspirantis operationem in omnibus viris divinis omnique argumento proposito sumunt, quae etiam minimas sententias, salutationes, mentionem rerum domesticarum (v. c. 2 *Tim.* 2, 13.) adeoque syllabas et literas omnes ita inspiraverit, ut librorum autores, *amanuensium* tantum partibus functi, dictata a Sp. S. exciperent. Sic MVSAEVS, BAIERVS, QVENSTEDT (*nihil de suo contulerunt praeter linguam*) et nuper quoque SCHVBERTVS *Abh. von der h. Schrift und deren Canon.* 774. In eandem fere sententiam patrum quidam commenti sunt, *spiritum S. ora virorum sanctorum tanquam instrumenta musica movisse, eosque inflasse, ut tibicen tibiam.* ATHENAGORAS *legat. pro Christianis c.* 36. (*p.* 32. *et* 36. *ed. Dechair. Oxon.* 706.) IVSTIN. *Mart. Cobort. ad graec.* (p. 9. ed. Oxon. 8. *ut plectrum lyram vel citharam pulsat.*) MACARIVS *hom.* 47. quorum decretis non modo observationes superiores (Obs. 2. b. p. 75.) verum hoc maxime obstat, quod alienum videatur a sapientia divina, omnem vim boni et minime stupidi scriptoris ita deprimere omnesque ingenii nervos conscindere, ut pro homine machinam inertem ac mutam videas. *Alii* tamen pro argumenti diversitate diversam Sp. S. operandi rationem concipiunt. Ex his *quidam* non omnes adserunt libros nec eorum par-

partes ſingulas pariter ex inſpiratione ſcriptas fuiſſe, ſed alia eſſe divina, ea nempe, quae autores ipſi ad Deum referunt, reliqua, ſive pertineant ad hiſtoriam evangelicam, ſive ad doctrinam, ſive ad res a religione alienas, humano ingenio inventa, collecta et propoſita fuiſſe. Sic *Henr.* HOLDENIVS, doctor Pariſinus: *in div. fid. analyſ. L.* 1. *c.* 5. (apud SIMON loc. cit. pag. 295.) ac fere SEMLERVS l. c. Tom. IV. c. 3. p. 174. ſq. *Alii* iubent inſpirationem, quam totum librorum ſacrorum corpus genuiſſe ferunt, a revelatione, rerum ignotarum ſignificatione, incertis tamen characteribus, diſtinguere. Sunt *denique*, qui *tres* fere gradus inſpirationis, vario tamen παιδειας τροπω conſtituunt, ut FRASSENIVS, qui *antecedentem* (circa res plane ignotas autoribus ſ.) *concomitantem* (quae in rerum aliunde notarum, v. c. hiſtoriae expoſitione, errores cavit) ac *conſequentem* (quae humana ſcripta ut vera per inſtinctum divinum probat, ut in Evangeliis Marci et Lucae) diſtinguit. (CALMET l. c. p. 293.) Sic fere DODDRIDGIVS, Anglus in tr. *de inſpiratione divina N. T. praefixa catenae N. T. e ſcriptor. Anglicanis Lipſiae cura Bruckeri editae T. I. N. T. vel IX.* totius operis) ac magis dilucide TOELLNERVS noſter libro laudato. De his hypotheſibus ſi qui iudicium noſtrum expectant, facile, quid nobis ſentiendum videatur, e ſuperiori disquiſitione Obſ. 2. intelligent.

Obſ. 6. Solent noſtri multam in eo collocare diligentiam, ut hoc loco non modo *rerum*, verum etiam *vocum* ſingularum inſpirationem defendant adverſus illos, qui res inſpirari et potuiſſe et vere communicatas cum Apoſtolis fuiſſe largiuntur, etiam tum, cum vocum delectus ab ingenio cuiusque ſcriptoris pependerit. Ac ſi arbitrium noſtrum interponere liceat, rerum communicatio omnino non fieri poteſt niſi cum vocibus, quae rerum tradendarum vehicula et omnium notitiarum fontes habentur. Nulla profecto nec animum ſubit cogitatio vel

idea,

idea, nec in alterum transferri potest, nisi mediante sermone et verborum usu, sine quo mens obscuras potius imagines quam explicatas rerum notiones tenet. Sed quia duplex erat Dei consilium, alterum, ut scriptores sacri res ipsas probe cognoscerent, alterum, ut eas rite et facile rursus ad alios deferrent: consentaneum fuit, iis verbis declarare notitias virorum sacrorum, quae ab ipsis facillime intelligi potuere, unde copia daretur, animi sensus lectoribus expedite ac perspicue exponendi. Quanto enim quis ad ingenii et sermonis sui formam magis accommodate instituitur, tanto facilius capit rerum argumenta, tanto etiam felicius ideas claras verbis exprimit et cum aliis communicat. Cuius rei multas observationes quotidie cogimus. Multos populi doctores video aut obscuritatis argui, etiam in argumento populari, quia orationis popularis ignari sunt; aut, quod clausum in pectore habere putant, haud affabili ore proferre posse, non quidem rerum notitia sed verborum copia destitutos, quae sola promtos facit ad exprimendos animi sensus. Quare sine verborum velut involucro ne Deus quidem sacros scriptores instituere potuit. Accedit rerum novitas, in qua magnum artificium existit in vocum inventione atque, ne imprudentia dictionis peccetur, necesse fuit, praeire apta rebus commode significandis vocabula, v. ERNESTI *bibl. theol. nov. T. III. p.* 468. contra quem varia monet DANOV. *instit. theol.* §. 30. *obs. p.* 59. In reliquis argumentis, quibus vocum inspirationem adstruere multi tentarunt, non immorabimur.

§. 31.

3) *Collectio in unum corpus.*

Editi diverso tempore diversisque locis et privato consilio Evangeliorum et Epistolarum libri, a presbyteris autoritatem Apostolorum reverentibus, publicis lectionibus destinabantur cum aliis lectu dignis et a doctrina catholica non aberrantibus:

tibus: ideoque *canonicam autoritatem* vel privilegium de loco inter scripta Christianorum publica concedendo obtinuerunt. *Canonis* enim nomine veniebat corpus librorum ecclesiasticorum, quod nec idem ubique fuit, nec antiqui concilii universalis adprobatione et autoritate confirmatum est. Ceterum haud erit inutile, tenere brevem Canonis *historiam causasque*, quibus ducti ecclesiae doctores libris, qui circumferebantur, iis inprimis, quos adhuc relatos in canonem habemus, autoritatem canonicam deferrent, aliis autem, apocryphis, quorum et nomen et historia obscurior est, denegarent.

Obs. 1. Κανων graecis generatim dicitur *regula*, *norma*, ad quam alia diriguntur et examinantur. Sic et PLINIVS *Hist. nat.* 34, 8. *fecit et quem* canona *artifices vocant*, *lineamenta artis ex eo petentes*, *velut a lege quadam.* Inde ad *leges morum* transfertur v. c. *Gal.* 6, 16. ϛοιχειν τω κανονι, *sequi doctrinam aliquam in vita conformanda:* unde *canones conciliorum* dicti leges de disciplina ecclesiastica. Quin *doctrinam* quoque publicam et antiquam christianorum, ad quam singulorum examinatur fides, κανονα dixere, quo sensu EVSEBIVS Origenem laudat *a pueritia tenentem ecclesiae doctrinam, vitatis haeresibus* (φυλαττοντα εκκλησιας κανονα) *Hist. Eccl.* 6, 2. *p.* 252. vide et 4, 23. p. 185. Itaque serior aetas *autoritatem canonicam* dixit privilegium scripturae s. ut ad eius dicta tanquam ad normam certissimam omnis doctrinae rectitudo examinetur, haud quidem sinistro nomine, sed ambiguo, quod multas inanes controversias peperit, ut illam: *unde pendeat autoritas canonica?* *Veteres* quidem doctores longe diverso significatu canonicos libros appellant. Ex usu enim ecclesiastico *canon* est *indiculus*, *catalogus*, *primum* hominum, quibus dimensum diurnum (quod et ipsum *canonem* vocant) praebetur, unde viduae canonicae: *dein* clericorum, publicis tabulis descriptorum, hinc canono-

nonicus i. q. ecclesiasticus: *denique librorum* vel *hymnorum*, usibus publicis vel ad legendum vel ad canendum, presbyterorum cura, destinatorum. Prima, si quid video, nominis vestigia TERTVLLIANVS *contra Marcion.* monstrat, quem perhibet *canonem evangelicum et apostolicum* sibi efformasse. Ceterum confer SVICER. *thesaur. eccles.* T. 2. p. 40. et DV FRESNE *Glossar. med. et infimae graecitat.* p. 579. Itaque libri canonici proprie sunt ii, quos in conventibus Christianis praelegere per consuetudinem et leges ecclesiasticas fas erat. Haec de *nomine* dicta sunto. Pergamus ad *historiam*.

Obs. 2. Haud erraverim, si *bipartitum* canonem olim obtinuisse contendam: alterum, qui scripta ὁμολογȣμενα illustrium aevi Apostolici virorum, alterum, qui libros alios, vel dubiae authentiae (αντιλεγομενα) vel serioris aevi, utiles tamen ad institutionem Christianam complecteretur. EVSEBIVS quidem ἐνδιαθηκους (qui pertinerent ad N. T.) et ἀναγινωσκομενους vel δεδημοσιευμενους videtur distinguere, nec omnes, quos ad classem publice lectorum refert, ἐνδιαθηκους appellat. H. E. L. 3. c. 3. CYRILLVS *Hierosolymitanus Catech.* 4. *p.* 66. *ed. Milles Oxon.* 703. *fol.* diserte το δευτερον vocat corpus librorum, publice haud praelegendorum. (Locum infra Obs. 3. p. 88. describemus). RVFFINVS denique *expos. Symb. Apost. p.* 26. christianorum scripta antiqua in tres classes dispescit, κανονιςα, αναγινωσκομενα et αποκρυφα. Optime quidem. Erant enim alia, quae ab omnibus coetibus probata Apostolos vel autores vel probatores, sine dubitatione habuerunt. (Protocanonica). Praeter haec per singulas Ecclesias pii, qui credebantur a presbyteris, libri autoritate pollebant, v. g. Hermae pastorem Aegyptii, Palaestini Petri Apocalypsin seculo adhuc quinto in conventibus suis audiverunt. (Deuterocanonica.) Confirmat hanc distinctionem DIDYMVS, *commentar. in Ep. Iacobi* a fine monens: haec

epiſtola, etſi *publicetur* i. e. publice per eccleſias legatur, non tamen *in canone eſt.* Non defuere tandem, qui libros, ab aliis laudatos, vel cum de authentia dubitarent, vel ob argumentum arcerent ab uſu eccleſiaſtico et removendos potius quam publicandos iudicarent. Ii *apocryphi* dicti videntur. Αποκρυφος quidem primum videtur liber myſticus, obſcurus, argumenti abſconditi. v. *Sir.* 42, 20. 39, 3. Sic SVIDAS voc. Φερεκυδης laudat *φοινικων αποκρυφα βιβλια* et PHILASTRIVS *de haeres. c.* 40. *ſcripturae abſconditae* i. e. *apocrypha* etſi legi debent a perfectis, morum cauſa, non ab omnibus legi debent, quia non intelligentes multa addiderunt et tulerunt, quae voluerunt haeretici. Libri itaque, qui arcani quid ſapere et diſciplinam quandam reconditam complecti viderentur, apocryphi dicti, (v. TERTVLLIANVS *de reſurr. carn.* c. 63.) a quorum lectione cum arcerent auditores et abſtinerent in publicis coetibus, (ſic *Conſtitutiones Apoſtolicae Conſt.* 84. iubent: Κλημεντος επιςολαι δυο και ἁι διαταγαι ὑμιν τοις επισκοποις δἰ εμου Κλημεντος εν οκτω βιβλιοις προςπεφωνημεναι, ἁς ου δει δημιοσευειν επι παντων δια τα εν αυταις μυςικα) apocryphorum nomen omnes libros in ditionem ſuam rapuit, quos nec in eccleſiam publicari nec domi ad profanos chriſtianorum uſus adhiberi liceret. Vnde plurimi veterum apocrypha tantum ſcriptis publice legendis opponunt, ut *Cyrillus, Ruffinus* ll. cc. Eodem ſenſu Iudaei quoque libros גנוזים vocaſſe videntur, quos vel reconditam quandam diſciplinam complecti adeoque promiſcue uſui nocivos magis quam utiles arbitrarentur v. c. Cantic. Canticorum, vel ab Helleniſtis oriundos et profana quaſi lingua compoſitos e coetibus ſuis excluderent. v. quoque BVXTORF. *Lex. Rabbin.* ſub voce גנוזים. COTTA *diſſ. de ratione hiſt. canonis ſcribendae Tub.* 778. §. 1. *p.* 5. 6. BROCKMANN *diſſ. de apocryphorum appellatione. Gryphisvv.* 766. Apocryphorum N. T. librorum primarios coegit GRABE *ſpicil. patr.*

patr. Sec. I. Oxon. 714. 8. et I. Alb. FABRICIVS *in Cod. apocryph. N. T. Lips.* 715.

Obs. 3. Si qui integram librorum N. T. quibus adhuc utimur collectionem Iohannis studiis vindicare tentant, ut I. FRI-KIVS *diss. de cura Ecclesiae circa canonem* p. 98. (v. et I. I. HERINGIVS *Abh. von den Schulen der Proph. u. s. f. Bresl.* 777.) facile refelluntur. Nam primum unde asserto suo fidem concilient, praeter coniecturarum fallacias nihil proferunt ex universa antiquitate. Dein Eusebii quidem traditio *H. E.* 3, 24. et *Timothei* ap. PHOT. *Bibl. Cod.* 254. dummodo vera sit, Evangelia tantum Iohanni oblata et adprobata perhibet (vide supra §. 30. obs. 5.), de reliquis libris plane tacet. Denique quomodo auderent christiani, Asiatici inprimis, quos Iohannes ornavit atque instruxit, coetus, si quidem per sanctas divini doctoris manus compilatum commendatumque ac tam gravi autoritate quasi sigillo munitum corpus accepissent, parum reverenter in dubium vocare quosdam libros v. c. alteram Petri, ipsiusque Iohannis epistolam et apocalypsin, nedum resecare et abiicere? Ceterum, si vel Eusebiana narratio, quam diximus, incertam fidem habet, vix tamen dubitare licet, quin seculo secundo ineunte a) coetus Christiani plura *Evangelia* (sic vocabant citra usum N. T.) ut genuina tenuerint. Taceam IVSTINVM, qui απομνημευματα των αποστολων, τουτεστι ευαγγελια commemorat: IRENAEVS certe *adv. haer. L.* 3. *c.* 11. *Neque plura*, inquit, *numero, quam haec sunt* (Matth. Marc. et Iohannis,) *neque rursus pauciora capit* (αποδεχεται) *esse ecclesia.* coll. c. 1. et 10. Ex his CLEMENS *Alexandrinus*, omissis aliis, plura loca laudat, AMMONIVSque et TATIANVS harmoniam componere tentarunt seculo tertio. Denique seculo quarto quaternio Evangeliorum tantam autoritatem ubique obtinuit, ut Hieronymo, Evangelium ad Hebraeos interpretari auso, crimen haereseos ob confictum quintum Evangelium invidiose inureretur (v. PHOTII *biblioth.* Cod. 177. p. 205. Ed. gr.

Hoeschel.) v. et ORIGENIS ap. *Euseb. H. E.* 6, 25. locum. Sed b) *epistolarum* quoque corpus mature coactum agnosco. Apostolorum aevo plures pluribus innotuisse Pauli epistolas, Petrus innuit, mentione πασων επιςολων παυλου 2 *Ep*. 3, 16. facta, et Paulus, cum Ecclesias iubet communicare aliis finitimis literas suas *Col.* 4, 16. (cf. I. I. GRIESBACHII *Spec. I. curarum in hist. textus graeci epistolarum Paulinarum. Ien.* 777. 4. *p*. 60.) Sed manca primum atque imperfecta collectio paullatim increvit et nomen αποςολικȣ vel αποςολȣ obtinuit. IGNATIVS *Ep. ad Philadelph.* §. 5. (p. 27. ed. SMITH Oxon. 709. 4) *se confugere* ait *ad Evangelium, quasi ad carnem Iesu* (ὡς σαρκι Ιησȣ i. e. tanquam ad Iesum in his terris adhuc versantem) *et ad Apostolos* (ad scripta Apostolorum) *quasi ad presbyterium. Epistola* quoque ad *Diognetum,* quae quidem falso tribuitur *Iustino Mart.* satis tamen antiqua, libros sacros omnes recenset: ὁ νομος, ὁι προφηται (V. T.) τα ευαγγελια, οἱ αποςολοι (N. T. cf. IVST. M *opp. Venet.* 747. p. m. 253.) Autor quidem huius collectionis, quem MILLIVS (proleg. N T. §. 196.) Romanam Ecclesiam, alii Paulum arbitrantur fuisse, aeque incertus ac temporis, cui originem debet, ratio. Certius definire licuit GRIESBACHIO l. c. p. 6?. libros, quos ὁ αποςολος complectebatur: Pauli epistolas tredecim, Petri priorem, Iohannis primam. Has enim solas, posthabitis reliquis, excitant scriptores antiquissimi, *Papias, Irenaeus, Clemens Alexandr. Autor Epist. ad Diognetum, Tertullianus* (cuius locum v. supra §. 29. obs. I.). Bipartitum igitur corpus librorum N. T. Evangelia et Apostolum prima aetas Christiana publice ut veritatis divinae principium coluit, (nec orthodoxa tantum sed et haeretica, namque Marcionem constat ad imitationem catholicorum *duos codices, Evangelicum et Apostolicum* composuisse, sed ex hoc Pauli epistolas quasdam *abscidisse,* ut IREN. l. 28. inquit,) abhorrens licentiam, qua nonnulli, variis ex causis reiectis libris catholicis, utebantur,

tur, v. c. Elcesaitarum, ἀποϛολον reprobantium sive ob argumentum, sive, quod malim, quia post Elxai, sectae antesignanum, demum collectus fuit (vide supra §. 30. Obs. 1. p. 81.). c) Nova incrementa volumen N. T. cepit additis presbyterorum, qui lectionibus publicis praeerant, cura et arbitrio aliis libris, quorum Apostolica origo et utilitas ad rem Christianam perspecta erat. Tantum tamen abfuit, ut legis autoritatem consequeretur quorundam doctorum coetuumve consuetudo et arbitrium, ut potius mira inter illustres olim ecclesias discordia, salva unitate fidei ac pace ecclesiastica reperiatur. Latini epistolam ad Hebraeos diu reprobaverunt, ut HIERONYMVS *Ep. ad Evangelium* 73. (T. I. opp. p. 442.) scribit: *omnes Graeci recipiunt et nonnulli Latinorum* (v et ej. *Comment. in Ep. ad Ebr.*) qui cessere tandem exemplo et autoritati reliquorum coetuum. *Syrorum* antiquissimus canon ignoravit Petrinam alteram epistolam, secundam et tertiam Iohannis Iudaeque et Apocalypsin. IACOBVS certe *Edessenus* in *onomastico* tres tantum catholicas numerat (ap. ASSEMANN *Bibl. or. T. II p.* 499. et EBED-IESV in Catal. librorum Syrorum in recensione canonis *tres*, inquit, *epistolae quae inscribuntur Apostolis in omni codice et lingua, Iacobo scilicet et Petro et Iohanni, et catholicae nuncupantur* (ASSEMANN *l. c. T. III. p.* 9. *sq.*) ac COSMAS *Indicopleustes topogr. Chr. L. VII. p.* 292. *alias praeter tres catholicas penes Syros ne haberi quidem diserte affirmat.* Alii alios libros vel approbare vel repudiare non sunt veriti nec prohibiti. Neque iam video, quanam lege publica, nisi consuetudine et usu, quem saepe immitiorem legibus tyrannum novimus, canon hodiernus fixus sit ac ita circumseptus, ut religio vetet dubitare de quibusdam eosque ab usu publico excludere. d) Primus qui extat, librorum divinorum N. T. index ORIGENI debetur (v. supra §. 29. Obs. 2. b) a p. 63.) alter EVSEBIO (l. c. 64) uter-

 que,

que, si eum nostro canoni conferas, mancus. CYRILLVS *Hieros.* (*Catech.* 4. *p.* 66. *Ed. Milles*) recenset et commendat της καινης διαθηκης τα τεσσαρα ευαγγελια· — δεχου δε και τας πραξεις των δωδεκα αποςολων, προς ταυταις δε και τας ἑπτα Ιακωβου και Πετρου, Ιωαννου κ Ιȣδα επιςολας καθολικας, επισφραγισμα δε των παντων, και μαθητων το τελευταιον, τας παυλου δεκατεσσαρας επιςολας. τα δε λοιπα παντα ἑξω κεισθω ἐν δευτερω, και ὁσα μεν εν εκκλησιαις μη αναγινωσκεται, ταυτα μηδε κατα σαυτον αναγινωσκε. GREGORIVS *Nazianz. T.* 2. *opp. Carm. p.* 194. *Ed. Colon.* 690. fol. divinitus inspiratorum librorum hunc texit catalogum:

ευαγγελιςας τεσσαρας δεχου μονους. — —
δεχου δε βιβλον λουκα και τον δευτερον
την των καθολικων πραξεων αποςολων. —
(προστιθει) παυλον σοφως γραψαντα ταις εκκλησιαις
επιςολας δις ἑπτα —
τινες δε φασιν την προς ἑβραιους νοθον
ουκ ευ λεγοντες. γνησια γαρ ἡ χαρις.
ἐιεν τι λοιπον; καθολικων επιςολων
τινες μεν ἑπτα φασιν, ὁι δε τρεις μονας
χρηναι δεχεσθαι, την Ιακωβου μιαν,
μιαν δε πετρου, την τ᾽ Ιωαννου μιαν.
τινες δε τας τρεις και προς αυταις τας δυο
πετρου δεχονται, την Ιȣδα δ᾽ ἑβδομην,
την δ᾽ αποκαλυψιν την Ιωαννου παλιν,
τινες μεν εγκρινȣσιν ὁι πλειους δε γε
νοθον λεγȣσιν. Ουτος ἀψευδεςατος
κανων αν ειη των θεοπνευςων γραφων.

Addam

Addam tantum catalogum librorum sacrorum Syri scriptoris, EBED IESV (ap. ASSEMANN B. O. *T. III. p.* 8.) *Aggrediamur N. T. cuius caput est Matthaeus — post hunc Marcus — et Lucas et Iohannes — Actus quoque Apostolorum — Tres etiam epistolae — canonicae* (*v. p.* 87.) *Epistolae autem Pauli XIV.* (addit Epist. ad Hebraeos.) Praeteream aliorum indices ecclesiis particularibus probatos, qui satis demonstrant, seculo adhuc quarto nondum convenisse inter doctores et ecclesias de numero librorum N. T. qui, si vel maxime concordes essent, non tollerent liberum nostrum de singulis iudicium, (privatorum enim hominum et singularum ecclesiarum autoritati equidem nolim servire), iam cum dubii sint et discrepantes, multo minoris adhuc ponderis habentur. Publicam autem et expressam neque reperio neque agnosco legem, cuius autoritas valere possit in hac disputatione et stabilito canone omnem dubitationem omneque tentamen expungendi quosdam libros defendat. *Apostolici*, quos vocant, *canones* recensent libros biblicos canone 84. at neminem puto futurum, qui fide publica dignos eos existimet. Catalogus *Concilii Laodiceni* circa Ann. 364. celebrati (qui omnes N. T. libros omissa Apocalypsi recenset), paucorum (XXXII.) episcoporum suffragiis compositus, reliquorum coetuum adprobatione caruit, si vel maxime suspicione liberetur fraudis, qua sinceris concilii decretis suppositus videtur L. T. SPITTLERO *in l. kritische Untersuchung des sechzigsten Laodiceischen Kanons. Brem.* 777. 8. Sequitur *Carthaginense Concilium*, circa A. 397. habitum, quod Laodiceno vel Cyrilliano, quem laudavimus, Canoni Apocalypsin adiuit, sed latinis tantum et particularibus synodis adnumerandum vix obligat omnium fidem, nec apud omnes decretis suis vicit. *Capitulare* enim v. c. *Aquisgranense* (A. 789.) Caroli M. autoritate cap. 20. finit libros canonicos e recensione Laodicena. *Pontificum*

ficum autem Romanorum decreta, *Innocentii I.* privatum potius quam publicum, et *Gelasii*, cuius authentiam gravis suspicio premit (monstrante BASNAGIO), ut nostrae fidei vel libertati imperent atque seculo quinto ea definiant, quae purior ecclesia et antiqua arbitriis doctorum semper reliquit, pauci erunt qui concedant. Itaque semper viri pii et liberales pro suo quisque iudicio alii alios libros sine invidia haereseosque nota ακανονιςους esse voluerunt. Lutheri, Brentii, Luc. Osiandri iudicia epistolam Iacobi parum reverenter habuerunt, Grotius Epistolam Petri alteram et Iudae in dubitationem vocavit, Apocalypseos autoritatem Erasmus impugnavit, ut alios taceam.

Obs. 4. Iuvat adhuc persequi *leges*, quas secuti olim doctores Ecclesiae libris autoritatem canonicam tribuere et vindicare tentarunt. Fuere autem, ut brevi complectar, *primo* iudicium de origine Apostolica atque usu libri per primam aetatem reip. Christianae certo ac tradito. *Origenes* sane et *Eusebius*, cum reiiciunt scripta Apostolorum titulo consignata, se ideo id fecisse contendunt, quia in veterum doctorum libris nulla eorum iniicitur mentio. v. c. *Eusebius* Petri Pseudepigrapha negat pro catholicis habenda, quandoquidem nec vetustiorum quisquam nec recentiorum ecclesiae scriptorum desumto ex iis testimonio usus est (ταις εξ αυτων συνεχρησατο μαρτυριαις) H. E. L. 3. c. 3. Eodem argumento l. c. c. 25. Evangelia Matthiae, Thomae, Petri et alia fide indigna iudicat, quod ea nullus unquam, qui continuata ab Apostolis successione in Ecclesia docuit, in scriptis suis commemorare dignatus fuerit. Idem L. 2, 23. *Epistola Iacobi*, inquit, ιςεον ὡς νοθευεται, ȣ πολλοι γ᾽ ουν των παλαιων αυτης εμνημονευσαν. *Altera lex*, quam in delectu librorum s. sequebantur, fuit iudicium de argumento, doctrinae publicae consentaneo et ad institutionem

nem Christianam utili. Sic TERTVLLIANVS *de habitu mulierum c.* 3. autoritatem libri Enoch defensurus: *a nobis*, inquit, *nihil omnino reiiciendum est*, *quod pertinet ad nos*, *et legimus omnem scripturam aedificationi habilem divinitus inspirari.* EVSEB H. E. L. 3 *c.* 3. tradit: *posteriorem Petri epistolam non esse ενδιαθηκον accepimus. Et tamen*, quia multis videtur esse utilis, *cum aliis est usurpata scripturis. Tertia* lex erat usus et consuetudo aliorum coetuum. HIERONYMVS Catal. vir. illustr. *Iudas — parvam quidem sed catholicam reliquit epistolam et quia de libro Enoch*, *qui apocryphus est*, *in ea assumit testimonium*, *a plerisque reiicitur*, *tamen autoritatem iam* vetustate et usu meruit. (τη αρχαιοτητι και τη της χρησεως αὐθεντια ηξιωθη ταις θειαις γραφαις και συγκαταριθμεισθαι.)

Obs. 5. Ex his dictis quaestio, hoc loco agitari solita, unde canonica s. librorum autoritas pendeat? facile finitur. Pendet enim ab arbitrio ecclesiarum et doctorum, non coeco et temerario, sed recto per prudentiam et cautionem piam, quae publicae institutioni noluit destinare libros, nisi quos vel divinos et authenticos vel utiles usu cognovit. Qua re qui obnoxiam fieri ecclesiae scripturam S. cupide nimis clamant, certe non vident, quantum autoritas libri canonica differat ab origine eiusdem divina, quam minime ecclesiarum iudicio subiicimus. Vereor tamen, ne universa disputatio, vehementius acta, enata sit ex verborum ambiguitate neglectoque usu loquendi antiquo. Nam si canonicam intelligamus autoritatem eam, quae definit, quid verum sit et rectum aut his contrarium, nihil sane valet ecclesiae testimonium, sed authentia et origo divina librorum postulat, ut eorum decretis regamur.

Statim sub initia repurgatorum sacrorum *Andr.* CAROLOSTADIVS, vir haud ignobilis, etsi vehementioris ingenii, tractatum vulgavit vernacula lingua; *Welche Bücher biblisch sein*

sein 520. 4. et alium *De canonicis scripturis* eod. anno, quibus occasionem, ut videtur, simultatis cum Luthero exortae dedit. Vterque libellus haud indignus, qui relegatur. Multo tamen prolixius tractant hoc argumentum: *Humphred* HODY *de textibus bibliorum originalibus* L. 4. c. 4. p. 644. *Ger. v.* MASTRICHT *Canon S. S. secundum seriem sec. N. T. collectus — et notis illustratus. Ien.* 725. MARTIANAY *Traité historique du Canon des Livres de la S. Ecriture. Paris* 703! 12. BASNAGE *hist. de l'Eglise L. 8. c. 5 — 8. p.* 419 — 449. *I. Sal.* SEMLER *von freyer Vntersuchung des Canon. Tomi IV. Hal.* 771—775. Cui praecipue opposita: C. F. SCHMID *historia antiqua et vindicatio canonis V. et N. T. Lips.* 775.

De N. T. in specie cf. I. CH. ISELIVS *diss.* 4. *de canone N. T. Basil.* 713. RICHARDSON *Canon of the N. T. vindicated.* (*Lond.* 700. 8. contra *Toland*) STOSCH *de librorum N. T. canone. Frf. ad Viadr.* 755. *Herm.* VENEMA *Inst. Hist. Eccl. N. T. T. I.* p. 382. sq. (L. B. 779.)

Nuper quoque I. F. COTTA edidit *Diss. de ratione historiae Canonis scribendae. Tub.* 778. quae consuli meretur.

§. 32.

4) *Integritas N. T.*

Nec iam aut ex libris canonicis divinis periisse ullum constat, aut alia iam graeci textus exempla hodie habemus, quam prima aetas ab Apostolis acceperat, vel ita corrupta, ut non sit copia genuini textus graeci. Illam *integritatem totalem*, hanc *partialem* s. partium vocamus.

Obs. 1. De integritate *totali*, etsi non adeo necessarium videatur in eius defensione laborare, dummodo integra restet doctrina Apostolorum, tamen satis constat ex indicibus

libro-

librorum N. T. publicis et antiquis, in quibus non videmus alios, certe non plures, quam quos adhuc servamus, laudari. Aliorum, qui forsan extitere, evangeliorum et epistolarum, a viris divinis descriptorum, iacturam non magis deplorabimus, quam plurimos Christi sermones deperditos, vel orationum Apostolicarum summas tantum extare.

Obs. 2. *Integritas partium* (utar verb. Ven. ERNESTII *Inst. Interp. N. T. p. m. 94.*) *non est sic iudicanda, ut imperiti et rudes rei criticae vulgo putant, ut unus aliquis liber scriptus vel editus omnibus partibus rectus et sine vitio sit ac ne verbulo vel literula* (ac si dis placet, κεραια et punctulo) *ab exemplo autographo aberret:* nam talis integritas ullius veteris libri nec est, nec esse potest, cum non fieri posset, quam ut Deus lapsus librariorum singulos vi sua impediret): *sed ut ex universis Codicibus graecis aliisque versionum et commentariorum libris textus integer et incorruptus confici possit, in iisque lectiones genuinae conservatae sint, opera doctorum et artis criticae peritorum virorum eruendae, ut bene* GLASSIVS *docet, Phil. S. L. 1. Tr. 2.* Itaque querelae de interpolationibus Codicum peccatisque librariorum et orta inde varietate lectionis admonent quidem criticum, ut veterum scriptorum autoritate ductus studeat cavere et repudiare glossas, e latinis praecipue exemplis insertas, et spurias voces a genuinis secernere, sed tantum abest, ut incertum et immedicabili malo corruptum textum graecum demonstrent, ut potius his vitiis integritas librorum firmetur. Porro integritatem eam maxime ad integritatem et certitudinem doctrinae referri volumus. Concedamus igitur, quod maxime quidem omni aetate Theologi videntur concessisse, alicubi veram lectionem in libris aut periisse, aut adeo incertam esse, ut difficillime finiri queat, in iis sententiis, quae vel nullam coniunctionem cum summa fidei habent,

ut

ut in rebus historicis v. c. *Act.* 5, 36. vel non tantam, ut vitium et ambiguitas lectionis fidei vitium vel incertitudinem afferre possit. Denique potissimum in hac causa negamus factum, ut humano studio et vel orthodoxorum fraude vel haereticorum malitia omnia in universum N. T. exempla corrumperentur. Vtut enim auderent interdum lectionem opinionibus suis componere, et vel quae barbare dicta credebant, arcessito colore figurare, ut *Tatianus* (EVSEB. H. E. 4, 29.) et alii, de quibus ISIDORVS *Pelusiota L.* 4. *Ep.* 28. (cuius generis exemplum fere Codex Cantabrigiensis monstrat), vel adversa sententiis suis rescindere, sicut *Marcionis*, *Theodoti*, *Artemonis* conatus commemorantur ab *Irenaeo*, *Tertulliano* et *Eusebio*, statim tamen reprobati ausus, et detectae fraudes per doctores ecclesiae ad nihilum reciderunt. Neque privata studia publicos omnium Ecclesiarum libros, quorum tot exempla extarent pluribus ac diversis locis, tot versionum a primo statim tempore editiones, tot sancti custodes, tanta denique reverentia ac autoritas tamque frequens in conventu Christianorum usus, corrumpere vel contaminare ullo modo potuerunt. Sed si primis seculis integri servati sunt, multo quidem minus, postquam stabilita erat res Christiana atque invaluerat, mutatio vel depravatio tentari potuit, nec fabula *Victoris Tununensis* de *Anastasio*, Evangelia corrumpente, ullius adhuc fidem merebitur, explosa a WESSELINGIO V. C. *diss. de evangeliis iussu Imp. Anastasii non emendatis*, adiuncta *diatr. de Archontibus Iudaeor. Trai.* 738. 8. *p.* 110. *sq.*

Ceterum qui magnifice nimis de cura Ecclesiarum circa libros sacros sentiunt atque hoc loco loquuntur, qui sane plurimi sunt, legant I. IAC. GRIESBACHII *Curas in historiam textus graeci epistolarum Paulinarum Spec. I. Ien.* 777. 4.

§. 33.

§. 33.

b) *Habitus librorum N. T. ad religionem Christ.*

Exposita iam *historia* N. T. superest, ut disquiramus, quomodo libri Apostolici pertineant ad religionem Christianam? (§. 27.) Quare de *necessitate primum*, *dein* de *usu* librorum ad addiscendam religionem Christianam praecipiendum erit.

§. 34.

1) *Necessitas librorum N. T. in Rel. Christ.*

Necessitas quidem non tanta concipi debet, ut *vel* sine his libris omnibus ullo tempore aut religionem christianam existere aut addisci posse negemus, extitisse enim eandem sine libris historia docet, et audiendo non minus quam legendo animum movet doctrina, non literis, sed argumento (ϰ γϱάμματι, ἀλλὰ πνεύματι *2 Cor.* 3, 6.) divina; *vel* ullo eorum hodie rem Christianam, nisi gravi cum detrimento, carere posse defendamus, nam haud vereor, ut integram habeamus doctrinam Christianam, etsi Epistola v. c. Pauli ad Philemonem, vel Iudae, vel Matthaei compendium, Marco autore, deperdita fuissent: sed ut persuadeamur, integram superesse doctrinam Apostolorum teneamusque normam, ad quam incerta traditionis et doctorum serioris aevi fides examinari possit, non omnino antiquis literarum monumentis nos carere posse existimem.

Obs. 1. Qui hos libros exararunt Evangelistae et multo magis Apostoli, suis maxime temporibus cum inservire vellent, vix hoc consilio scripserunt, ut ad posteros haec monumenta conservarentur, quibus si consulere voluissent, multa profecto fuissent resecanda, omittendae controversiae, ac systematis Christiani compendium multo aptius concinnandum. Sed raro qui aeta-

aetati suae accommodate scribit, posteritati totus prodest, in qua veteres opiniones profligatae sunt, antiquae controversiae novis locum fecere ac mutata morum ratio alias quoque admonitiones, alium ελεγχον postulat. Patet, Matthaei Evangelium fere contra Iudaeos scribi, qui dignitatem Iesu Messianam impugnarent; Iohannem tum Iudaeos convincere, tum eos, qui Iohannis baptistae disciplinam praeferrent: quis haec nostris necessaria esse existimet? Constat epistolas Pauli familiares privatis Ecclesiis destinari; quis Pauli consilium longe amplius processisse putet? Veneramur autem providentiam divinam, quae tam antiqua et genuina nobis monumenta conservavit, e quibus, quae communis fidei sunt, possint decerpi, et involuta veluti veritas explicari.

Obs. 2. Quaesitum nuper per occasionem controversiae, LESSINGIVM inter, fragmentorum deisticorum editorem, (*Axiomata, vvenn es deren in dergleichen Dingen giebt. Wolfenb.* 778. 8.) et I. M. GOEZIVM (*Lessings Schvvächen. Hamb.* 778.) motae, num detur religio Chr. sine libris biblicis? Quae disputatio, si eo redit, anne aliquando viguerit et stabilita fuerit doctrina Christiana, cum nondum editi, nondum lecti fuissent N. T. libri? omnino inanis est, quum Apostolos sciamus post auspicia rei Chr. et iactis ecclesiarum fundamentis ad confessores doctrinae novae dedisse scripta sua et εξ ἀκοης λογου θεου *Rom.* 10, 17. fautores Evangelio conciliasse. Nemo sane negat, philosophiam Platonis, Aristotelis, Epicuri antiquiorem fuisse libris, in quibus capita huius sapientiae exposita legimus, initiaque institutionis scholasticae semper fieri in scholis viva voce, post scriptis. Neque *Papias* tantum, vere Christianus, uberiorem fructum speravit ex auditione, quam e lectione, (verba eius sunt apud EVSEB. H. E. L. 3. c. 39. p. 136. ου τα εκ βιβλιων τοσουτον με οφελειν ὑπελαμβανον, οσον τα παρα ζωσης φωνης και μενουσης) verum IRENAEVS quoque

que *adv. haer. Gnost.* L. 3. c. 4. 1. clare fatetur, *etiamsi nulla relicta fuisset ab Apostolis scriptura, ex illa tamen traditione, quam Ecclesia ab Apostolis acceptam* ad illa usque tempora *sinceram conservaret, potuisse cognosci, quae esset vera doctrina Apostolica:* gentesque barbaras commemorat doctrinae Christi addictas, *sine charta et atramento*, i. e. posthabitis scripturis. Atque scimus, multis adhuc gentibus Evangelium tradi atque probari, quas novum testamentum, vel totum vel quasdam eius partes, nec legisse nec legere adhuc potuisse constat. (v. EBERHARD *Apol. des Socr. P.* 2. *p.* 65.) At si quis arbitretur, sine ullo scripto monumento certam et integram doctrinam *ad nostra usque tempora* conservari potuisse inter homines, si salvam existimet per tot seculorum decursum traditionis oralis, ut vocant, fidem, si universitatem Christianam iis plane et semper carere posse defendat, equidem, quas obmovere ausim, haberem multas et graves dubitationes. Primum fata scholarum, quam maxime celebrium suo tempore et frequentium, satis demonstrant, eas vel extinctas fuisse vel corrupisse magistrorum decreta et adulterasse, ubi aut nullae adessent formulae disciplinarum ac monumenta, aut interirent. Praeter haec quemnam adeo rudem fingamus status Christianorum, qui ignoret, cum contemtu et negligentia literarum sacrarum lapsam fuisse religionis Chr. puritatem, quae quomodo integre ac feliciter restitui potuisset, facta librorum authenticorum, ad quos semper confugere decet, iactura? Denique quum cognitio, quid Christus docuerit, qualiscunque sit, minime deceat veritatis studiosum, sed quaeratur notitiarum certitudo atque firmitas, exclusa omni dubitatione animique ambigui inconstantia (*Eph.* 4, 14.): actum sane videtur de fide nostra, nisi sint monumenta fide dignissima, quibus lectis genuinae Christi disciplinae haud fallax existit iudicium.

Obſ. 3. Iam ſi vere Chriſtianorum nomine digni habentur populi, qui nullos N. T. libros noſcunt, multo minus periculum erit, ne intereat res Chriſtiana imperfectaque habeatur, uno forte vel altero canonis libro vel intereunte vel proſcripto. Capita enim doctrinae chriſtianae primaria vix pendent ab unius libri autoritate ac teſtimonio coetuum et doctorum, quorum, etſi pro ſuo quique arbitrio alii alios libros eliminabant minusque reverebantur, nunquam tamen ideo aut doctrinae puritas aut animi pietas in dubitationem venit, qua in re veteres multo mitiores noſtris ac liberaliores verſari videmus et laudamus cf. SEMLER l. c.

§. 35.

b) Vſus librorum N. T. ad diſcendam rel. Chr.

His quidem libris N. T. doctrina purior potiſſimum continetur, ſed omnes et ſingulae partes quo minus ad religionem chr. referantur, et conſilium ſcriptorum S. vetat et argumentum. Itaque merito delectus habetur rerum his libris expoſitarum atque ea tantum excerpuntur, quae cum conſilio et natura religionis (§. 1.) ac fine librorum divinorum *2 Tim. 3, 16.* conſpirant.

Obſ. 1. Conſilium ſcriptorum ſacrorum, qui tempori ſuo libris editis vellent conſulere, non poſteritati, et ſingulis provinciis, nec univerſitati Chriſtianae, inprimis in epiſtolis, non potuit non multa interſpergere, ad lectores, quibus proprie literas ſuas deſtinabant, ſpectantia, ſive admonendo, ſive enarrando, ſive per familiaritatem ſalutando. In argumento ſponte cuivis patet plurima occurrere, vel adeo obſcura atque ambigua, ut ne peritiores quidem interpretes finire ſenſum auſint, vel cognitu facilia neque iniucunda ac eruditis utilia, quae etiam ad notitias de Deo et Ieſu virtutisque incitamenta detorqueri quidem arte et preſſuris interpretum quorun-

rundam inque religionis qualemcunque usum per accommodationem, typos et varii generis conclusiones converti videas, ita tamen, ut ea adversariis ridendi materiam potius quam efficacia mentis Christianae nutrimenta praebeant. Atque utinam tandem compendium librorum N. T. rescissis inutilibus, alienis ac aut primis lectoribus tantum necessariis, aut eruditorum curae relinquendis, in usum popularem viro quodam pio, interpretationis gnaro, et praeiudiciis metuque libero magno reip. christ. commodo post tot desideria pia acceptum ferre possemus!

Obs. 2. Quidquid in N. T. libris authenticis continetur, per tres fere classes distribuitur. a) Alia proprie pertinent ad religionis communis disciplinam, dum vel Dei cognitionem promoveant vel historiam Iesu illustrent vel beneficia utriusque communia exponant commendentque, vel admonitionibus et incitamentis virtutum animum Christianum forment atque adiuvent. Haec quidem proprie partes religionis Christianae dixeris, νηπιοις iam, iam τελειοις (vide supra §. 23.) utiles, et divinas. Ex his itaque locis praecipue hauriantur notitiae certae et indubiae doctrinae Christianae, sive directe tradantur (κατα ῥητον) sive dialectica arte erui possint (κατα διανοιαν traditae), atque demonstretur, quid verum sit in religione. Neque opus est, ut vel haec capita doctrinae a Iesu Apostolisque proposita aliunde confirmentur, divinum enim testimonium non eget ulteriori confirmatione, vel iis, quibus Apostoli adstruunt dictorum suorum veritatem, argumentis adhaereamus. Nam non omnia argumenta sunt omnium temporum et facile fieri potest, ut quis talia vel non capiat vel iis non multum moveatur: suntque multa in scriptis Apostolorum, quae pro auditorum vel lectorum suorum ingenio valde efficacia ad convincendum reperiuntur, a nobis autem, ut minus perspicua, vix poterunt

contra adverſarios quoscunque produci. Nec quia probarunt orationes ſuas Apoſtoli, ſed quia habuerunt, nobis certae eſſe debent. Sunt b) alia, quae ſubſidiariam in religionis doctrina opem ferunt, illuſtrandis per analogiam quandam vel confirmandis decretis Chriſtianis v. c. res geſtae Apoſtolorum, prima rei Chriſtianae fata, exempla bonorum vel malorum, conſilia presbyteris data et leges privatis coetibus pro temporum locorumque opportunitate ſapienter latae, florentiori autem rei Chr. ſtatui, mutata rerum facie, parum conſentaneae, v. c. diſputationes cum Iudaeis et Iudaeo Chriſtianis, de donis linguarum, de matrimonio, 1 *Cor.* 7. ſq. Poſtremo c) multa ſunt vel tam incertae interpretationis, ut temerarium videatur ea ſidei obtrudere, vel tam aliena a religione, ut cum ea nullo modo componi et coniungi poſſint, v. c. epiſtolarum appendices, curae rerum domeſticarum, etc. Itaque teneat animus pius, nec omnes religionis Chr. partes tradi in N. T. nec omnia, quae in eo traduntur, in numerum partium rel. melioris venire, niſi quis hiſtoriam rei Chriſtianae methodumque eius tradendae cum religione ipſa permiſceat vel ſtatum publ. doctrinae eundem ſemper fuiſſe ſibi perſuadeat.

Obſ. 3. Res ipſa docet et hiſtoria, non aliunde certius cognoſci, quid Ieſus docuerit quidve religioni Chriſtianae conſentaneum ſit, quam ex his libris authenticis, quibus ſemper is honos delatus in eccleſia chriſtiana, ut, ſi docendi et formandi eſſent Chriſtiani, praelegerentur; ſi refellendi errores, ex iis quaſi ex armario argumenta contra haereticos deſumerentur; ſi veritatis praeſidia ſtruenda, ad hoc quaſi fundamentum confugeretur. Idque exemplo *Irenaei*, *Tertulliani*, *Origenis*, aliorumque tam clare patet legentibus diſputationes eorum polemicas, ut haud ſatis mirari poſſim auda-

audaciam Anonymi nuperi (in scripto *Gotth. Ephr. Lessing Noethige Antwort auf eine sehr unnoethige Frage des H. Goeze. Wolfenb.* 778. 8.) qui asserere sustinuit: p. 11. *Die Chr. Rel. ist in den ersten vier Iahrhunderten aus den Schriften des N. T. nie erwiesen sondern nur beyläufig erläutert und bestätiget worden.* Audiamus paucos. IRENAEVS l. c. *L. 2. c.* 27. *His* (scripturis) *niti firma est petra, his derelictis aliis niti quibuslibet doctrinis est in effusa arena aedificare, unde facilis sit eversio huiusmodi aedificationis.* L. 3. c. 1. scripturam S. appellat *fundamentum et columnam fidei nostrae*, et dum de doctrina scriptisque Polycarpi iudicat, addit παντα συμφωνα ταις γραφαις, ap. EVSEB. *H. E. L.* 5. *c.* 20. TERTVLLIANVS adv. *Hermog. c.* 22. *Non aliunde de rebus fidei loqui possumus, nisi ex litteris fidei. Legem et prophetas cum evangelicis et Apostolicis literis miscet ecclesia et inde potat fidem.* ORIGENES *L.* 3. *in c.* 3. *Ep. ad Rom. Si — tantus ac talis Apostolus* (Petrus) *auctoritatem dictorum suorum sufficere posse non credit, nisi doceat in lege et prophetis scripta esse, quae dicit, quanto magis nos minimi hoc observare* (nihil absque scriptura dicere) *debemus, ut non nostras, cum docemus, sed S. Spiritus sententias proferamus?* CYRILLVS HIEROSOL. *Catech.* 4, 12. *p. m.* 56. doctrinam se suam μετα της των γραφων αποδειξεως traditurum promittit, addens: δει γαρ περι των θειων και ἁγιων της πισεως μυςηριων, μηδε το τυχον ανευ των θειων παραδιδοσθαι γραφων, μηδε ἁπλως πιθανοτητι και λογων κατασκευαις παραφερεσθαι. μηδε εμοι τα ταυτα σοι λεγοντι ἁπλως πισευσης, εαν την αποδειξιν των καταγγελλομενων απο των θειων μη λαβης γραφων. ἡ σωτηρια γαρ ἀυτη της πισεως ἡμων — ἐξ αποδειξεως των θειων εςι γραφων.

Plura non addam. Quod si enim haec non demonstrant adsertoris, qui omnium patrum scripta se evolvisse iactitat, temeritatem (sit verbo venia): congesta in altum moles testimoniorum haud vincet, quam magna copia struxit I. F. W. WALCH *Kritische Untersuchung vom Gebrauch der h. Schrift unter den alten Christen.* Lips. 1779. et P. C DÜRR *de antiquissima fidei et morum regula Goett.* 1781. 8.

§. 36.

De dictis classicis.

Si quae loca novi Test. capita religionis plenius et luculentius tractant, *loca classica* dicuntur, vel *sedes doctrinarum.* In quibus cautione opus est, ne vel praeiudiciis ac praescriptionibus regamur vel delectu quodam locorum facto reliqua negligentius praetereamus.

Obs. *Plenius* diximus: itaque non unius propositionis sed plurium unius loci vel articuli partium diductam illustrationem ac demonstrationem quaerimus in locis classicis: dein *luculenter* i. e. ita ut per leges hermeneuticas de sensu vocum non possit dubitari.

SECTIO SECVNDA.

DE LIBRIS VETERIS TESTAMENTI.

§. 37.

B) De fontibus secundariis rel. Chr. Primo de libris Veteris Testamenti.

Pergimus ad fontes religionis Christianae secundarios (§. 26.) e quibus primo loco aperiuntur libri Veteris testamenti *2 Cor. 3, 14.* vel cano-

canonis Iudaici, commendati novae quoque doctrinae primis confessoribus a Iesu atque Apostolis *Ioh.* 5, 39. 2 *Tim.* 3, 15. et per argumentum suum notitiis sensibusque Christianis gignendis alendisque perutiles.

Obs. 1. Παλαια διαθηκη ab ipso Paulo 2 *Cor.* 3, 14. et *Siracide* 24, 25. vocantur libri publice lecti, in quibus leges divinae aliaque ad Iudaeorum formandos animos idonea traduntur ante Christum. coll. *Matth.* 24, 15. Alias dicuntur γραφη *Rom.* 1. 2. γραφη ἁγια *Rom.* 1, 8. ἱερα γραμματα 2 *Tim.* 3, 15. λογια του θεου. *Rom.* 3, 2. μωσης s. νομος και προφηται. *Luc.* 16, 29. *Matth.* 5, 17. apud Iudaeos a numero librorum עשרים וארבעה libri XXIV.

Obs. 2. Corpus librorum V. T. quos adhuc habemus, antiquitus divisum est in legem (תורה) prophetas (נביים) et hagiographa (כתובים): quae divisio extat *Luc.* 24, 44. et in *prologo Siracidis*: πολλων και μεγαλων ἡμιν δια του νομου και των προφητων και των αλλων, των κατ' αυτους ακολουθηκοτων δεδομενων — Ο παππος μου Ιησους επι πλειςων ἑαυτον δους εις τε την του νομου και των προφητων και των αλλων πατριων βιβλιων αναγνωσιν. Similiter IOSEPHUS *de Maccab.* c. 18. laudat νομον, προφητας και αλλα. v. et PHILONIS locum inferius §. 40. obs. 2 B. laudandum. Talmudicorum loca, quibus ea divisio familiaris est, WETSTENIUS congessit ad *Luc.* 24. Nostri, argumenti ratione habita, primum *historicos*, dein *dogmaticos*, quos volunt, vel poeticos, denique *vaticinia* prophetarum ponunt, haud renuente IOSEPHO *contra Apion.* L. 1. c. 7. *Lex quinque libris Mosis* absolvitur. *Prophetae priores* gesta *Iosuae, Iudicum, Samuelis et Regum, posteriores Esaiam, Ieremiam, Ezechielem et* δωδεκαπροφητων librum complectun-

plectuntur. In *ultimam* classem veniunt: *Psalmi, Proverbia, Iob, Canticum Canticorum, Ruth, Threni, Ecclesiastes, Esther, Daniel, Esra et Nehemia, Chronicorum libri duo.* (vide §. 40.)

Obs. 3. Erit quoque huius loci *bipartita* tractatio: *altera* in *historiam* librorum, (v. §. 28.) i. e. *authentiam, originem divinam, collectionem in unum corpus* vel autoritatem canonicam ac *integritatem*, quoad limites nostri permittunt, inquiret: *altera* de *habitu V. T. ad religionem Christianam* iudicium ferre tentabit.

§. 38.

a.) Historia librorum V. T. 1) Authentia.

De *authentia* librorum V. T. mirum non est impediri quaestionem. Paucorum enim laudantur autores, desunt plura antiquitatis testimonia, nec ecclesiae Iudaicae recentioris, cuius religio saepe abiit in superstitionem, decreta nova integras patrum sententias pia semper fide persequuntur. Ceterum gravibus commoti rationibus, libros, qui autorum nomen praeferunt, plerosque genuinos, et alios, quorum indices argumenta potius quam autorem laudant, satis antiquos esse defendimus.

Obs. 1. Authentia librorum non semper est sic iudicanda hoc loco, ut libri, qui virorum illustrium titulo insigniuntur, ad eosdem semper referantur: quis enim Iudices vel Samuelem illos commentarios rerum gestarum composuisse existimet? sed ut non alia, quam qua traduntur, aetate consignati editique fuerint, quanquam critici, ut verum fatear, in multis aut vano studio temporis autorumque rationem coniectent aut libero iudicio sine molestia atque noxa reli-

religionis uti possint, ut in Iobi libro, hymnorumque corpore proverbiorumque ac aliorum carminum collectionibus. Sed cum ex ipsa librorum antiquitate testiumque, quibus unice hae lites dirimuntur, deperditis libris, penuria haudque obscuris serioris fere aevi vestigiis, plurimis libris imprimi visis, iudicii difficultas suboriatur: apud peritos tamen iudices cautosque, quales rei gravitas postulat, arbitros haec omnia vix dubitatiunculam movere possunt adversus authentiam. Neque enim ulli causae testimoniorum raritas nocet, nisi adsint contrarii testes, atque videmus unius saepe hominis, dummodo prudentis fideque digni, autoritatem in historia antiquissima v. c. Herodoti, cum res Aegyptias tradit vel Suidae, cum veteres scriptores laudat, ut certam atque validam cupide arripi fidemque mereri, si nihil in libro occurrat, autoris vel temporis moribus adversum. Iam a) si Mosis prophetarumque commentarios evolvamus, intelligimus, eos ea lingua componi, quae diu ante Christum in vivis esse desiit amissisque eius addiscendae subsidiis imitatoris vel impostoris arte vix ita restaurari ornarique posset, quin fraudes fucique transpareant. Mihi quidem per multos annos familiaritatem quasi contrahenti cum libris hebraeis, et per crebrum usum atque exercitationem adsiduam (absit verbis invidia) acuere mentem meam et confirmare allaboranti, ut sentiat, quid linguae hebraeae ingenio aptum sit, quid praecipuum in ea ac rarum, quid in orationis cultu grave et elegans, semper verborum formae et admirabilis carminum elegantia, gravitas, copia et varietas, omni numero absoluta, persuaserunt, pleraque florente adhuc et vegeta lingua descripta fuisse et in vanum abire coniecturas eorum, qui Esdram (cuius mediocre ingenium nec ingenio dissimilis stylus videtur) quasi πολυμορφον autorem, totum corpus librorum refinxisse adstruerent, patres inprimis ecclesiastici, v.

infra §. 40. Nolo tamen e sensu, quo saepe non tantum magistri artium intelligibilium, poetae et oratores, sed historiarum quoque supposita a veris, antiqua a recentibus, genuina a confictis carminibus diplomatisque discernunt, minime quidem e meo, tenui forsan neque satis exercitato, quaestionem finire ancipitem. b) Magis in hac causa valebit, quod facile patet consensus rerum, exterarum praecipue, ut sunt gentium origines et fata antiquissima, rerumque publicarum forma, rituumque et temporis artiumque rationes, plane singularis cum antiquissimis earum rerum monumentis, Aegyptiorum maxime et Graecorum, magno acumine demonstratus a Ven. IERVSALEM *Betr. über die mos. Schriften und Philosophie, Braunschw.* 762. *et a* SCHVKFORD *Harmonie der heiligen und Profanscribenten. Berl.* 731. *Tomi* 3. 4. cui addendus *C. Gottl.* LANG *Versuch einer Harmonie der heiligen und Profan Scribenten* 775. et multae satis acutae observationes *I. D.* MICHAELIS *in vers. Bibl. vernacula v. g. T. H.* p. 54. I. G. EICHHORN *Einl. in das A. T.* Lipſ. 780. p. 25. sq. Accedit c) cura Mosis et reliquorum scriptorum, qui, depositis libris originalibus loco sacro, satis caverunt, ne vel per incuriam amitterentur vel per profanas manus contaminati corrumperentur. Moses certe autographum suum ad latus arcae, quam vocant foederis, inviolata sede recondi voluit *Deut.* 31, 9. 24—26. cuius exemplum Iosua *Iosuae* 24, 26. et Samuel 1 *Sam.* 10, 25. imitati statuta publica לפני יהוה venerabili loco ut asservarentur curam egerunt. Hunc morem etiam serius aevum servasse videtur: IOSEPHVS enim *A. I. L. V. c.* 1. §. 17. δηλɛται inquit δια των ανακειμενων ἐν τω ἱερω γραμματων. Neque d) testium omni praesidio destituimur. Nam si Christo in his terris versante corpus quoddam librorum Iudaicorum extitit (quod neminem spero fore, qui

in-

inficias eat), seriorum saltim librorum autoritas antiquiorum authentiam confirmat. Namque vel relationes, patriis monumentis narratas, repetunt, 1 *Sam.* 12, 8. sqq. *Ps.* 78. 105. 106. *Es.* 64, 9 — 14. *Nehem.* 9. vel librorum autores antiquos laudant, Mosen *Ios.* 8, 31. (ככתוב בספר, תורת משה) 2 *Reg.* 14, 6. 2 *Chr.* 23, 18. 25, 12 — 15. et Ieremiam *Daniel* 9, 2. Iungenda his interpretum graecorum fides, qui accepta a patribus scripta non aliis ausi sunt autoribus tribuere, quam quos adhuc novimus. Denique calculum addit Siracidis catalogus virorum illustrium *Cap.* 44, 49. recentissima quoque carmina Ieremiae, Ezechielis, δωδεκαπροφητων recensens. Extant quoque clara Servatoris nostri et Apostolorum testimonia, quibus Mosi *Matth.* 19, 7. Davidi *Matth.* 22, 44. *Act.* 1, 16. Esaiae *Matth.* 15, 7. *Iob.* 12, 38. *Act.* 26, 25. *Danieli Matth.* 24, 15. *Ioeli Act.* 2, libri superstites vindicantur et ad historias antiquas, ut in vulgus notas, alluditur *Matth.* 12, 40 sq. 23, 35. 24, 37. *Act.* 7, 13. Eiusdem seculi Philonis Iudaei commentarii supersunt, et Iosephi, cauti librorum patriorum indagatoris, cuius tanta de authentia librorum fuit persuasio, ut non vereretur Mosi narrationem de morte sua, quasi a vate praescriptam, tribuere v. *contra Apion.* I, 7. Denique haud adeo vile pretium constituitur Talmudicis traditionibus, quibus multa veterum, qui vel ante Christi tempora floruerunt, doctorum fragmenta novimus inserta fuisse. His itaque testibus, qui florente adhuc rep. Iudaica his scriptis quasi lege publica regebantur, iisque publice legendis incubuerunt (*Luc.* 4, 18. *Act.* 13, 15. 15, 21.) et quorum maxime intererat, explorare decretorum religionis suae veritatem atque cavere, ne quid ut divinum per fraudem sibi obtruderetur, quorum haud pauci divinae virtutis adiutorio facile falsa a veris discernere potuerunt ut Esaias, Davides, Christus, qui denique instituta a patribus tradita nimia fere religione custodirent, his,

in-

inquam, testibus authentias vindiciae eventu haud spero inani tentantur.

Obs. 2. Dubitationem vix iustam obmovebunt particulae quaedam, serius, quam quo autores libri inclaruere, aevum spirantes, v. c. narratio de morte Mosis et Iosuae, urbiumque adiuncta nomina, quae post fuere indita: namque vel eae per glossas infarctae librariorum audacia non possunt delere longe clariora antiquitatis vestigia, vel ab aliis adiectae sunt sine vitio, ne manca et abrupta videretur oratio, v. c. *Deuter.* 34, 5. sq. vel praeiudicia potius quorundam interpretum et opiniones de librorum autoribus ac aetate concutiunt, quam adversus authentiam valent. Fac igitur, plurima, quae post mortem Iosuae evenere, describi in libro Iosuae, alia in Psalmis occurrere, aliena a tempore Davidis, alia in Ecclesiaste multa dici, a Salomonis ingenio et phrasi abhorrentia, et similia: mihi quidem tota illa demonstratio persuadebit, errare, qui Iosuae librum esse a Iosua, omnesque Psalmos a Davide et libri Coheleth decreta Salomonis studio vel composita vel collecta existiment, sed dum vana refutantur de αυθεντια libri iudicia et precariae hypotheses, nolim ideo causae victoriam contra cultum quodvis rectumque per observationes criticas iudicium adserere.

Obs. 3. Singulorum librorum authentia ut defendatur, non est huius loci vel instituti. Historiae tamen causa, pauca in utramque partem monemus.

a) De Mosis libris, teste I. DAMASCENO, iam dubitarunt Nazaraei, (τας της πενταтευχου γραφας ουκ ειναι Μωυσεως δογματιζουσιν). HOBBESIVS superiori seculo (*Levtathan* P. 3. *c.* 33.) Mosis dici putat, quod de Mose agant; PEYRERIVS, Praeadamitarum fautor, epitomen potius scriptorum Mosis, quam Mosis authenticos commentarios superesse defendit (*Syst. theol. ex praeadamitarum hypothesi L.* 4. *c.* 1. *p.* 185. *sqq.*) cui fere suffragatur R. SIMON *hist. crit. du*

V.

V. T. L. 1. *chap.* 5. *et* 6. (*Rotterd.* 685. *p.* 31. *sqq.*) CLERICVS quoque in libro: *Sentimens de quelques theologiens d'Hollande Amst.* 711. 8. p. 126. pentateuchum a sacerdote e Babylonia, ut colonos imbueret doctrina Iudaica, misso (2 *Reg.* 17.) conscriptum adserere haud dubitavit; abiecta tamen priori sententia in *opere biblico T. I. Diss.* 3. authentiam, refutatis potius, quae obmoventur, dubiis defendit quam argumentis confirmavit. Easdem vindicias WITSIVS *Miscell. S. T. I. L. I. c.* 14. p. 117. sq. tentavit, et ex eo DEYLING *Obs. S.* (*Lips.* 720. 4.) *P. I. Obs.* 2. *p.* 7. *sq.*

b) De reliquis libris historicis semper, reticente scriptura sacra autorum nomina, liberum fuit iudicium. Iudaei tamen autores eorum faciunt *Prophetas* i. e. publicos reipublicae Iudaicae ministros. Cum enim Deus regimen gentis sibi vindicaret, Iudaeique omnes viros claros deque republ. vel armis et bello, vel sapientia ac consilio bene meritos summi rectoris adflatu impelli crederent; mirum non est, latissime patere prophetarum nomen, neque eos tantum amplecti, qui fata hominum populorumque nosse et praedicere posse putabantur, quanquam hos quoque, sed quoscunque quasi amicos et familiares regis sui, Dei, regundique populi socios ac ministros revererentur. Certe septuaginta seniores, a Mose constituti, dicuntur התנבא *Num.* 11, 25. 27. i. e. divina autoritate populum iudicasse, Mosesque ipse נביא προφήτης, virique Mosi similes inter populum נביאים, h. e. non vates, populi fata vaticinantes, quod raro fecisse vel Mosen ipsum constat, sed omnino monitores et doctores et gubernatores populi divina autoritate missi. Προφητεια quoque omnis doctrina publica dicta, ut bene monuit *R. Salomon ad Exod.* 4, 16. *propheta est, quicunque docet* (מוכיר) *et commonefacit populum.* vide KOPPII *N. T. Excurs. ad Ep.* 2. *ad Thessal. p.* 398. et qui haec prolixius persequitur, NIEMEYER *Charakteristik der Bibel T. V.* Ex his itaque dictis patet,

patet, quomodo ſcribae publici, quibus faſtorum et commentariorum cura demandata, viri ſane graves et primarii in republica, prophetarum nomine ornari potuerint. Hoc munere Eſaias et Ieremias functi occaſionem dederunt duplici commentariorum ſuorum editioni, altera annalibus publicis, altera ſcriptorum, ſuo nomine vulgatorum, corpori inſerta: reliquorum hiſtoriis, cum vaticinia non ederent, in unum librum communi titulo ſive copioſius ſive per compendium congeſtis. vide 1 *Chron.* 29, 29. 2 *Chron.* 9, 29. 12, 15. 2 *Reg.* 18. ſq. coll. *Eſ* 36—39. 2 *Reg.* 24. ſq. coll. *Ierem.* 52. Atque haec ſententia de autoribus librorum hiſtoricorum V. T. uſu loquendi a nobis confirmata, defenſoresque nacta graviſſimos e patribus Chriſtianis non video, qua re ſuſpicionem movere potuerit R. SIMONIO, qui eam pluribus ornavit in *Hiſt. crit. du V. T. L.* 2. *c.* 2. et defendit in *tr. de l'inſpiration des Livres ſacres avec reſponſe au Livre intitulé: Defenſe des ſentiments* etc. *Roterd.* 687. p. 20. inpr. 24. et ſq. niſi tenuis illa de inſpirationis indole idea et religioſa timiditas animorum iudicia recta turbaſſet. Sed hunc timorem ſequenti commate abigemus.

e) In libris propheticis, hymnorumque et ſententiarum collectionibus, non negaverim multam ſaepe dubitationem authentias ſuboriri, apud eos quoque, qui modeſte iudicant et nolunt ſine antiquis monumentis cauſas agitare. Verum vel periculum abeſt in hac dubitatione de libris, qui olim profuturi erant Iudaeis, Chriſtianis vix ſcripti videntur, dummodo antiquitatem teneas: unde v. c. Eſaiae, Ieremiae carmina nonnulla ad hos autores non referre, vix temerarium auſim dicere: vel inanes ſaepe quaeſtiones evitari poterunt, ſi teneas, titulum librorum aut compilatorem praeferre, aut autorem, atque vel hunc interdum ignotum eſſe vel illum latere: interdum etiam recentius adiunctos fuiſſe a Iudaeis, vix certa hiſtoriarum monumenta ſecutis. Vnde critico liberum eſto iudicium.

Obſ.

Obs. 4. Omissis patrum locis, quos SIMON l. c. laudat, unum addam COSMAE *Indicopleustae*, qui a Diodori Theodorique Mopsuestiae episcopi eruditione hausit, *Topogr. Christian.* (*in Collectione nova Patrum et scr. graec. Montefalcon. Paris.* 703. *fol.* Tom. 2.) L. 5. p. 238. Τινες εξ αυτων (των προφητων) ἑαυτοις συνεγραψαν τας ιδιας βιβλους, ὁιον ὁ Δαυιδ συνθεις τον βιβλον των ψαλμων, και Δανιηλ εν τη αιχμαλωσια κελευσθεις γραψαι, ἁπερ αυτω δι ὁρασεων απεκαλυφθη. ἡ και αλλοι τινες. Οι δε λοιποι ουχ ἑαυτοις συνεγραφον, αλλα γραμματεις ησαν εν τω ἱερω, ὁι εγραφον ἑκαστου προφητου, ὡς επι ἡμερολογιου, λογον, και ἡνικα απεςελλετο ὑπο θεου Προφητης κηρυξαι τι, — καθ᾽ ἡν ἡμεραν προεφητευεν, εγραφον εν τω λογω του προφητου εκεινου ὁ εκηρυττε, τουτεςι περι ἑνος πραγματος, και παλιν μετα καιρον, ει εκηρυξε περι ἑτερου πραγματος, παλιν εγραφον, ὑποτασσοντες εις αυτον τον αυτου λογον, ὡς αρχην κεφαλαιοις ποιουμενοι ὁ εκηρυξε, και ὁυτως πασαν την βιβλον αυτου συνετιθεσαν — ου μονον δε, αλλα και ἁι βασιλειαι τουτω τω τροπω εν τω ἱερω εγραφησαν κατα μερος. τω Σαουλ τα του Σαουλ κατα μερος εν τω καιρω του Σαουλ, τα ἑως του Σαουλ. εν τω καιρω του Δαυιδ τα ἑως του Δαυιδ. ὁμοιως τα ἑκαςου βασιλεως τα κατα τον ιδιον καιρον εγραφοντο. ὁμοιως εγραφον τα εν τοις σκρινιοις των βασιλεων, ἁς καλουμεν παραλειπομενας. την δε πεντατευχον Μωυσης εγραψε — Ιησους παλιν την ιδιαν βιβλον, τους κριτας παλιν εν τω ἱερω, ηγουν εν τη σκηνη ὁμοιως και την ρουθ. Σολομων παλιν τα ιδια εγραψε, τας τε παροιμιας, και τα ασματα, και τον εκκλησιαςην. σοφιας γαρ χαριν ειληφως παρα θεου και παντα ανθρωπον νουθετων σοφως αναςρεφεσθαι

φεσθαι εν τωδε τω βιω, προφητειας χαριν ουκ ειληφει. Haec ille, quae totidem fere verbis leguntur in *Chronico Alexandrino*, (edit. Monach. 1615. p. 158 sq.) repetita sine dubio e *Theodori* libris.

Obs. 5. Hebraeum textum qui negarent authenticum fuisse et originarium, nulli fuere, nisi quod GREGORIVS *Magnus L. 20. moral. in Ezech.* c. 25. Iobum Arabice scripsisse, translatum a Mose, existimet, defensorem nactus I. H. HOTTINGERVM *Thes. philolog. L.* 2. c. 1. sect. 3. p. 499. sed ea opinio nec fautores multos nec fundamenta firma habuit. Chaldaice tamen scripta videmus *Danielis* 2—7. *Esrae* 4, 8. 6, 19. 7. 10—27. et, dummodo hic locus genuinus sit, de quo iuste dubitat I. A. DATHE in vers. latina, *Ier.* 10, 11.

§. 39.

2) *Origo et Autoritas divina librorum V. T.*

Magis implicatur quaestio *de autoritate librorum* divina, quam nos quidem, haudquaquam per superstitionem vel ingenio Iudaico occoecati, iudicamus non posse negari, si autoribus librorum honor prophetici nominis concedatur, *2 Pet. 1, 21.* si argumentum spectet ad religionem Iudaicam, vere divinam, si denique Christi et apostolorum autoritate tanquam divini commendentur. *Matth. 15, 4. Rom. 3, 2. 2 Tim. 3, 15. 16.*

Obs. 1. Haud attinet repetere superiorem de inspirationis notione efformanda atque tuenda dissertationem (§. 30. Obs. 2.): satis est, monstrare, libros non sine numinis interventu editos. Ex his 1) a summa legis Mosaicae, quae imperium divinum stabiliret in gente Israelitica (de qua consulend.

fulend. IERVSALEM *Betracht. über die Chr. Rel. T II. p.* 472 sq. a prophetarum oraculis, quae inveherentur in corruptos seculi sui mores et futuros casus praedicerent, nemo facile abstergeet characterem originis, quam et legum sapientia et gravitas admonitionum ac miraculorum vis vaticiniorumque veritas vere diuinam arguit laudatque formula solemnis יהוה דבר *Exod.* 20. et alibi *Es.* 1, 1. 2. *Sam.* 23, 2. 3. et Iesus cum suis confirmant sive diserte 2. *Pet.* 1, 21. 1. *Pet.* 1, 10. 11. sive cum vaticinia ad spiritum divinum referunt 1. *Pet.* 1, 11. *Act.* 1, 16. 28, 25. 2) Sed in reliquis libris, historicis puto et dogmaticis, componendis eadem vi divina rectos et incitatos fuisse scriptores sacros, frustra statuitur. Equidem nec per conjecturas inanes, nec, ut spero, ullo religionis Christianae periculo, nedum detrimento, tenere ausim atque adstruere, rerum gestarum narrationes ex authenticis monumentis familiae Abrahami repeti et cogi, etsi quidam praeiudiciis suis capti indignum hoc scripturis sacris arbitrarentur atque haereseos novarumque rerum crimen, quo nihil ad conciliandam apud mulierculas et rudes invidiam efficacius reperitur, coniicerent in illos, qui antiquiorum carminum vestigia in Mosis scriptis cernerent.

Primum nemo, nisi opiniones Iudaicas, quae Mosen Deo dictante verba singula excepisse fingunt, mente conceperit Deumque donorum suorum prodigum nimis faciat, inficias ibit, Mosen, si ipsius aetate certa prostiterint et sancta antiquitatis monumenta, his omnino, etiam autore Deo, uti voluisse. Sed tabulas familiarum, carmina in memoriam rerum praeclare a maioribus gestarum et commentarios antiquae patrum illustrium religionis ac fidei quis defuisse existimet in gente, patriae pietatis cultrice et literarum haud experte, quum barbaras inter gentes heroum memoria carmine conservata floreret, et vicinos populos praeclaram fastis suis

operam impendisse v. c. Aegyptios et Tyrios sciamus? Confirmant has coniecturas luculenta Mosis ipsius indicia *Numer.* 21, 26. 27. et al. et styli ratio varia. Interdum enim Iehovae vocabulo utitur; interdum voce אלהים, uti bene observat EICHHORN in *Repertor. für bibl. und Morgenl. Literatur T. IV.* Iam concisior fere, quam lectoris fert cupiditas, iam copiosior et per ambages diducta oratio, v. c. *Genes.* 23. iam soluta et simplex, iam carminum floribus intertexta: iam continua, iam abrupta et summas quasi librorum exponens: iam, quo magis retro graditur ad initia mundi, brevior, nempe ob monumentorum raritatem, iam, ex quo coepit recentioris aevi fides transmittere monumenta sua ad posteritatem, prolixior, et plenissima in iis rebus, quibus ipse Moses dux et testis interfuit, reperitur. Neque etiam quis sibi persuadeat, ob argumenti gravitatem hunc delectum fieri, nisi ad religionem magis faciat agelli vel sepulcri emtio venditio, vel Iosephi historia prolixa, quam creationis et primorum generis humani parentum descripta brevissime. Accedit harmonia scriptorum profanorum et Mosis, quos e communi fonte traditiones suas decerpsisse probabilius statuitur, quam huius libris plagiariorum more usos fuisse.

(ASTRVCK) *Coniectures sur les memoires originaux, dont il paroit, que Moise s'est servi pour composer le Livre de la Genese. Bruxell.* 753. *I. Iac.* SCHVLTENS *diss. qua disquiritur, unde Moses res in libro geneseos descriptas didicerit. Lugd. Bat.* 753. inserta I. OELRICHS *Belgii literati opuscul. T. I. Brem.* 774. 8. IERVSALEM *l. c.*

In reliquis post Mosen editis historiis, fere Iudicum, Regum, Chronicorum, tam manifesta indicia tamque luculenta testimonia extant narrationis e commentariis publicis congestae, ut equidem mirer illorum vel imbecillitatem vel auda-

audaciam, qui diviniores faciunt libros, quam eos ipsi librorum autores facere voluerunt. Fontes enim compendiariae narrationis laudantur *Liber bellorum Domini Num.* 21, 14. *Liber* ישר cuius fragmenta extant *Iof.* 10, 13. et 2 *Sam.* 1, 17—27. unde patet carminum antiquorum in texenda historia usus, nec frustra tenetur, Iosuae librum seriore aevo editum fuisse. Libros prophetarum *Gad* et *Nathan* 1 *Chron.* 29, 29. *Athiae* et *Ieddo* 2 *Chron.* 9, 29. alios 12, 15. 20, 24. 33, 19. memoratos video: et, ad quem saepe ablegant Regum libri, libri דברי הימים vereor, ut hodie in Chronicorum libris, brevitatem epitomes praeferentibus, non autem copiosos fastos, integer extet. Iosephvs quoque, etsi magnifice satis sentiat de librorum domesticorum autoribus, tamen pleraque, quae a coaevis consignata sunt, non audet inspirationi divinae tribuere, *contra Apion.* L. I. c. 7. dum ait: non omnibus promiscue autores esse licuit, sed prophetis tantum, *μονων των προφητων, τα ανωτατω και τα παλαιοτατα κατα την επιπνοιαν του θεου* (per inspirationem) *μαθοντων, τα δε καθ' αυτους, ὡς εγενετο, σαφως συγγραφοντων.* Si qui his adsertionibus periclitari autoritatem verbi divini formidolosa suspicione credunt, ego quidem ne umbram periculi meis, christianis puto, oculis sentio. Taceam, quod alii saepe inculcarunt, libros V. T. et verbum divinum haudquaquam synonymam vim habere: neque urgeam, christianae religionis autoritatem divinam non adeo pendere a decretis vel libris Iudaicis, ut iis vel penitus repudiatis illaesa manere nequeat, vel elevetur, iniecta dubitatione de honore historiarum V. T. nam vel hanc opinionem ut novam et alienam forsan damnabunt: id unum contra monere, ut scrupulum eximamus, sufficiat. Quodsi Matthaeo licuit, ad tabulas familiae Davidicae recurrere, Marco, consultis Matthaei libris texere historiam, et Lucae, plu-

rium testimoniis uti, Iohannique, narrationum argumenta ex animi conscientia describere: quonam iure indignus Mose vel prophetis habeatur traditionum patriarum, quarum fidissimi semper olim essent custodes, et observationum suarum pro consilio suo usus? Quin alienus potius tum a virorum genio et patriae amore videri possit sanctorum antiquitatis monumentorum contemtus, tum a Dei sapientia repetitum frustra adiutorium diuinum, quod autores primum, dein epitomatores adflaverit.

Restant libri dogmatici et moralis argumenti vel carmina. In his quaesita artis humanae laus, orationis pro ingeniorum diversitate character multifarius, forsitan quoque in multis (exceptis vaticiniis) ipsius argumenti natura, cui inveniendo poliendoque vires autorum naturales suppetebant, ut sunt plurimae Salomonis sententiae et imagines in Ecclesiaste ac Cantico Canticorum, vetat omnino supprimere et excludere proprios motus in animo scriptorum atque ad idearum divinitus infusarum miraculum confugere. Neque hoc loco praeteriri poterit observatio, quam supra tetigimus (§. 30. Obs. 2. b.) non prophetas tantum imitari antiquiorum carmina et describere, verum extare etiam interdum duplicem vnius hymni recensionem, politiorem alteram, alteram minus ornatam, interdum quoque, permixtis invicem antiquioribus, novos componi psalmos v. c. *Ps.* 135. et Salomonis sententias quasdam iisdem verbis repeti. Anne quaeso, quodsi in his nihil efficit studium humanum, bis inspirasse dicamus Spiritum S. nescio quonam consilio, et emendasse opus suum ac dicta sua recoxisse? Haec quidem omnia in eum finem monui et digna observatu duxi, ut discamus, quantum moderari deceat nimis liberalem de origine divina immediata omnium V. T. librorum, qua res, qua voces, opinionem cupidamque nimis vehementiam, qua multi saepe adver-

adversarios commentorum Iudaicorum pro arbitrio res novas tradere calumniantur.

Obs.2. Itaque negem libros V. T. omnes divinos esse? Minime quidem. a) Didici enim servatori nostro et primis religionis Chr. doctoribus, Paulo praecipue, cui tamen primaria V. T. pars, lex Mosaica, πτωχων ςοιχειων nomine venit, eum honorem deferre, ut quos illi divinos appellant libros, iis ego per sacrilegium hunc titulum auferre non ausim. vide *Matth.* 15, 4. 1. *Tim.* 3, 15. *Rom.* 3, 2. v. I. Fr. BVRSCHER Progr. *Christus divinae Mosis ac Pentateuchi autoritatis vindex.* 1772. sq. Lips. b) Praeterea supra monui, in republ. Iudaica, quae Deum summum dominum unicumque rectorem, non animi solum et religionis, sed politiae quoque colebat, semper vixisse prophetas i. e. virorum divinorum concilium senatumque, penes quos domesticarum rerum administratio, in re gravi consilium, legum tuendarum et interpretandarum omnisque eruditionis et historiae cura fuit ac tanta autoritas, ut quidquid praeciperent, docerent, suaderent, scriberent, id omne ad Numen, sine quo nemo, ut *Cicero* ait, vir magnus fuit, quasi praesidem populi virorumque praeclare meritorum directorem referretur. Iam si Moses איש האלהים Ps. 90, 1. si Iosua, si Samuel, Nathan, Esaias, Ieremias, aliique, quos divino adflatu incitatos res graves sive regendo sive monendo egisse constabat, texerent temporis sui historiam: ecquis miretur, summo honore haberi libros, quorum autores ut familiares Numinis sui colerent? nisi forte cui IOSEPHI antiquior videatur fides, cum prophetis et sacerdotibus *demandatam* fuisse tradit curam historiae Iudaicae conscribendae: εξ αρχης, inquit *contra Apion.* I. 7. επι τουτων [περι τας αναγραφας] τους αριςους και τη θεραπεια του θεου προσεδρευοντας κατεςησαν. c) Porro si nostri libri ideo divini iure salutantur, quia fontes sunt

 et

et adiutoria religionis divinae atque ad pietatem utilissimi (§. 30.) quomodo illustre cognomen detrahatur a libris, qui religionis Iudaicae, vere divinae (cf. supra §. 4. Obs. 3. a. p. 10.) fontes et promtuaria fuerunt? Atque ego scio, SEMLERVM pie et constanter negare, το θειον iis scriptis inesse, quae non omni tempore utilia reperiantur προς διδασκαλιαν, προς ελεγχον, προς επανορθωσιν sensusque Christianos excitandos, Pauli inprimis subnisum testimonio 2 *Tim.* 3, 16. Sed, pace Viri dixerim, primum Paulus vix eo loco finit characterem θεοπνευστιας. (vide Obs. sequentem). Deinde cum nec omnibus omnium copia esse queat Deusque semper necessitatibus hominum, prout capaces sunt fruendis bonis suis, prospiciat per sapientem οικονομιαν, atque puerorum beneficia non prosint adultis et tamen beneficia vera pueris habeantur, denique ab hominis fere animo pendeat utilitas, quam e libris sacris capere velit et possit, dum alius alio modo afficitur Scr. S. lectione: equidem vereor, ut aut quidquam restet in rebus humanis, quod vere divinum salutari possit, aut incerto charactere iudicium de divina librorum V. T. dignitate finiri queat. Potuere sane ac debuere magno rei Iudaicae commodo multa componi et libris publicis immisceri, quorum in statu Christiano tenue omnino atque stipulis aridius argumentum in usus nostros non possumus convertere, v. c. Ruthae libellum, heroum Davidis catalogos, senatus regii indices, imagines templi Salomonaei et innumera alia: sed faciunt ad Iudaeorum religionem veterem, divina autoritate stabilitam, sed tradita sunt ad informationem ingenii Israelitici atque eo plane collineant, ut theocratiae autoritas sustineatur, religionis puritas conservetur et gravissima capita, de Deo uno, maximo, praeside populi, et de magno gentis miserae restauratore illustrentur. Hoc consilio Moses plura selegit ex historia antiqua v. c. *Genes.* 2, 1. 3. 9, 24. habito semper ad

ad gentem legemque suam respectu. Iudicum libellus, Estheris quoque, Esrae, Nehemiae, gratam posteris benevolae Numinis curae memoriam commendant: annales familiae Davidicae, cui magnus olim successor promissus erat, fata exponunt: neque in carminibus et sententiis desunt, quae solis Iudaeis et orientali genio apta, neque tamen minus utilia existimantur atque ad morum pietatisque studium efficacissima. Quemadmodum autem non dubitamus doctrinae Chr. institutionem, etsi imperfectione laboret et in melioris vitae statu desinat esse utilis, divinam dicere, quia pro tempore et facultate in usum nostrum convertitur: ita libros, quibus V. T. disciplina continetur, quamvis cesserit meliori, ob argumentum utilitatemque temporariam divinos appellare licebit.

Obs. 3. Dictum Pauli 2 *Tim.* 3, 15. 16. sive antiquos interpretes audias sive consilium scriptoris expendas, exponendum videtur: *Omnis divinitus inspirata scriptura utilis est ad doctrinam.* Ita saltim Syrus interpres, cui θεοπνευστος subiecti, ωφελιμος praedicati vim habet, et Vulgata, quacum facit TERTVLLIANVS (v. supra §. 31. Obs. 4.) Sic THEODORVS *Mopsuestiae Ep.* ap. FACVNDVM *Hermian. pro defensione trium capitul. L.* 3. *cap.* 6. *pag.* 127. ed. *Sirmond. Paris.* 629. 8. *omnis scriptura divinitus inspirata utilis:* favente e nostris huic interpretationi HEERBRANDO, *Seb.* SCHMIDIO (v. SEMLER *v. Canon. T.* 2. *p.* 82. sq.) et GRVNERO *progr.* 775. ac, qui reliquis testibus gravior habetur, contextu. Nempe admonetur Timotheus, ut constanter servet doctrinam puriorem, partim revolvens animo institutionem priorem, partim sacras literas, (V. T.) quibus a pueritia imbutus erat, sedulo tractans, duplici commodo, tum suo, tum aliorum, quorum commonefaciendorum materia in his libris amplissima extet. Hanc insignem patriorum scripto-

rum (ἱερα γραμματα vocat) utilitatem laudat verbis: δυναται σε σοφισαι εις σωτηριαν. Sequentia eandem sententiam, ut solet Apostolus, mutata phrasi repetunt, neque, ut *Lutherus* uoluit, inserta vocula: *Denn*, quam textus ignorat graecus, causam et confirmationem vel commendationem propositionis superioris exhibent neque, quod SEMLERO probatur, characterem librorum divinorum: dicendum enim potius fuisset: πασα γραφη ωφελιμος προς διδασκ. etc. θεοπνευστος, sed, ut diximus, repetitionem. Itaque quae prius dixerat ἱερα γραμματα iam πασαν γραφην θεοπνευστον (alias προφητικην *Rom.* 16, 26.) appellat: dein δυναται σοφισαι σε εις σωτηριαν exponit, ωφελιμος εστι προς διδασκαλιαν (*institutionem*) προς ελεγχον (*ad refutandos errores*) προς επανορθωσιν (*ad correctionem*) προς παιδειαν την εν δικαιοσυνη (*ad virtutis institutionem*), ut ανθρωπος θεου (*minister Ecclesiae*) sit αρτιος, (*omni numero absolutus*) et προς παν εργον αγαθον (*ad omnes muneris sui salubris partes*, cf. Cap. sq. v. 5. 1. *Tim.* 3, 1. *Tit.* 1, 16.) *idoneus*. Quo clarum fit, quisnam sit ille σοφισμος literarum sacrarum, quo uti in gerendo munere possit atqui debeat. Iam quum, quoad scio, prius ilud nemo interpres exposuit: literae sacrae habeantur illae tantum, quae faciunt ad doctrinam salutarem, sed sic in his libris plurima sunt, unde hic fructus capitur; ita non ausim posterioris sensum statuere hunc: illa scriptura θεοπνευστος dici meretur, cuius argumentum in usus publicos religionis converti poterit. Argutari quoque in voce πασα nolim, cui adhaerentes plurimi, singulas librorum partes, decreta, voces, apices, θεοπνευστιας honore exceperunt. Dictio plane analoga extat *Act.* 10, 34. παντες προφηται, quibus laudatis nemo somniat Petrum de singulis prophetarum sermonibus, commatis, vocalium atque accentuum

centuum ſignis cogitaſſe. Alterum dictum Petri 2. *Ep.* 1, 20. originem divinam prophetiarum V. T. clare demonſtrat.

Obſ. 4. Varia ſemper hoc quoque loco et diviſa ſive Iudaeorum ſive Chriſtianorum iudicia lata fuerunt. E *Iudaeis* IOSEPHVM videmus (l. c. obſ. 1.) vatibus tantum inſpirationem concedere, reliquis non item, quamquam θειας γραφας, ἱερα γραμματα ſaepius laudet. Talmudici נבואה et רוח הקדש diſtingere iubent. E Chriſtianis coetibus haud ita multo poſt aevum Apoſtolicum fuere, qui Moſaicae legis originem divinam penitus negarent. *Gnoſticorum* quidam auſi ſunt a Demiurgo, (ὑπο του αντικειμενου φθοροποιου διαβολου) legem latam affirmare. PTOLEMAEVS *Gnoſticus*, *Ep. ad Floram* (ap. GRABE *Spicil. Sec.* II. p. 71.) trifariam legis diſtributionem autoritate N.T. defendere conatur, εις τον θεον, τον μωσεα, ϗ καθα (ſic legendum videtur pro καθ᾽ αυτο) δι αυτου νομοθετει ὁ θεος, αλλα καθα απο της ιδιας εννοιας ὁρμωμενος και ὁ Μωσης ενομοθετησε τινα — και εις τους πρεσβυτερους του λαου. THEODORVM *Moſueſtenum* legimus *in Actis Concil. quinti oecumenici, Conſtantinopolitani ſecundi, Collatione* 4. *num.* 63. *excerptorum* e Theodori libris (ap. HARDVIN. *T. III. Concil. p.* 86.) docuiſſe: *His quae pro doctrina hominum ſcripta ſunt, et Salomonis libri connumerandi ſunt, id eſt, Proverbia et Eccleſiaſtes: quae ipſe ex ſua perſona ad aliorum utilitatem compoſuit, cum prophetiae quidem gratiam non accepiſſet, prudentiae vero gratiam, quae evidenter altera eſt praeter illam.* Et *n.* 67. *p.* 87. de libro Iob: *mihi ex tota libri conſcriptione certus eſt conſcriptor paganica ſcientia eſſe eruditus, ad cuius imitationem praeſentem volens ſcripturam componere, nocuit hiſtoriae pulchritudini. Et iſte autem cum inveniſſet et de beato Iob hiſtoriam maximam et claram, — quem*

etiam clariorem Dei testimonium faciebat, quod factum est ad prophetam (nempe Ezechielem, unde patet seriorem Ezechiele videri librum. Theodoro) — *gloriam ex magnitudine causae volens suscipere hanc scripturam composuit, non cogitans, quod multa differentia est inter historiam iusti secundum scripturae divinae et simplicitatem et subtilitatem propositam, et inter verba superflua et ad probationem conficta.* Eodem loco n. 68. et 71. p. 88. *Cantici Canticorum* autoritatem elevat: *Piguit Cantica cant. perlegere, quoniam neque secundum propheticam speciem exposita sunt, neque secundum historiarum traditionem, neque demonstrativa admonitione studii utuntur. — Oportet legentes librum nec ad impudicitiae hortationem putare esse conscriptionem sapientissimi et propter hoc odisse — nec collaudare codicem sicut habentem propheticam dictationem bonorum ecclesiae. Si enim propheticam gratiam meruisset, mentionem alicubi Dei fecisset. — Vnde nec Iudaeis nec nobis publica lectio unquam cantici Cant. facta est. Spinoza, Simonius, Clericus* et nuper *Semlerus, Oederus*, in plerisque libris, aperte iam, iam obscurius humanae sapientiae Iudaicique ingenii, quod multum differt a Christiano, vestigia reperiri contenderunt atque, si vel non omnibus decreta sua, repetita saepius quam confirmata, persuaserint, eos tamen gratiam mereri existimem, quod superstitionem, quae semper Numinis obtentu humana omnia deprimit, profligare laborarint.

§. 40.

3) *Collectio in unum corpus.*

Fuere quidem ante Esram libri diversis temporibus autoribusque editi, ac collecti *Prov. 25, 1. Eccles 12, 9.* sed primus tamen Esras, si Iudaeis fides habetur, antiquis, quotquot fere supererant, nova cura collectis additisque historiis sui temporis totum corpus confecit, ad Christia-

ſtianos coetus translatum. Singulorum tamen non par habitum eſt pretium, aliis publico uſui Synagogarum deſtinatis, aliis remotis. Libros V. T. quos *apocryphos* hodie vocamus, nunquam videmus a Iudaeis, ne Alexandrinis quidem, ſacrorum elogio ornari.

Obſ. 1. Quodſi autoritas canonica eſt privilegium lectionis publicae coram coetibus Iudaeorum vel Chriſtianorum, (§. 31.) multos ex hebraeis libris ea caruiſſe, patet: ſed in hac diſputatione ſatis ſit demonſtraſſe locum libri in corpore Iudaico ſcripturae ſacrae.

Obſ. 2. Huius autem hiſtoria per *tres* optime diſtribuitur temporum *Periodos*. *Prima* finitur Eſrae aevo, quem reſtauratorem et compilatorem patriorum ſcriptorum Iudaei laudant: *altera* perſequitur fata huius collectionis inter Iudaeos: *tertia*, quaenam inter Chriſtianos librorum V. T. ratio conſtiterit, exponit.

A) Iam *ante Eſram*, reducis ab exilio populi imperatorem, plures V. T. partes in unum collectas extitiſſe, multis indiciis conſtat. α) Antiquiorem Eſra Moſis librorum collectionem laudant non Ioſuae tantum et Samuelis hiſtoriae (loca vide ſupra §. 38. obſ. 1.) ſed Samaritanorum quoque religio conſervavit. Hi enim ſeceſſione a Iudaeis facta, patriae tamen legis cuſtodes diligentes, abiectis reliquis libris, quos eo tempore publicam autoritatem nondum fuiſſe conſecutos haec ipſa hiſtoria demonſtrat, Pentateuchum Moſis adhuc evolvunt atque iisdem fere verbis, eadem autoritate, qua Iudaei habent. Neque Iudaeos poſt ſeceſſionem a Samaritanis, neque Samaritanos a Iudaeis, exorto capitali inter utrosque odio, libros divinos adoptaſſe credibili ulli videbitur: neque cauſa ſuberat, cur alios antiquos libros, ſi plurium copia fuiſſet ac autoritas publica, repudiarent. Neque

fun-

fundamento nititur quorundam opinio, qui praeter Pentateuchum alios quoque libros ab iis probari ut divinos tradidere. vid HOTTINGER *Exerc. Antimorinianae p.* 110. *Fr. Imman.* SCHWARZ *exercit. in utrumque Samaritanorum pentateuchum.* Witt. 756. p. 61—68. Fuere quoque carminum collectiones, quamquam vix publico usui destinatae, quarum primam Davides procuravit, altera seriorum temporum Hiskiae studio compilata videtur, tertia a Psalmo XC. obscurum autorem habet. Salomonis sententiae partim ab autore, partim Hiskiae, pii sacrorum Iudaicorum restauratoris, cura collectae videntur (*Prov.* 25.): et si quid video, eo moderatore, congregatio librorum sacrorum colligendorum coiit, per quam primum corpus scriptorum moralium diligenti solertia et religione critica congestum et publicatum fuit, clausum libro Ecclesiastis. Adiuvat coniecturam primum clausula libri *Coheleth*, quam potius voluminis magni, quam brevis carminis, appendicem dixeris. Namque librum ipsum finiri commate octavo capitis duodecimi, sponte patet. Quae subiungitur, historias tractant et admonent de usu legitimo carminum et librorum, formandis moribus editorum. *C.* 12, 9. *Quandoquidem Academia* (קהלת) *eruditorum multifaria doctrina instituit populum, ac auditioni et meditationi vacavit, multas congessit sententias. Inquisivit Academia, ut sententias suaves reperiret et scripta genuina* (דברי ישר) *doctrinae piae. Sapientum dicta acuta, stimulorum instar et clavorum, charactere notata sunt per societatem eruditam, et edita a praeside primario. Ex hoc loco* MELANCHTHON, vir summus, *coniicio* inquit (*Annotat. in Ecclesiasten p. m.* 134. *Frf.* 548.) *fuisse aliquos ordinatos in isto populo, quorum officium erat relegere libros et veras historias, quas digererent in annales hebraeorum et reliquos in ordinem redigerent, ut sic facerent libris autoritatem et adprobarent,*

qui

qui digni essent lectu. Sic fuerunt multi autores, qui scripserunt biblia: ex istis autem omnibus recepti et adprobati sunt illi libri, quos hodie vocamus biblia. — Verba sapientum sunt — clavi plantati, habent autoritatem a viris congregationis. Reliqui libri non sunt tales. Haec ille. Praeterea, quae sequuntur Ecclesiastis librum, partes voluminis hebraei omnino recentiores sunt prioribus, adeoque non immerito statuitur, hoc loco finiisse primam librorum V. T. quos כתובים vocamus, collectionem, auctam forsan Esrae diligentia et in eum numerum, quem hodie conservamus digestam ac conservatam, ut post eum nova supplementa nulla accesserint.

B) Eam Esrae diligentiam, sive privatam, sive societate quadam pia (inprimis Nehemiae, quem βιβλιοθηκην coegisse librorum regum et prophetarum et Davidis et epistolarum regiarum περι αναθηματων, autor est liber *Maccabaeorum secundus* c. 2, 13.) adiutam, quae populi sui antiquas historias et carmina collegit, laudant Iudaei, quibus, quare fidem temere derogemus, non video. Haud dicam de nomine סופר, quod sine dubio Esra sibi vindicavit ob literarum patriarum studium, neque de cura restaurandi antiqua sacra librisque sacris colligendis et in usum publicum exponendis intenta *Esr.* 7. *Nehem.* 7. quam patres quoque antiquissimi celebrant, quum adflatu divino Esram corruptos Iudaeorum libros restaurasse et digessisse tradunt (τους των προγεγονοτων προφητων παντας ανατάξασθαι λογους, διαφθαρεισων των γραφων) ut est apud CLEMENTEM *Alex. Strom.* L. 1. c. 22. p. 410. ed. *Potter* (*Oxon.* 715.) et IREN. *L.* 3. *c.* 25. unde TERTVLL. *de habitu mul. c.* 3. ac alii sumsisse videntur, quorum e testimoniis equidem fabulam de restitutione librorum abolitorum et de-perdi-

perditorum, per Esram tentata, non ausim elicere, cum aliis. Hoc tantum defendam, me per totum codicem hebraeum nihil adhuc legisse, quo suspicio recentioris Esra compositionis vel alatur vel comprobetur. Psalmis quidem plures e Maccabaeorum aevo inesse VENEMA, clarus interpres, sumit: et tabulae librorum Chronicorum genealogicae ad tempora Christo vicina produci OEDERO cum aliis videntur. Sed illi facili diligentia de fatis religionis Israeliticae, Baalitarum tyrannide oppressae, vel exilio Babylonico adflictae exponuntur: in his, si quidem magis quam fieri cernimus adiuvari posset coniectura, interpolatorum audaciam multos locos tentasse, mira lectionis codicum et versionum varietas demonstrat. *Siraciden* Mosis libros historiasque Iosuae, Iudicum, Regumque et Prophetarum, Esaiae, Ieremiae, Ezechielis ac δωδεκαπροφητων volumina hymnosque Davidis ac Salomonis carmina et Nehemiae fastos tractavisse merito colligimus e *Cap.* 44 — 49. Maccabaeorum tempus calamitosum eripuit Iudaeis vel deformavit βιβλους της διαθηκης 1 *Macc.* 1, 59. 60. 3, 48. quos ideo publice habitos fuisse colligitur. Sed ea omnia demonstrant potius, extitisse collectionem librorum sacrorum, in quam plerique superstites adhuc libri hebraei adoptati fuerint, quam catalogo integri voluminis texendo serviunt. Neque novi Testamenti scriptores, nisi quod tripartitum corpus laudent V. T. (vide §. 37. Obs. 2. p. 104.) et e plurimis V. T. partibus varia decreta repetant, historiam canonis Iudaici valde adiuvant. E reliquis PHILO plurimos libros, qui hodie hebraeorum canonem constituunt, sparsim laudat, addito elogio του θειου, cuius loca coegit *Cl. Fr.* HORNEMANNVS *Observ. ad illustrationem doctrinae de canone V. T. ex Philone. Goett.* 775. et EICHHORN *Einl. in das A. T.* p. 54. sqq. In quo non omitti debet, libros apocryphos nullibi ab eo laudari, etsi a

patria

patria et ingenio Philoniano haud alienos. Vnus et primus IOSEPHVS *contra Apion. L. I. c. 8. p.* 441. *T. II. ed. Haverc.* divinorum, quos agnoverat, librorum indicem, narratione obscura nimis et litibus ciendis magis quam componendis apta instruit. Verba sunt: ου μυριαδες βιβλιων εισι ἡμιν — δυο δε μονα προς τοις εικοσι βιβλια, του παντος εχοντα χρονου την αναγραφην, τα δικαιως θεια πεπιστευμενα. και τουτων πεντε μεν εστι τα Μωυσεως, ἁ τους τε νομους περιεχει και την της ανθρωπογονιας παραδοσιν μεχρι της αυτου τελευτης — απο δε της Μωυσεως τελευτης μεχρι της Αρταξερξου, του μετα Ξερξην, Περσων βασιλεως αρχης ὁι μετα μωυσην προφηται τα κατ᾽ αυτους πραχθεντα συνεγραψαν εν τρισι και δεκα βιβλιοις. ἁι δε λοιπαι τεσσαρες ὑμνους εις τον θεον και τοις ανθρωποις ὑποθηκας του βιου περιεχουσιν. Addit, superesse ab Artaxerxis imperio alias quoque historias, sed nequaquam tantam fidem, quantam superiores, meruisse. Atque ego nolim lites componere, de rationibus Iosephi et numero XIII. propheticorum, et IV. λοιπων librorum. Difficile enim videtur, aut coniecturas novas probare, aut inter novos loci huius interpretes quasi arbitrum agere, quorum quisque eausae suae patrocinatus indicem Iosephi, invito forsan autore, exposuit: OEDERVS (*freye Vntersuchungen über einige Bücher A. T.* Halae 771.) ut proscriberet Chronicorum, Estheris, Esrae, Nehemiae libros, et aliorum fragmenta: I. P. A. MVLLERVS *Belehr. vom Canon A. T. Lips.* 774. 8. C. F. SCHMIDIVS *Historia antiqua et vindicatio canonis S. V. et N. T. Lips.* 775. *ac Enarratio sententiae Fl. Iosephi de libris V. T. Witt.* 777. et EICHHORN *Einl. in das A. T. p.* 81. ut nostri Codicis integram formam tuerentur. Licebit tamen, libere sententiam nostram profiteri, non ut certam et indu-

indubiam, ſed ut appareat, quam deſperata ſit loci difficilis interpretatio. Atque de *Pentateucho* Moſaico pronum fertur iudicium. 1) *Geneſis* 2) *Exodus* 3) *Leviticus* 4) *Numeri* 5) *Deuteronomium.* Impeditior quaeſtio de *hiſtoricis XIII.* quorum numerum ſic finire auſim 1) *Ioſua* 2) *Iudices* 3) *Ruth* 4) *Samuelis libri duo*, in unum volumen congeſti. 5) *Regum libri duo.* 6) *Eſaias.* 7) et 8) *Ieremias*, quem diſerte tradit IOSEPHVS *duos libros* reliquiſſe *Ant. Iud.* L. 10. c. 5. 1. T. I. Haverc. p. 520. πρωτος (laudarat Ieremiam et Ezechielem) περι τουτων δυο βιβλια γραψας κατελιπεν: praeter 9) *Threnos: Ioſeph* l. c. Ιερεμιας επικηδειον αυτου συνεταξε μελος θρηνιτικον, ὁ και μεχρι νυν διαμενει. 10) *Ezechiel* 11) *Daniel* (v. IOSEPH. l. c. c. 10, 6. p. 536. et 11. pag. 543.). 12) δωδεκαπροφητων liber. Decimum tertium non auſim finire. Eſtherae librum, etſi hiſtoriam prolixe repetat Ioſephus, vix tamen ut divinum coluit, nam Ant. Iud. L. 11, 6, 1. p. 566. dubitanter inquit ἡν και σωσαι εθνος ἡμων λεγουσι. Ex Eſrae commentariis multa repetit ac Nehemiae, alia e Chronicorum libris, nullo tamen θειων βιβλιων elogio. *Tertia* claſſis quatuor *moralium* ſcriptorum aeque incerta. 1) *Pſalmi* 2) *Iobus* 3) *Sententiarum Salomonis* liber. *Quartum* videtur *Eccleſiaſtes* vel *Coheleth*, qui τας του βιου ὑποθηκας plures continet. Sed iis vix ſuffragari poſſum, qui uno volumine Eccleſiaſten et Canticum contineri ſtatuunt, nec enim alterutrius diſerte meminit Ioſephus locis aliis, neque ſpecie ulla commendatur opinio, opuſcula plane diverſa uno nomine recenſeri. Sed erit haec deducendi locus alius commodior. Novum V. T. catalogum exhibent *Talmudici* in tr. *Bava Bathra* f. 17, 2. *Lex ſunt quinque libri Moſis. Prophetae ſunt VIII. nimirum priores* 1. *Ioſuae.* 2. *Iudicum.* 3. *Samuelis* 4. *Regum: et poſteriores* 1. *Ieremias.* 2. *Ezechiel* 3. *Eſaias.* 4. duode-

cim

cim *minores. Hagiographa sunt XI.* 1. *Ruth.* 2. *Psalmi.* 3. *Iob.* 4. *Proverbia.* 5. *Ecclesiastes.* 6. *Canticum.* 7. *Threni.* 8. *Daniel.* 9. *Esther.* 10. *Esra et Nehemia.* 11. *Chronica.* cf. BVXTORF. *Tiberias* c. XI. Ceterum Iudaei ipsi fatentur, quosdam ex his libris fuisse olim *ἀντιλεγομένους* nec sine controversia publico usui consecratos. Quodsi enim Talmudicis fides habetur, Ecclesiasticis opusculum propter sententias *ἀσυμφώνους* et Epicureas quidam voluerunt accenseri libris prohibitis (גנוזים, *apocryphis, abscondendis*), quod et *Maimonides* (*More Nevoch.* L. 2, 28.) et suo iam tempore *Hieronymus* ad *Cohel.* 12. tradunt. Proverbiorum librum, in *Mass. Schabat.* c. 2. f. 30. docetur, fuisse, qui reiicere vellent propter dicta contraria: Cantici lectionem iuvenibus absconderunt alii: alii de Ezechielis libris graviter dubitarunt. Atque hinc traditur in *Pirke Aboth* ab initio, Proverbia, Ecclesiasten et Canticum fuisse quondam a canone suspensa, donec venirent viri Synagogae magnae et ea recte exponerent. Sed hunc testium numerum merito suo adaugent *interpretes graeci*, praeter Alexandrinos, *Aquila, Symmachus* et *Theodotion*, altero post C. N. seculo clari, quorum diligentia V. T. libros publicos popularibus suis lingua vernacula tradidit, haud alios, quam quos adhuc tenemus, nisi quod nulla adhuc librorum Estherae, Esrae et Nehemiae fragmenta translationis supersint, aut quia plane perierunt, aut quia haec opuscula ut *ἀκανονιςα* graeco sermone exhibere dubitarunt: neque enim ad limpidum causa perduci poterit. Atque utut Iudaeos *Alexandrinos* scripta alia domestica voluminibus suis adiecisse concedam, ut *Tobiae librum, Iudithae historiam, Ecclesiasticum vel Salomonis Sapientiam, Siraciden, fragmenta Estherae, Maccabaeorum historias, Danielisque appendices* et carmina quaedam (reliqui enim, quos *ἀναντιῤῥήτως* apocryphorum nomine

 habemus,

habemus, *Esrae librum tertium* et *quartum*, *Maccabaeorum III. et IV.* et pauca alia, vix digna memoratu habentur): nondum tamen probabili argumento evictum legi (neque etiam poterit vinci per Iudaicorum librorum ex illa regione iacturam et Philonis, testis unici, silentium) ab Alexandrinis novos hos libros autoritate divina fuisse consecratos. Suntque potius, si quid iudico, ex eo genere, quod haud pari cum superioribus fide habitum meminit *Iosephus adv. Apion. L. I. c.* 8. *p.* 441. qui et ipse e graecis Alexandrinorum libris v. c. primo Maccabaeorum, plurima haud veritus est depromere atque in historias suas transferre. Neque hoc loco omitti poterit PHILONIS de libris *Therapevtarum*, sectae Iudaicae rigidioris, testimonium apud EVSEB. *H. E. L.* 2, *c.* 17. p. 67. dum, *in singulis domiciliis*, inquit, *est quoddam sacellum, in quod nihil secum inferunt, nisi* νομους και λογια θεσπιθεντα δια προφητων και ὑμνους (legem, prophetas et hagiographa; vide supra p. 103.) και τα αλλα, οἱς επιςημη και ευσεβεια συναυξονται και τελειουνται. Es his apparet, Palaestinorum et Aegyptiorum Iudaeorum canonem non adeo fuisse diversum, qua de re multa egregie coegit EICHHORN *Einl. in das A. T.* §. 20—50. p. 40—96.

C) Restat, ut de canone V. T. qualem *Christiana* antiquitas tenuit, exponamus. Atque cum *origines* rei christianae a Iudaeis repetantur et libri Iudaici, publicis lectionibus consecrati, commendentur per Iesum eiusque Apostolos: facile intelligitur, primum, quanam autoritate, quove iure ad ecclesias Christianas V. T. volumen vel conservatum a christianis ex antiqua religione, vel adoptatum propter dignitatem inter Iudaeos, transierit; dein, quibusnam partibus constiterint volumina christiana, videlicet libris haud aliis, quam quibus Iudaei divinorum et publicorum honorem deferrent. Sed cum nemo coniector ausit per bre-

breves et obscuros indices efficere ac finire singulorum titulos ac numerum universum, et vulgaris opinionis de canone Iudaeorum confirmato et probato per Iesum, cui tamen censoris critici provincia vix erat demandata, futilia sint argumenta, neque Pauli elogium *Rom.* 3, 2. ad hanc causam iuvandam valde idoneum videatur: sufficiat tenere, Apostolos, ubi dictorum suorum veritatem, sive orationibus sive literis, munire conantur, suffragiis prophetarum et virorum gentis suae divinorum, nulla ullo loco inserere decreta, nisi ex iis libris, quos adhuc Iudaei tenent atque reverentur. Idque tanto magis attentione videtur dignum, quanto certius eosdem e graecis voluminibus V. T. dicta sua mutuari constat. *Post Apostolos* videmus doctores publicos et coetus christianos pro regionum diversitate in varia de canone V. T. discedere iudicia. Quibus enim Palaestinam hebraeosque libros adeundi copia daretur, eorum indices nostris fere concordes deprehendimus. Antiquissimus superest MELITONIS, Sardicensium Episcopi, qui peragratis orientis partibus et consultis Iudaeorum iudiciis, (*ακριβως μαθων*) *των ὁμολογȣμενων της παλαιας διαθηκης καταλογον* reliquit (apud. EVSEB. *H. E. L.* 4, 27. *p.* 191.) in hunc modum: 1—5. *Quinque Libri Mosis.* 6. *Iesus Nave.* 7. *Iudices.* 8. *Ruth.* 9. *Regnorum libri quatuor* (Samuelis nempe duo, duo Regum) 10. *Chronicorum duo.* 11. *Psalmi Davidis.* 12. *Salomonis sententiae.* (*ἡ και σοφια*) 13. *Ecclesiastes.* 14. *Cant. Cant.* 15. *Iob. Prophetarum.* 16. *Esaiae.* 17. *Hieremiae.* 18. *των δωδεκα εν μονοβιβλω.* 19. *Daniel.* 20. *Ezechiel.* 21. *Esdras.* Alterum ORIGENES exhibet *βιβλων ενδιαθηκων* iuxta *Euseb. H. E.* 6, 25. Recenset autem sic: 1—5. *Pentateuchus* 6. *Ios.* 7. *Iudic. cum appendice libri Ruth.* 8. *Samuelis duo.* 9. *Regum duo.* 10. *Paralipom. duo.* 11. *Esdrae duo.* 12—15. *Psalmi et Salomonis*

 tres.

tres. 16. *XII. prophetae.* merito enim vox δωδεκαπροφητων omissa per librariorum incuriam, suppletur a C. F. SCHMIDIO *hist. can.* §. 57. et *Stroth* in edit. *Eusebii* p. 368.) 17 *Es.* 18. *Ierem. cum threnis et epistola.* 19. *Daniel.* 20. *Ezech.* 21. *Iob.* 22. *Esther.* Addit vir exercitatus: εξω δε τουτων εςι τα μακκαβαικα, άπερ επιγεγραπται Σαρβηθ Σαρβανεελ. Post hunc CYRILLVS *Hierosolymit.* Catech. IV. (p. 66. ed. Milles.) Της μεν παλαιας διαθηκης τας εικοσι δυο μελετα βιβλους. του νομου μεν γαρ ἐισιν ἁι μωσεως πρωται πεντε βιβλοι, εξης δε, Ιησȣς ὑιος Ναυη, και των Κριτων μετα τȣ Ρουθ βιβλιον, ἑβδομον αριθμȣμενον. των δε λοιπων ἱςορικων βιβλιων, πρωτη και δευτερα των βασιλειων, μια παρ' Εβραιοις εςι βιβλος μια δε και ἡ τριτη και ἡ τεταρτη ὁμοιως δε περι αυτοις και των παραλειπομενων ἡ πρωτη και ἡ δευτερα μια τυγχανει βιβλος, και τȣ Εσδρα ἡ πρωτη και ἡ δευτερα, μια λελογιςαι. δωδεκατη βιβλος ἡ Εσθηρ. και τα μεν ἱςορικα ταυτα. τα δε ςοιχηρα τυγχανει πεντε, Ιωβ, και βιβλος ψαλμων, και παροιμιαι, και Εκκλησιαςης, και ασμα ασματων, ἑπτακαιδεκατον βιβλιον. επι δε τȣτοις τα προφητικα πεντε. των δωδεκα προφητων μια βιβλος, και Ησαιȣ μια, και Ιερεμιȣ μετα Βαρȣχ, και θρηνων, και επιςολης. ειτα Ιεζεκιηλ, και ἡ τȣ Δανιηλ εικοςηδευτερα βιβλος της παλαιας διαθηκης. Consentiunt GREGOR. NAZIANZ. *Autor Synopseos V. T.* qui *Athanasius* creditur, EPIPHANIVS, IO. DAMASCENVS et alii, quorum loca HODIVS *de text. bibl. origg.* (*Oxon. fol.* 1705.) L. 4. c. 4. p. 644. et nuper b. CHR. FR. SCHMIDIVS *Hist. antiqua Canonis, Witt.* 775. congessere. Contra, qui versionis graecae voluminibus adsueti fabulam de θεοπνευςια LXX. interpretum pie crederent, et penderent ab Aegyptiis Iudaeis, atque, ut ego

mihi

mihi per decretorum et disciplinae severioris similitudinem persuaserim, a Therapeutis, quum voluminibus biblicis, quae tractabant, adsutos reperirent libros alios, ii congestam in unum molem communi honore haud dubitaverunt excipere, polemicis quam criticis artibus studiosiores. Itaque videtur evenisse, ut *Aegyptii patres*, a quibus fere *Latini* semper pendebant, divinos libros saepe appellarent, quos nullus unquam Iudaeorum, sive Palaestinus, sive Hellenista, in censum θειων et πεπιςευμενων referre sustinuit. Praeivere IRENAEVS *Lugd.* et CLEMENS *Alexandrinus*, qui facile alios autoritate, qua pollebant, in partes decretorum suorum rapuerunt, unde paullatim Canon V. T. Iudaicus a Christianis coetibus immutatus atque novis libris indies auctus fuit. *Canones Apostolici*, quorum autorem vix dubito, quin Aegyptus pepererit, iubent: εςω πασιν ὑμιν κληρικοις και λαικοις βιβλια σεβασμια και ἁγια της παλαιας διαθηκης, Μωσεως πεντε — Ιησου ὑιου Ναυη ἑν· ρκθ ἑν· βασιλειων τεσσαρα παραλειπομενων του βιβλιου των ἡμερων (fragmenta chronicorum) δυο, Εσδρα δυο· Εσθηρ ἑν· Μακκαβαικων τρια· Ιωβ ἑν· ψαλτηριον ἑν· Σολομωντος τρια, παροιμιαι, εκκλησιαςης, ασμα ασμ. Προφητων δεκαδυο ἑν· Ησαιου ἑν· Ιερεμιου ἑν. Ιεζεκιηλ ἑν· Δανιηλ ἑν· Addit εξωθεν (de hac voce vide supra Cyrilli locum §. 31. Obs. 3. p. 80.) δε προϊςορεισθω ὑμιν μανθανειν ὑμων τους νεους την σοφιαν του πολυμαθους Σιραχ· Accessere alii post *Concilium Carthaginiense* tertium, quod primum libros apocryphos in canonem V. T. cooptat, circa ann. 397. celebratum, canone 47. *Placuit, ut praeter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem canonicae scripturae: Genes. Exod. Lev. Num. Deuteron. Iesu nave. Iu-*

dicum, *Ruth*, *Regg. LL. IV. Paralip. LL. 2. Iob. unus*, *Psalterium Davidicum. Salomonis Libri* quinque. *Libri XII. prophetarum*, *Esaias*, *Hierem. Ezech. Dan.* Tobias, Iudith, Esther, *Esdrae libri duo*, *Machabaeorum libri duo.* Addit: *hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto canone innotescat: quia a patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.* Sed haec clausula clare docet, novam canonis compilationem tentasse doctores Africanos, et occidentales (V. AVGVSTIN. *de Civ D. L.* 17, c. 20.) nulla adhuc autoritate reliquorum coetuum confirmatam. Inter haec tamen opinionum de canone V. T. dissidia orta est *tertia classis* doctorum, qui scripta κανονιςα et εκκλησιαςικα solicite distinguunt, in illis hebraeorum secuti traditionem, in his ecclesiarum, apud quas eorum usus viguit, consuetudinem. Sic HIERONYMVS *in prologo galeato: quidquid extra hos libros est, quos de hebraeo vertimus in latinum, inter* apocrypha *ponendum est. Igitur* Sapientia, *quae vulgo Salomonis inscribitur, ut et* Iesu filii Syrach *liber et* Iudith *et* Tobias non sunt in canone: et *praef. in LL. Salomon.* (l. c. 938.) *Sicut Iudith et Tobi et Maccabaeorum libros legit quidem ecclesia, sed inter canonicas scripturas non recipit, sic et haec duo volumina* (Sapientiam Salomonis et Siracidis) *legat ad aedificationem plebis, non ad autoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Similiter RVFFINVS *exposit. Symb Apost.* postquam laudarat Pentateuch. Iesum Nave, Iudic. cum Ruth. Regg. IV. vel II. iuxta Hebr. Paralip. Esdrae II. Hester, Prophetarum V. libros, Iob, Psalt. Salomonis tres, subiungit: *haec sunt, quae patres intra canonem concluserunt, et ex quibus fidei nostrae assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod et alii libri sunt, qui non canonici sed ecclesiastici a maioribus appellati sunt i. e. Sapientia, quae dicitur Salomonis, et alia Sapientia, quae dicitur filii Sirach.* —

Eius-

Eiusdem vero ordinis libellus est Tobiae et Iudith et Maccabaeorum libri. Sic quoque *Isidorus.* Addam Syrarum ecclesiarum indices. *Iacobus* EDESSENVS post *Pentateuchum* librosque *Iosuae* et *Iudicum* hosce enumerat: *Iob*, *Samuelis* 1 *et* 2. *Isaiae*, *XII. Prophetarum; Ieremiae; Threnos; Baruch; Ezechielis; Danielis; Proverbia; Sapientiam; Cantica; Ruth; Esther; Iudith; Ecclesiasticum.* (ap. ASSEM. *B. O. T. II.* 499.) GREGORIVS *Barhebraeus in horreo mysteriorum* exponit: *Pentateuchum*, *Iosuae*, *Iudicum*, *Samuelis* duo, *Psalmos*, *Regum II. Proverb. Ecclesiasticum*, *Ecclesiasten*, *Cantica*, *Sapientiam*, *Ruth*, *Susannae historiam*, *Iob. Isaiam*, *XII. Prophetas*, *Ierem. cum Threnis*, *Ezechiel*, *Daniel cum hist. Beli et Draconis:* omittit autem libros *Paralipom. Esdrae*, *Iudith*, *Esther*, *Tobiae*, *Machabaeorum et Epist. Baruch.* EBEDIESV *Catal. libror. Syror. V. T.* indicem struit: (ap. ASSEM. l. c. T. III. p. 5.) — *Lex quinque libri* — *Iosuae* — *Iudicum*, *Samuel*, *Regum*, *Dabariamim et Ruth*, *Psalmi*, *Proverbia*, *Cohelet*, *Sirat Sirin*, *Bar Sira*, *Sapientia magna* (Ecclesiasticus) *et Iob. Isaias*, *XII. Proph. Ieremias*, *Ezech. Daniel*, *Iudith*, *Esther*, *Susanna*, *Esdras*, *Daniel minor* (i. e. hist. draconis), *Ep. Baruch*, *liber traditionis Seniorum*, *Iosephi scribae proverbia*, *historia filiorum Samonae*, *liber Maccabaeorum*, *historia Herodis regis*, *liber postremae desolationis Hierosolymae per Titum*, *liber Asiathae uxoris Iosephi Iusti filii Iacob et liber Tobiae et Tobith.* — Sed facile apparet, scriptorem Syrum, quotquot extabant libri Iudaici, totidem referre. Alios vide apud HODIVM et SCHMIDIVM ll. cc.

Obs. 3. Atque constans illa Iudaeorum traditio, quae libros V. T. quos iam apocryphos vocamus, semper repudiavit neque unquam divinorum loco habuit, negatque eo tempore, quo exarati fuerunt, extitisse prophetas, sufficit

nobis, ut non alios V. T. vel divinos iudicemus, quam quos ab iis traditos accepimus, vel canonicos, si canon V. T. non nisi divina et prophetica scripta complectitur. Quodsi autem canonicos salutare placeat libros, inter coetus quosdam christianos ob usum aliquem praelegi solitos et commendari (vide supra §. 31.): autoritas eorum *inter Christianos* canonica multorum suffragiis evincitur, sed tum aptius deuterocanonicis (fuere enim ἐν τῳ δευτερῳ et ἐξω, vide §. 31. obs. 2.) compellaveris.

vid. RAINOLD. *censura librorum apocryphorum V. T.* *Oppenhem.* 1611. Tomi 2. 4. G. I. HENKEN. *introd. in LL. Apocr. V. T. Hal.* 718. et autores, supra p. 92. sq. laudatos. Multa quoque utilia SEMLERI *theolog. Briefe*, Lips. 1781. quas nunc demum lustrare contigit, ad hoc argumentum tractant.

Obs. 4. Itaque autoritas, quam *nos* quidem vindicamus libris V. T. canonica pendet a suffragiis et traditionibus Iudaeorum, quos patriorum scriptorum custodes scimus, superstitionis potius quam levitatis reos. Quicunque autem tandem *primi* collectionis *autores* fuerint, delegerunt libros, vel ob autores, viros vel divinos vel publica fide dignos (vide IOSEPH. l. supra laudato p. 115.) vel propter argumentum utile et pium et ingenio Iudaico grave. Ecclesiasti saltem a quibusdam reprobato, ideo locum in canone concessum fuisse MAIMONIDES l. c. tradit, quod a gravi sententia initium fiat, et gravis sententia clausulae loco ponatur. Iam quidem si nova librorum Iudaicorum in usum Christianorum compilatio esset cogenda, fateor, plurimos libros vel expurgari debere vel penitus reiici; neque enim valde adiuvatur res Christiana plurimis V. T. partibus (vide §. 42.) unde *Gnosticos* crediderim maluisse πτωχα ϛοιχεια peni-

penitus repudiare et totum V. T. eliminare e coetibus suis: sed nos, qui, historia duce, indagamus numerum librorum, quorum in Synagoga pretium fuit insigne, utilitatis praesentis ratione posthabita, a traditione non ausimus deficere.

Obs. 5. Neque hoc loco diffiteri velim, quantum mihi displiceat pugna, in quam maiores nostri, vestigia prementibus multis dogmatum theologicorum tractatoribus, odio ecclesiae Romanae potius quam rationum multarum et gravium admonitione inducti atque, si quid video, inani metu, ne forsan concedere cogerentur quaedam Romanensium adserta, libris apocryphis superstructa, compulsi, contra hos libros descenderent. Nam primum periti historiarum et artis criticae doctores Ecclesiae Romanae haud negarunt, eosdem inferioris quasi ordinis minorisque autoritatis esse et deuterocanonicorum nomen mereri. Praeterea nec prudens delectus fit argumentorum, quibus nostra sententia defenditur, v. c. cum negant apocryphis inesse characterem librorum V. T. sermonem hebraeum, quasi vel lex prohibeat Spiritum sanctum virosque divinos alio, quam hebraeo sermone, uti, et non pudeat christianos repetere iactabundas Rabbinorum voces, de sanctitate linguae hebraeae, profligatas per A. SCHVLTENSIVM *in praef. ad Erpenii Gramm. Arab.* et *Commentar. in Prov. Sal.* (*Lugd. B.* 748.) vel negari possit Tobiae librum, Iudithae historiam, Siracidis sententias, atque forsan Maccabaeorum quoque libros, sermone hebraeo s. Chaldaeo primum fuisse consignatos. Neque felicius argumentantur, quicunque propter argumentum ludicrum, superstitiosum (*Tob.* 6, 20.) historicae fidei adversum (*Sap.* 16, 22.) et libris divinis morumque doctrinae repugnans (*Siracid.* 50, 27. 28. 1 *Macc.* 9, 27. 2 *Macc.* 14, 42.) eos indignos faciunt autoritate publica, lectione et inspiratione. Nam, si verum fatear, multa similis argumenti dicta, quae

ingenium Iudaicum sapiunt, reperiuntur in libris ἀναντιῤῥήτοις V. T. in quibus tantum abest, ut offensionis quidquam capiat interpretum vel ingenium vel pietas, ut excusent methodum Iudaicam, atque facta enarrari, neque ideo probari ut egregia et laudabilia, et, si repugnantes loci occurrunt, tentandam conciliationem, moneant, quin, ut tueantur dictorum gravitatem atque decus, ea saepe ad morum rationes misere detorqueant, saepe mysteriorum vela praetendant. Quae studia quare his quoque libris non debeantur, non video, nisi antea conventum sit de origine mere humana; quodsi autem tribuantur; equidem, si κατ᾽ ἄνθρωπον disputare liceat, facili negotio omnia dubia *interna* contra autoritatem canonicam apocryphorum mota me soluturum spondeo. Iudithae, ut unum dicam, historia minus certe offendit quam Estherae, quam tamen ut piam extollunt: Tobiae superstitio non superat Sauli 1 *Sam.* 28. nec Siracidis animus 50, 27. 28. Davidis carminibus valde repugnaret. Praeter hanc inconstantiam interpretum, qui suo se saepe iugulant gladio, novum e disputatione illa malum exoritur, nempe neglectus librorum, quos tanquam apocryphos elevant, quos ego tamen *vel* ob linguam hebraeograecam ad cognoscendum N. T. loquendi usum, *vel* propter historiam doctrinae et religionis Iudaicae, *vel* ob necessitatem ad intelligentiam vaticiniorum, quorum interpres nullo modo carere poterit Maccabaeorum historia, (de qua insigniter meritus est Ill. MICHAELIS in versione nuper edita), *vel* denique propter disciplinam et salutaria praecepta, quibus abundant Siracidis sententiae, utilissimos et lectu dignissimos reperi: cuius rei exempla, satis illustria, alibi exponam. Tutissimum mihi per totam hanc disputationem visum est atque adhuc videtur, omissis vagis et conquisitis coniecturis atque dubiis, quae facile retorquentur ab adver-

sariis

sariis, autoritatem librorum V. T. definire per decreta Iudaeorum, quorum maxime intererat, seligere divina ab humanis, et quos vigiles patriarum atque genuinarum traditionum custodes ipsa superstitio effecit.

§. 41.

4) *Integritas librorum V. T.*

Concedamus oportet per indicia plana, periisse *tum* libros quosdam Iudaicos, a prophetis consignatos, quos tamen in canone fuisse, frustra statuitur: *tum* in singulis locis et exemplis textus hebraici lectionem genuinam, multis vitiis scripturae illatis, quae tamen nec integritati obsunt, nec ita corrumpunt eos libros, ut usum ad religionem discendam amplius praestare non possint.

Obs. 1. Repetenda sunt, quae supra §. 32. discussimus, ne vana superstitione rapti in difficiles incidamus quaestiones et horreamus querelas virorum piorum et artis peritorum de corruptelis textus hebraei, i. e. de lectione genuina in exemplis codicis hebraici, recentioribus plerumque, et editionum a viris rei criticae parum gnaris adornatarum, amissa.

Obs. 2. Multi laudantur libri hebraici, iam deperditi v. c. ספר ישר *liber carminum Ios.* 10, 13. 2 *Sam.* 1, 17. 1 *Chron.* 4, 22. ספר מלחמות יהוה *historia expeditionum sacrarum. Num.* 21, 14. *Libri prophetarum Nathan*, *Gad* 1 *Chron.* 29, 29. *Athiae et Ieddi* 2 *Chron.* 9, 29. *Semaiae*, *ibid.* 12, 15, *Iehu*, 20, 34. (vide supra §. 39. Obs. 1. p. 115.) *Salomonis Chronica*, 1 *Reg.* 11, 41. et *poemata* 1 *Reg.* 4, 32. *Enochi prophetia*, *Iudae* 14, 15, cuius fragmentum non dubito, quin Apostolus e libris antiquis repetierit: sed quis eosdem a Iudaeis unquam usui pu-

blico

blico destinatos i. e. canonicos fuisse idoneis rationibus probaverit? Sint licet inspirati omnique autoritate divina muniti: neque tamen inde cogitur necessitas quaedam, ut ornarent synagogas Iudaicas atque in publicum usum divulgarentur. Deus quidem, cum sermones prophetae maximi, Iesu, in quibus tamen fidei et morum capita selectiora tradebantur, haud paucos interire passus est, quare vellet reliquorum orationes omnes superstites manere, vix capio rationem.

Obs. 3. Tanto autem magis lapis omnis movetur a BVXTORFIIS (inprimis in *Anticritica s. vindiciis veritatis hebr.* 653. *Basil.* quorum fautores etiam in *Formula consensus helvetici Cap.* 3. *edit. Amstelod.* 1726. p. 36. sq. extorserunt decetum publicum, contra eos, qui lectionem, quam hebraeus textus exhibet, humano tantum arbitrio constitutam esse definiunt, eamque consigere et emendare religioni neutiquam ducunt et s. p.) et nuperis superstitionis Iudaicae statoribus ac propugnatoribus TYCHSENIO ac PIDERITIO, (*Beytraege zur Vertheidig. und Erläuter. des Can. h. Schr.* 775.) ut textum, qualem adhuc editiones nostrae exhibent, genuinum et ab omni vitio immunem, defendant atque opinionis suae adversarios impietatis atque iniuriae in sacras literas, religionis fontes, et Spiritus S. opus arguant, in quibus utrum Musarum erga eos an sententiarum erga alios inclementiam magis incusem, ambigo. Nam primum religio Christiana non tantam cum libris Iudaicis coniunctionem habet, ut eorum vitium fidei nostrae vitium afferre debeat (vide §. seq.): deinde imperiti sane critici, a quo nihil felix sperari poterit, foret, exempli unius, recentioris, fide ita inniti, ut, quod ab eius norma abhorret, id tanquam erroneum et falsum repudietur. *Neque tam est mirandum in omnibus V. T. codicibus et editionibus vitia esse, quam mirandum*

randum foret, si nulla essent, cum id non aliter fieri potuisset, (utar verbis ERNESTII *int. N. T. P. II. c. I. 9. p.* 93.) *quam ut Deus lapsus librariorum singulos vi sua impediret, quod nec factum esse, res ipsa loquitur, nec necessarium ad integritatem librorum fuisse, omnium intelligentium iudicio constat.* Textus autem hebraei, quem receptum et authenticum appellamus et imperiti pro divinitus accurato colunt, autoritas universa nititur autoritate librorum et veluti fontium, e quibus fluxit: qui, cum nec magnae antiquitatis commendationem habeant, nec vetustiorum et plurium librorum, nedum versionum longe antiquiorum, consensu probentur, denique Iudaeorum, commentis rabbinicis captorum, arbitrio delecti fuerint; quisnam cautus interpres his libris, hoc arbitrio unius editoris regi se patiatur atque uni homini, cuius merito in suspicionem venit facultas et religio critica, ius condendi textum hebraeum et normam indubiam concedat? Id quidem *Kennicoti* opus demonstravit, consensum codicum hebraeorum, quem tantopere iactitant, cum textu recepto, creditum per praesumtionem ab iis, qui codices consulere vel non possent, vel non vellent, et laudes Masoreticae diligentiae, quae dinumeratis singulis literis sepe quasi muniret, ne quid excideret, legem, (סיג התורה) iam collatis voluminibus in vanum recidere. Accedit haud mediocris locorum in libris V. T. scriptis editisque numerus, quae manifesta erroris atque vitii indicia ostendunt, cum recepta lectio vel repugnat locis aliis versionumque antiquissimarum autoritati vel interpretem de sensu reperiundo desperare iubet. Sed ubi historia loquitur, stultum est provocare vel ad providentiam divinam, a qua tamen non sine miraculo textus libri tam prolixi per tot seculorum decursum illibatus custodiri in uno quodam exemplo potuit; vel ad Iudaeorum religionem et testimonium, ipsa inconstantia vacillans;

cillans; vel ad sensus, quem lectio recepta fundit, facilitatem, dum torquere se interpretes videas, ut demonstrent, probum esse sensum, qui non sit absurdus. Ceterum quodsi teneas integrum esse librum, cuius lectiones genuinae in Codicibus aliisque versionum antiquarum libris conserventur, arte critica eruendae: si integritatem librorum V. T. referas ad doctrinae, quam tractant, integritatem: si denique malitiam hominum neges corrupisse textum authenticum; non est verendum, ut fidei nostrae principium in discrimen adducatur per decreta eorum, qui singularum vocum et literarum vitia concedunt atque editionis alicuius, ut θεοπνευστου, fidem in dubium vocant. Neque tamen mihi vel Iudaeorum et doctorum veterum querelae de corruptelis codicum, vel conatus persecutorum foedandi lectiones genuinas persuadent, per malitiam hominum menda irrepsisse. Nam Samaritanorum ausus sic mutandi textum Mosis, ut opinionibus suis faveret, ad nihilum reciderunt: patrum ecclesiae (v. c. IVSTIN. *Mart. dial. c. Tryphone*, IREN. *L.* 3. 24.) criminationes de Iudaeorum impietate, veniunt a doctoribus non satis peritis, et versionis potius graecae corruptionem vel sensus detorsionem tentatam a Iudaeis, quam codicum hebraeorum depravationem conqueruntur. Locorum denique, quos nuper etiam KENNICOTVS (*de statu t. h. Diss.* 2. *c.* 1.) a Iudaeis consilio corruptos esse existimat, *Deut.* 27, 4. *Ios.* 8, 30. *Exod.* 20. *Deut.* 27, 26. *et al.* nullus certe Christianorum causa est depravatus, ne dixerim, in his quoque incuriam librariorum posse reprehendi. Neque seriore aevo, cum per tot regiones dispersi viverent Iudaei, et Christiani exemplaria quoque hebraea haberent in manibus, corruptio omnium Codicum potuit tentari, sicut iam AVGVSTINVS *de Civ. Dei.* L. 15. c. 13 agnovit.

confer

confer L. CAPPELLI *critica sacra* (ed. *Vogel et Scharfenberg Hal.* 775. et 78.) *Cap. I. Br.* WALTON *proleg. in bibl. polyglotta.* c. praef. DATHII Lips. 777.) *C. VII. p.* 225—245. et *praefat. p. XLI. Rich.* SIMON *hist. critique du V. T. L. I. ch.* 18. 19. *seqq. L. II. ch.* 9. B. KENNICOT *diss. de statu textus hebr. Tomi II.* (*ed. lat. Lips.* 756.) EICHHORN *Einl. in das A. T. Cap. II.*

§. 42.

b) Habitus librorum V. T. ad discendam religionem Christianam.

Hi libri, qui in usum Iudaeorum consignati adeoque fontes religionis Iudaicae fuerunt, iam in religione Christiana, ut perfectiore et virili, *Gal.* 3, 24. *Ebr.* 8, 6. vilioris et utilitatis et pretii sunt: neque tamen plane repudiari debent a Christianis, sed usum haud contemnendum praestant, unde olim quoque commendantur a Christo *Ioh.* 5, 39. *Luc.* 16, 29. Apostolis *Rom.* 15, 4. *2 Tim.* 3, 15. (*2 Pet.* 1, 19. *sq.*) et a primis inde temporibus in coetibus Christianis praelecti sunt. Cautione tamen opus erit, ne omnia ad religionem christianam contra consilium Sp. S. detorqueamus.

Obs. 1. Quodsi quidem et consilium et argumentum librorum V. T. praecipue pertinet ad Iudaeos, neque rem sacram tantum sed publicam quoque iis constitui regique cernimus; si Paulum, primarium Christianae doctrinae confessorem, audimus, praecipuam V. T. partem, legem Mosaicam, πτωχων ςοιχειων του κοσμου nomine describere, et παιδαγωγου, quem, adultis liberis, rude donari dicit *Gal.* 3, 24. 4, 1. 9. sq. *Col.* 2, 8. si denique multum

prae-

praestantior habetur doctrina Christi prae Iudaica *Ebr.* 8, 6; quis non indignum existimet religionis melioris statore et doctore, nimis commendare et extollere libros, quibur disciplina infantum traditur resque Iudaicae formantur? Fatear, capita quaedam primaria doctrinae christianae latere in umbris rituum vatumque carminibus: sed ea non ideo vera sunt et indubia, quia olim Iudaeis innotuere, verum, quia a Christo et Apostolis tradita reperimus, fidem merentur. Atque utinam hanc legem custodirent severi illi censores et locorum probantium inquisitores, qui capita de trinitate, de Christo, de modo obtinendi peccatorum remissionem, de vita futura et alia complura plane iubent eruere e scriptis V. T. ac vehementer clamant contra interpretes, qui maioris lucis beneficium in N. T. grati agnoscunt atque negare haud verentur, ea vel penitus nota fuisse vel tam clare et plene innotuisse V. T. fidelibus. Equidem plane mihi persuadeo, omnia V. T. loca in articulis, supra memoratis, facere potius ad historiam doctrinae, quam ad demonstrationem: neque ideo multum iis conquirendis ac tractandis immorari iuvat.

Obs. 2. Admonitiones Christi de studio V. T. quas supra protulimus, proprie pertinent ad auditores suos, de veritate religionis novae convincendos et ad fidem christianam parandos: ad nos, apertis iam aliis cognoscendi doctrinam Chr. fontibus, vix spectant. *Ioh.* 5, 39. admonentur Iudaei, ut collatis Messiae indiciis persuaderi sibi a Iesu patiantur de divinitate doctrinae suae. *Scrutamini*, evolvite *scripturas*, *quibus vitam aeternam*, doctrinam salutarem, *doceri autumatis. Ea enim de me tradit et* docet Messiam venturum, quem me esse profiteor. Pauli ad Timotheum admonitio docet, operam dandam esse doctori ecclesiae, (ἀνθρώπῳ θεοῦ) ut ad munus suum rite admini-

strandum

strandum praeparetur lectione literarum sacrarum, quibus nihil efficacius, retundendis adversariis, Iudaeis, commendari possit. Nemo enim facile potuit convincere de veritate Christiana Iudaeos, nisi per suffragia prophetarum. Quod frequentius in hac causa laudant *Petri* testimonium 2 *Pet.* 1, 19. dubito utrum ad hanc causam pertineat. Namque προφητικος λογος sine dubio sunt dicta prophetarum, non antiquorum aevi Iudaici, sed coaevorum, aevi Christiani: collat. Cap. 3, 2. qui de παρουσια Christi multa, dubia reliquis, pronuntiarent, v. Cap. 3, 1 sq. Sed ne quid horum fidei derogari possit, Petrus monet: postquam sibi olim in monte contigisset videre maiestatem Iesu atque audire numinis luculentissimam commendationem, iam secum reliquis Apostolis hac re confirmari in spe et expectatione παρουσιας Christi per prophetas N. T. promissae: neque se tantum in his acquiescere, sed reliquos quoque Christianos debere, ubi consulere religioni suae velint, iisdem etiamsi obscuris adsensum praebere, (προσεχειν λογοις est *obsequi, credere dictis*, vide *Act.* 8, 6.) *tanquam luci, fulgenti loco obscuro* (αυχμηρος hebraice אפל *Mich.* 4, 8. αυχμωδης LXX, ubi Aquila reddit σκοτωδης, tenebricosus) *usque dum dies illucescat atque post noctem aurora exoriatur in animis vestris* i. e. ἡμερα χριστου adsit et eventus ipse, velut sol clarissima luce omnia collustrans, ignorantiae tenebras dispellat et quod obscurum adhuc ac latens est in hoc argumento, declaret. cf. I. I. GRIESBACH *Progrr. ad h. l. Ien.* 781. 882.

Obs. 3. Vtilitas V. T. multiplex adhuc cognoscitur, vel ad eruditionem vel ad religionem. Neminem sane *doctum* poeniteat, discere generis humani origines et fata antiquissima, cognoscere religionis publicae vicissitudines, recolere virorum magnorum memoriam, tractare doctrinae de Deo et moribus sanioris historiam, admirari in corpore legum Mosaicarum sapientiam, in carminibus eximiam poetarum antiquorum in di-

 cendo

cendo elegantiam et similia. Sed haec doctiorum fere studiis consentanea sunt. Habitus ad *religionem* Christianam ad tria commode capita reducitur. Primum utimur his libris in demonstratione veritatis Christianae adversus Iudaeos, quos e libris suis refellere et quasi proprio gladio iugulare, ubi novitas doctrinae aures animosque offendere poterat, et Iesus et Apostoli consueverunt. Deinde multa religionis capita ex his scriptis illustrantur, cum vel vocum et formularum, quibus Apostoli utuntur, significatio hauritur ac demonstratur e veteri instrumento, (*usus hermeneuticus*) vel semina novae religionis ponuntur, vel N. T. scriptores dogmata quaedam ut nota ex institutione patria et libris antiquis supponunt, quae uberius discussa legimus in V. T. v. c. de attributis divinis, creatione, origine peccati. (*usus dogmaticus.*) Denique morum ratio valde adiuvatur libris προς τας του βιου ὑποθηκας, ut Iosephus ait, compositis, hymnis Davidis et sententiis Salomonis, quibus non tantum sensus pii excitantur saepe et aluntur, verum etiam multa virtutum directoria proponuntur. (*usus moralis*).

Obs. 4. Multas tamen hic usus *cautiones* requirit. Primum ne omnia apta existimemus augendis notitiis nutriendisque sensibus christianis, atque haud nimis solicite quaeramus accommodare singulas formulas singulosque libros ad pietatem Christianam, veluti b. CRVSIVS (*de usu libri Estherae ad pietatem Chr. Lips.* 776.) annisus est voluntque illi, qui Christum, vere quidem sed minus commode, centrum V. T. et cardinem vocant. Plura enim pueris scripta sunt, quae ingenium virile absit, ut retractet: *Gal.* 3, 3. 25. plura Iudaeorum genio conformia et antiquis temporibus moribusque regendis valde utilia v. c. lex mosaica, historia expeditionum Iosuae, divisio Palaestinae, regum annales, vatum carmina barbaris gentibus infausta, familiarum tabulae, et hymni, quibus beneficii, genti vel

duci-

ducibus Iudaeorum concessi, memoria conservatur, elegiae, publicam calamitatem deplorantes etc. Itaque in lectione vel commendatione V. T. rescindamus omnia, ad Iudaeorum rempubl. spectantia, atque seligamus loca, quibus vel semina ponuntur religionis melioris vel communis fidei capita gravia et in quocunque religionis statu quasi perennia proponuntur. Sed in ipsis quoque religionis capitibus minime nos praeterire et negligere decet discrimen disciplinae Iudaicae severioris ac Christianae, multo illa benignioris. *Rom.* 8, 15. *Ebr.* 12, 18. *Gal.* 4, 1—4. Vix ego ausim exempla et praecepta morum, scelerum castigationes minasque et promissiones prophetarum, quarum totum fere argumentum ad praesentis seculi fortunam pertinet, promiscue applicare Christianis, sublimiora bona sperantibus, atque sic disciplinae Iudaicae severitatem sensusque viles, a quibus Christi beneficio nos iam liberatos agnoscimus, *Gal.* 4, 4. 5. intempestive revocare. Multo quidem minus impium videtur, negare libri divini inter Christianos usum, quam animos a veritate et libertate Christiana ad iudaicas opiniones et sensus retrahere. Atque haec cautio multorum criminationes et querelas averteret, quae non alio ex fonte promanarunt, quam ex inepta exemplorum et dictorum V. T. commendatione et praecipiti quorundam iudicio, quod vel superiorum temporum et personarum res gestas ad regulam disciplinae christianae purioris exigit, vel christianis antiqua virtutis exemplaria, ut perfecta et omni numero absoluta, praesumit. Itaque pietas christiana iure suo desiderat compendium V. T. quod rescissis inutilibus, ad formandos Israelitarum mores idoneis et ob eruditionis potius historiarumque usum quam propter religionis commoda gravibus, in usum popularem consecrari atque commendari possit, quale antiquitas Christiana satis mature composuit. *Melitonem* enim synopsin V. T. selegisse EVSEBIVS tradit *H. E.* 4, 26. deperditam. Extat tamen adhuc alia

utriusque testamenti summa, studio AVGVSTINI, si *Possidonio* fides habetur, compilata, vel ut titulus praefert: *speculum*, quod (sicut praefatio monet) *omissis iis, quae veteris testamenti populo illi mandata sunt, ea tantum componit, quae posita sunt, ut crederentur — et etiam nunc* i. e. tempore N. T. *ad vitam piam exercendam moresque pertinent.* Quanquam autem, utilitate rei perspecta, nostra aetate trium virorum diligentia in summa V. T. concinnenda laboraverit, TRINII, (*das kleine Alte Testament*) BAHRDII (*die kleine Bibel. Berol.* 1780.) et SEILERI (*das Alte Testament in einen Auszug gebracht*, Erlang 1781.) nostris tamen desideriis, sive consilio sive argumenti delectu et compositione non admodum satisfactum est; neque certas leges sibi scripsisse hi autores videntur, neque ea constantia delectum fecisse, ut nihil, quod repudiari debuit, relinqueretur v. c. Psalmorum haud exiguus numerus, et Canticum Canticorum, nihilque, quod facit ad religionis sensum et dignitatem, resecatum et abiectum fuerit. Sed lubenter suo quemque sensu abundare sinemus.

Obs. 5. Hoc quidem iudicium satis munitur argumentis, claris puto et inconcussis: ne tamen offendatur imbecillitas hominum, visum fuit Lutheri testimonio opinionem nostram ornare. Extat autem *Sermo Lutheri in Exodum, quatenus Moses a Christianis accipi debeat*, in quo diserte profitetur: *Nihil ad nos Moses pertinet. — Tria in Mose spectanda sunt et ob ea Mosen retineo nec abiectum aut contemtum volo. Primum ad praecepta attinet, ea nos missa facimus — nisi quatenus ultro ea accipimus — Alterum ex Mose petimus promissiones Dei de Christo — Tertium exempla fidei, caritatis, crucis.* Plura dabit I. S. SEMLERVS *Belebr. v. Canon.* T. II. p. 129. sq.

§. 43.

§. 43.

Appendix de Scr. S. generatim.

Vniverſum V. et N. T. corpus, e quo repetuntur notitiae Chriſtianae, *ſcripturae ſacrae* nomine venit, cuius de *affectionibus* et *uſu* pauca generatim ſubiungemus.

Obſ. *Bibliorum* nomine quoque petito e *Matth.* 1, 1. venit. Si qui, nimis liberales, eosdem libros ſalutent: *verbum Dei*, ſynecdocha utuntur. Nam verbum Dei alias (דבר יהוה, λογια του θεου) ipſa *doctrina divina*, quae his libris praeter alia traditur, recte dicitur. *Pſ.* 119, 9. et ſq. 19, 8—10. 1 *Theſſ.* 2, 13. qua de re erudite ut ſolet praecepit I. G. TOELLNER *vermiſchte Aufſaetze T. I. P. II. p.* 85.

§. 44.

a) Affectiones Scr. S.

Affectiones ſcripturae S. quatenus religionis capita continet, *veritas* (logica), *autoritas*, *ſufficientia* vel perfectio, *perſpicuitas* et *efficacia.*

§. 45.

1) Efficacia.

Cum *Efficacia* ſit doctrinae divinae, non librorum, alio loco aptius de ea diſputandum erit, cum de mediis, quae vocant, gratiae eorumque vi diſquirendi occaſio dabitur. v. §. 341.

§. 46.

2) Veritas.

Omne religionis dogma, quod in his libris vere et indubio traditur, omnino verum (logice) eſt nec vel alia probatione indiget, vel ulla dubitatione refelli poterit. Autores enim habent viros vel divinos, Dei, a cuius ſanctitate omnis error omneque mendacium abhorret, au-

xilio adiutos (§. 18. Obſ. 2.) vel fide ſumma praeditos. *Ioh.* 14, 25.

Obſ. Sed ut intelligatur veritas teſtimonii Scr. S. (hermeneutica), primum de lectionis authentia, dein de ſenſus et interpretationis veritate conſtare debet. Sed iudicium de ſenſu verborum non omnium idem eſſe, hiſtoria docet, nec fere per tantam ingeniorum varietatem variumque ſubſidiorum uſum ſemper conſentire poteſt, quae res multo ſane clementiores, nedum prudentiores, reddere decet cenſores haereticarum opinionum et defenſores. Nemo enim per religionem alia docere poteſt, quam ſibi ſacris literis doceri perſuadet.

§. 47.

3) *Autoritas Scr. S.*

Scripturae S. veritas, fallere neſcia, gignit *autoritatem* eam, ut eius teſtimonium clarum nobisque perſpectum pro norma et regula cognitionis noſtrae ſive beneficiorum ſive voluntatis divinae haberi debeat (*autoritas normativa*): et ſi qua de fide controverſia ſuboriatur, ea huius effatis i. e. interpretatione S. literarum legitima, definienda atque componenda ſit. (*autoritas iudicialis.*)

Obſ. I. De autoritate *normativa* haec fere tenenda. a) Graeco vocabulo alii eandem *canonicam* dixere, quae vox per ambiguitatem uſus multos decepit et graves errores atque logomachias peperit. vide ſupra §. 31. Obſ. I. b) Alii diſtinguunt autoritatem *fidei cauſativam* a *normativa*. *Illam* literis ſ. tribuunt in decretis de fide, *hanc* in praeceptis morum. Neque ſic male. c) Si partes eius ſingulas exponere liceat, duo fere amplectitur; tum, ut nihil verum credatur, contrarium teſtimonio S. Scr. adeoque omnis humana doctrina ad hanc quaſi regulam exigatur; tum,

ut

ut nihil falsum dubiumve existimetur, decretis S. S. claris traditum. Addunt quidam tertium, ut nihil statuatur sine suffragio Scr. S. (*unici* principii): qui, si negant, *necessaria* esse religionis capita literarum s. testimonio haud confirmata, recte sentiunt: sin autem quidquam negent *utile* scitu et consentaneum, nisi e S. Scr. fonte derivetur, vix mihi opinionem suam persuadebunt. (vide Sectiones sequentes.) d) Vindicamus autem hanc facultatem ab autoritate praecipue I. C. qui doctor divinus iure suo postulat, ut decretis suis fides habeatur, atque a commercio divino cum scriptoribus V. et N. T. (§. 30. et 39). Dein cum Paulus *Timotheum* 2 *Ep.* 2, 13. admoneat, tenere salutaris doctrinae, auditione perceptae, formam, (ὑποτυπωσιν ὑγιαινοντων λογων): aequum sane videtur, eiusdem doctrinae, scriptis consignatae, formam observare atque nihil contrarium persequi. Similiter negat *Gal.* 1, 8. fieri posse, ut ulla alia doctrina, suae contraria, sit vere divina, Iohannesque iubet δοκιμαζειν τα πνευματα, *explorare doctorum fidem* eorumque opiniones cum decretis Apostolorum conferre 1 *Ioh.* 4, 1. ac repudiare, qui adversa statuunt 2 *Ioh.* 10. quo clarum sit, doctrinam Apostolorum commendari ut normam et regulam, cuius ad fidem omnis doctrina Christiana exigatur. (Quidam laudant 2 *Tim.* 3, 16. *Ioh.* 21, 31, 2 *Pet.* 1, 19. *Rom.* 15, 4. *Gal.* 6, 16. sed ea loca fere aliena sunt ab hoc argumento). e) Denique monere adhuc attinet, veteres *regularum fidei* nomine consecrasse *symbola*, unde adhuc nostri symbolicos libros *normales* appellant, qui, ne in suspicionem superstitionis, damnatae in aliis v. c. Romanensibus, ipsi incurrerent, nova distinctione causae suae succurrerunt, dum *normam normantem* (primariam) scripturas esse constanter defenderent, symbola autem *normae normatae* (secundariae) autoritate commendarent. Ne tamen vel vocis

cis barbaries vel cognomen ambiguum offendat, clarius certe adeoque melius *illam fidei* et notitiarum Christianarum *normam*, *hanc*, symbola inquam, doctrinae *publicae* et *professionis regulam* dixeris.

Obs. 2. *Iudicialis autoritas* (*richterliches Ansehen*) nec apte satis et proprie tribuitur scripturae s. non enim proprie iudicium fertur a scriptura s. sed ab interprete iuxta literas divinas: nec, si quid video, valde differt a normativa. Cum enim iudicem dicamus scripturam, concedimus et postulamus, ut ad hanc normam omne iudicium in capitibus fidei controversis feratur et literarum divinarum sententia, id est, sensu certo lites partium dissonarum componantur atque, verumne aliquid et orthodoxum sit, an heterodoxum et a doctrina Christiana aberrans, definiatur. Ceterum nec in illa controversiarum compositione omne iudicium humanum excludi velim. Nam etsi absurdum esset, *unius* hominis fide acquiescere ac eius arbitrio omnem Scr. S. interpretationem subiicere, tamen, cum pleraeque lites oriantur ex interpretationum dissonantia neque scriptura sacra semper monstret sensum, sub verborum formulis latentem, studio sane ac iudicio interpretis opus est, quo sensus, menti scriptorum consentaneus, eruitur, errores et naevi explicationum reliquarum aperiuntur et detorta a rectis, a precariis certa distinguuntur. Sed illa ratio, indagandi sensum verborum Scr. S. et doctrinas veras a suppostitiis separandi, arbitraria quidem est, ut in reliquis libris, pariter tamen adstricta certis interpretationis legibus, in quibus quasi amussim et regulam omnis doctrinae et iudicii, ferendi de dogmatibus theologicis, agnosco. Itaque aliae in controversiis theologicis partes sunt literarum divinarum, quarum fide aestimatur, quid verum, quid erroneum haberi debeat, aliae interpretis, cuius studio sententia Scr. S. declaratur. Antiquio-

quiores theologi, ut praecaverent adversariorum obiectiones, universam de iudice controversiarum quaestionem sic explicuere: Spiritus S. (ut autor Scr. S.) iudicat αὐθεντικως, ut princeps civitatis: sacra Scriptura iudicat κανονικως, ut lex in republica: ecclesia iudicat διακονικως, sicut magistratus et iudices. Haec si teneamus, facili opera literis divinis autoritas, quam finivimus, vindicatur. Nam in omni lite dirimenda semper recursus fit ad instrumenta et libros authenticos, e quibus iudicium fertur partibus tutissimum atque liberrimum. Praeterea si nihil verum esse potest, quod repugnat literis divinis (Obs. 1.) vel, ut alii aiunt, quod est *contra analogiam fidei*, merito primum omnium audiendi Prophetae et Apostoli, autores fallere nescii, quibus qui fidem suam vel aequiparare vel anteponere etiam ausint, humana divinis, gravi sane iniuria erga Deum et imbecillitatis suae oblivione, componunt. Itaque Iesum quoque, cum inter partes litigantes sententiam fert, vel adversarios refutat, et controversias de fide dirimere tentat, semper autoritate scripturarum uti videmus, *Ioh.* 5, 39. *Matth.* 22, 44. imitantibus Apostolis *Act.* 15, 15. Itaque Paulus reprobat Galatas, qui desciscunt a formula fidei Apostolica, *Gal.* 5, 7. sq. Si qui alii dicta *Esaiae* 8, 19. 20. et Iesu *Ioh.* 12, 48. ac Pauli *Hebr.* 4, 12. 13. in hac demonstratione laudant, vix veritati consulunt. Nam Esaias vetat tantum, adire oracula et idolorum decreta consulere, neglectis Dei veri effatis (cf. ZACHARIAE *bibl. Theol. T. I. p.* 158.): Iesus graviores olim poenas minatur ob spretam doctrinam suam (ὁ λογος κρινει αυτον, *per hanc doctrinam condemnabitur. Marc.* 16, 16.) Paulo denique (λογος θεου) comminationes divinae dicuntur κριτης διαλογισμων ειναι, sententiam ferre contra animi decreta, hoc sensu: *quodsi vel mente tantum et cogitatione fidem denegemus Deo, vis minarum Dei nos percellit et condemnat*, sicut MORVS V. C. exposuit.

Obs. 3. Atque sic habuit antiquissima doctorum consuetudo et professio, ut illustris AVGVSTINI locus *epist.* 97. *ad Hieronymum* demonstrat: *Ego fateor caritati tuae, solis eis scripturarum libris, quae iam canonicae appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo errasse aliquid firmissime credam; ac si aliquid in eis offenderem literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me non intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, aliud sentire existimo. Prorsus inquam non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam prophetarum et apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitari nefarium est.* Idem L. II. *contra Cresconium c.* 32. *Literas Cypriani non ut canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero et quod in eis divinarum scripturarum auctoritati congruit, cum laude eius suscipio, quod autem non congruit, cum pace eius respuo.*

§. 48.

4) *Sufficientia Scr. S.*

Sufficientia, quam patres *plenitudinem*, alii *perfectionem* vocant, *vel* est doctrinae christianae, et in eo cernitur, quod omnia, quae pertinent ad salutem (πασα βουλη περι σωτηριας) tradantur per Iesum eiusque Apostolos nihilque mancum vel praeter ea decreta necessarium reperiatur: vide *Act.* 20, 27. *vel* librorum singulorum, cum argumenta respondent consilio scriptoris cuiusque,

que, *vel* totius Scr. S. quae eo valet, ut omnes notitiae homini, cum sit Christianus, necessariae e corpore codicis S. intelligantur. *2 Tim. 3, 16.*

Obs. 1. *Doctrinae perfectio* vel exinde patet, quod tantum abest, ut ulla ratione efficiatur, omitti in doctrina I. C. quod pertineat ad religionem, ut potius clare pateat, quidquid desiderari possit vel sperari in religione divina, sive medendis religionis naturalis naevis ad confirmandam mentem, sive ad regendam, id omne hac disciplina doceri, qua de re multa lectu digna exponit NOESSELT *Wahrheit der Chr. Rel.* p. 382. sq. cf. *Ps.* 119, 9. Ceterum non ita valet, ut omnis ulterius explicandi religionis capita atque adaugendi conatus reprimatur vel excludatur. v. §. 20. obs. 3.

Obs. 2. Codicis sacri sufficientia dicitur quoque *perfectio finalis* vel doctrinae, distincta a perfectione *materiali* s. *quantitativa*, vel integritate V. et N. T. de qua §. 32. et 41. praecepimus. Eam autem defendimus, contra statores traditionum et revelationum novarum iactatores, qui nova dogmata obtrudere audent Christianis et privatis opinionibus lacunas quasi doctrinae Apostolicae supplere. Contra quos eleganter et graviter TERTVLLIANVS *ad Hermogenem c.* 22. *Adoro scripturae plenitudinem. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat vae illud adiicientibus et detrahentibus destinatum.* (Respicit *Apocalypseos* locum C. 22, 18. 19.) Neque praeterire liceat illustre FACVNDI *Hermian.* testimonium (*pro defens. trium Capitul.* L. 12. p. m. 514.): *Si obstinatus ille dicendus est, qui non cedit Ecclesiae institutis, scripturarum auctoritate firmatis, quanto deterioris obstinationis dicendus est, qui ipsis Scr. div. dedignans acquiescere, inviolabili earum plenitudini aut abrogat veritatem aut aliquid deesse putat, quod propria*

debeat

debeat adinventione supplere? Sed ut eam demonstremus, non opus est recurrere ad dicta scriptorum divinorum, qui, cum nondum tractarent corpus librorum sacrorum, quomodo potuissent fidem facere plenitudini? Iohannis dictum, Tertulliano laudatum, *Apocalyps.* 22, 18. 19. vix huic argumento accommodari poterit, vel ob autoris fidem dubiam, vel ob interpretationis ambiguitatem. Hoc sufficiet tenere e literis sacris, quod, si V. T. corpus pro facultate et indigentiis hominum commendari poterat a Paulo tanquam perfectum et formando doctori aptissimum, (δυναται σοφισαι εις σωτηριαν 2 *Tim.* 3, 16.) disciplina N. T. libris consignata iam ad hunc finem magis composita reperiatur. Deus quidem, iudex aequissimus, non dubito, quin quantum quisque pro viribus suis et pro opportunitate cognoscere potest, tantum ad salutem necessarium iudicet, unde fit, ut libris aliis, quorum de fide et origine divina minus constat, neque idoneis rationibus convinci possumus, sine periculo salutis possimus carere.

§. 49.

5) *Perspicuitas Scr. S.*

Quodsi denique *perspicuitatem* S. Scr. defendimus, statuimus, vim vocum a *primis* librorum utriusque testamenti *lectoribus*, quorum tum maxime caussa scriberentur, facile ac sine interpretis alicuius ingenio et doctrina capi potuisse, nec *nobis* ita latere, ut ex iis, quid Christus docuerit, plane intelligi ac definiri nequeat. Minime tamen negamus, interpretationem utriusque Testamenti multis ac gravibus premi *difficultatibus*, ac plurima δυσνοητα et obscura reperiri.

Obs.

Obſ. 1. Ne in utramque partem peccemus, ut ſolent, qui partibus ſuis faventes iudicant, primum *cauſas* defendendi perſpicuitatem S. Scr. dein *cautiones* in hac diſputatione minime negligendas, oſtendamus. *Cauſam* quidem, qua commoti noſtri obſcuritatis ſuſpicionem a S. Scr. avertere ſtuderent, Romana eccleſia praecipue obiecit, quae ut autoritatem iudicis controverſiarum viſibilis ſtabiliret et leges, quae laicos a lectione S. Codicis prohibent, excuſaret, haud verita eſt, ambiguae et incertae dictionis criminari autores S. conqueri de ſenſu vero valde implicito et multa timere pericula lectorum, quae etiam verbis augentur. Quare proſternere omnem S. literarum utilitatem ac uſum uno decreto viſi ſunt. Nec enim liber obſcurus commendari, nec in doctrina Chriſtiana facilem uſum habere poteſt. Contra hos itaque ſatis eſt adſtruere, in fidei morumque ratione cognoſcenda ſenſum verum et legitimum vel offerre ſeſe ſponte lectori cuique vel facili opera indagari atque erui. *Cavendum* itaque, ne omnium locorum perſpicuitatem, nec apud lectores quoscunque, tempore, ingenio, et ſubſidiorum hermeneuticorum opportunitate diverſos, nec rerum omnium claritatem (alia enim eſt veri ſenſus i. e. idearum, quae ſub verborum formulis latent, alia rerum intelligentia, ſicut Petrus inquit 2 *Pet.* 3, 20. ἐν οἷς πολλὰ δυσνοητα, *hoc argumentum multis difficultatibus implicatur*, quod alii fruſtra de Pauli epiſtolis exponunt) defendamus. Qui ſecus faciunt, temere aut ſonos verborum cum rerum ideis permiſcent adeoque intelligere putant dicta, ubi nihil praeter verbum cogitant, ſicut ſolent tirones, quos inſcitiae fautores laudant ut N. T. interpretes, dum verbum de verbo convertunt, aut myſteria (§. 24.) negant. Atque perſpicuitas, his limitibus circumſcripta, vel exinde patet, quod adhuc lectores, ii quoque, quos linguarum praeſidio deſtitutos vide-

videmus, nedum interpretes boni S. Cod. plurimi reperiantur, qui notitias satis amplas ex hoc fonte hausere. Multo tamen magis concedi debet, cum in his libris res Christi et Apostolorum omnisque felicitatis consequendae ratio tradenda esset, Spiritum divinum scriptoribus eorum suggessisse omnia, ut etiam a plebeiis indoctisque hominibus facillime intelligi possent, inprimis cum hos videret facilius ac promtius accepturos salutarem doctrinam, quam eruditos. Itaque non aliud, quam quo familiariter uterentur, dicendi genus usurpari videmus, et quanto quis sermonis hebraei in V. T. et hebraeo graeci in N. T. libris, temporumque et rituum antiquorum peritissimus est, tanto magis vim verborum adsequetur et planissima omnia reperiet. Formulae illae Davidis *Ps.* 119, 105. 19, 5. et similes laudant doctrinae divinae utilitatem, quae lucis instar viam i. e. vitae rationem demonstret et animum recreet. Neque satis aptum huic disputationi videtur *Es.* 8, 20. testimonium (אשר אין לו שחר), quod, etsi diserte neget obscura decreta Dei (שחר enim *nigredo*, *tenebrae*, ex usu Arabico, quem post alios HIRTIUS monstrat *diss. de loco obscuro S. Scr. perspicuitatem huius Scr. probante Witteb.* 776.) tamen vaticiniis tantum divinis, eo tempore editis, claritatis laudem confert. Sed nemo autor facile orationis suae decus, claritatem reliquasque virtutes ipse commendat.

Obs. 2. Obscuritas autem orationis et difficultates interpretationis minus offendent, si teneatur, minime eas oriri ipsorum scriptorum vitio, qui cogitata propter negligentiam vel inscitiam non satis perspicue exprimerent, et causam non tam insitam sacris literis aut natam ex ipsis esse, quam extrinsecus a tempore et ingenii humani vel ignavia vel perversitate accessisse. *Prima* ex emortua lingua hebraea, cuius ne alia quidem monumenta extant, et hebraeo graeca, cuius legitime

gitime addiscendae plurima impedimenta occurrunt, oritur *altera* ex ipsis rebus, quae ut sunt antiquae et in usu esse desierunt, ita ignoratae vel neglectae ab interprete, obscuritatem quandam libris offundunt v. c. ritus antiqui, historiae, status, disciplina et opiniones eorum, quibus destinarentur libri, et sexcenta alia. Non dicam de praeiudicatis et falsis quibusdam opinionibus, quae a multis invectae sunt in ipso modo ac genere interpretandi, nec de autoritate antiquarum interpretationum, a quibus haud facile est, sibi cavere, vel, si caveas, effugere censores iniquos, qui, a pueris interpretationibus adsueti parum accuratis, ita securi erroris facti sunt, ut earum vitia nullo modo sibi persuaderi patiantur. Sed ea non tantum impediunt in argumento historico et prophetico, quanquam in hoc praecipue, sine ulla religionis ipsius iactura vel offensione: verum in iis quoque locis, quae dogmata divina tractant, studia interpretum exercent atque fallunt. vide *I. Aug.* ERNESTI *Opusc. Philol. Crit.* (*Lugd. B. p.* 198. *sqq.*) Hae autem difficultates tantum abest, ut fidei nostrae certitudini et autoritati literarum divinarum obesse possint, (sunt enim pleraeque locorum, quae aut nullam aut exiguam cum fide nostra coniunctionem habent,) ut potius utramque adiuvent atque confirment. Nam si unus locus obscuritatem contraxit, non deerit alter planior et evidens: si nullo modo te expedire queas, fatearis, non contineri umbris et τοπῳ αὐχμηρῷ doctrinam Evangelii salutarem, tibi scriptam: si denique premunt difficultates, incitatum te his locis credas, ut scruteris sensum abditum, Deumque palaestram instruere ingenii et ad exercitia meditationis salubria te provocare. Me quidem, si aperta statim omnia et evidentia viderem in literis sacris, si nullo loco haererem, ipsa perspicuitate offendi posse, ingenue profiteor. Nam non minus taedium affert liber, in quo omnis exercendi ingenii materia per dicta in vulgus nota

et

et plebi apta praeciditur, quam opuſcula repudiantur, quae per obſcura omnia et tenebris involutam dictionem horrore percellunt: omnium autem utiliſſima et ſapientiſſima ſemper habita fuere ſcripta, quae leviora gravioribus permiſcent et hoc temperamento multorum ſtudiis ſatisfaciunt.

§. 50.

b) De lectione Scr. S.

Lectio Scripturae Sacrae per ſe quidem nec neceſſaria eſt cuivis homini Chriſtiano ad diſcendam religionem (auditione enim non minus quam lectione innoteſcere veritas et perſuaderi poteſt *Rom 10, 15.*) nec ulla lege N. T. iubetur, niſi doctoribus Eccleſiae: valde tamen commendari meretur, ne quis aliena potius quam ſua fide feratur, dummodo in uſu populari nec ſingulas utriusque teſtamenti partes, parum ſaepe utiles, nec quamcunque translationem temere et promiſcue perlegant.

Obſ. 1. *Mandata* de legendo a ſingulis chriſtianis Codice temporis ratio vetabat; rari enim erant codices nec niſi magnis ſumtibus comparandi, unde vix per ſingulos coetus exempla Scr. S. presbyterorum curae demandata, e quibus in conventibus ſacris lectiones inſtituerent ſumerentque admonitionum materias, extitiſſe chriſtiana antiquitas tradit: privatorum autem codicum rariſſimus fuit uſus. Praeterea eruditionis fere laus eo aevo fuit, callere literas, ac evolvere codices; plebeii autem et indocti homines, quos ſcimus promtius amplexos doctrinam ſalutarem, nec, ſi licuiſſet per opportunitatem et opes, uti codicibus poterant per vitae ſuae rationem, quae librorum negligentior aure potius quam oculis caperet inſtituta doctorum. Vnde *Paulus* dicit ſidem audito

verbo

verbo (ἐξ ακοης) nasci, *Rom.* 10, 15. et ἀκροατας λογου (auditores) *Iacobus c.* 1, 22. et *Paulus*, *Rom.* 2, 13. laudat, nec ulla legendi necessitas ullo V. et N. T. loco adstruitur. *Ps.* 1, 1. legis studium et meditationem eam commendat, quae non tam lectione, quam factis legitimis continetur. Alia V.T. decreta publice repetere iubent legum divinarum praelectionem, v. e. *Deut.* 31, 11. 12. *Es.* 34, 16. Alia ad Ecclesiae doctores pertinent v. g. *Ioh.* 5, 39. 2. *Tim.* 3, 15. Pleraque tamen suadent laicis quoque *concedendam* esse sacri Codicis lectionem. Nam a) Apostoli quidem integris coetibus epistolas suas transmiserunt, *Rom.* 1, 7. 2 *Cor.* 1, 1. *Iac.* 1, 1. *Col.* 4, 16. nullo dignitatis habito discrimine. b) negari vix poterit, quin Iudaeis privatim quoque libros sacros, si possent, evolvere licuerit. *Act.* 8, 28. 17, 11. 1 *Maccab.* 3, 48. 2 *Tim.* 3, 16. c) Si notitias religionis certas negamus doctorum privilegium esse fateamurque laicorum quoque animum ornare; si hos e praelecto codice sacro instruere necessarium putamus; quomodo arcendi essent a fontibus, e quibus notitiae salubres hauriuntur, et privatim claudendum veritatis promtuarium, in conventibus sacris in communem usum apertum? Equidem qui sine periculo audire potest verba transeuntia ab aliis praelecta, is multo minus, cum ipse sibi clarius praelegat, periclitabitur. d) denique cum literarum S. lectione communi et lapsa est et restituta religionis Christianae scientia nihilque gravius barbariei vulnus inflixit, quam reddita per Lutherum bibliorum lectio. Itaque semper legimus sic institutum in Ecclesia Christiana, ut et haberent laici copiam librorum sacrorum, versionibus in linguam vernaculam confectis, et, qui eosdem emere possent et legere, libero eorum usu fruerentur. TERTVLL. *Apol. c.* 39. HIERONYMVS (*Apol.* 1. *contra Ruff.*) *Pamphilum* laudat, *quod scripturas quoque sanctas non ad legendum tantum,*

 sed

sed ad habendum tribuebat promtissime non solum viris, sed et foeminis, quas vidisset lectioni deditas. CYRILLVS *Alex.* Iulianum refert *L.* 6. *contra Iul. c.* 9. hoc nomine criminari Christianos, *quod mulieres puerosque paterentur scripturas legere.* Aliorum loca passim I. GERHARDVS *LL. theol. Loc. I. c.* 23. (*p.* 381. *T. II. ed. Cottae*) *et confess. cathol. L.* 2. *art.* 1. *c.* 2. *th.* 7. *p.* 405. I. W. BAIERVS *compend. theol. histor. p.* 77. *sq.* ac omnium liberalissime *Fr.* WALCH in l. *Vom Gebrauch der h. Schr. unter den alten Christen Lips.* 1779. congessere, contra Pontificios, quorum primum GREGORIVS VII. (Sec. XI.), post INNOCENTIVS III. post Canon *Concil. Tholos.* (Anno 1229.) *Prohibemus ne libros V. T. aut N. laici permittantur habere nisi forte Psalterium vel breviarium pro divinis officiis — sed ne praemissos libros habeant in vulgari translatos, arctissime inhibemus,* arcere laicos, ne Waldensium scilicet erroribus inquinarentur, annisi sunt. *Synodus Tridentina* non ausa est, qui tot iam manibus tractarentur, tanta voluptate legerentur ubique et tam insigni rei Chr. commodo divulgati extarent libri sacri, eos per iniuriam eripere laicis, metuens et protestantium invectivas et suorum querelas ac indignationem: *iudicio* tamen *episcopi aut inquisitoris standum* decrevit *Regula IV. Indicis librorum prohibitorum,* auspiciis Pii IV. editi, *ut cum consilio parochi aut confessarii bibliorum a catholicis autoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possent, quos intellexerunt ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse.* Sed hanc facultatem satis circumscriptam hac formula CLEMENS VIII. et GREGOR. XV. novis fere legibus eripuerunt, et vel hoc seculo CLEMENS XI. ausus est in celebratissima *Constitutione, Vnigenitus* dicta, *num.* 59. *Quesnellii* atro calculo notare dictum: *Lectio Scripturae*

rae s. est pro omnibus. v. i. r. KIESLING *ep. ad Quirin. de poena ignis in tabular. sacr. vers. a Romanens. constituta.* et *Iac.* LEDESMA *S. I. de Scr. div. quavis lingua passim non legendis.* Verum illa Pontificum vox et iniuria nec probatur nec repetitur ab Ecclesia universa Romana, cuius graves autoritati ac prudentia viri, e Gallicano maxime coetu, lectionem Codicis s. concedendam omnibus esse, libere professi sunt, v. c. *Ell. du* PIN. *proleg. sur la Bible T. I. Ch.* 9. *p.* 224. *sq. Iac.* FACCIOLATVS *or. qua ostenditur S. S. studium cum vett. linguarum studiis coniungendum esse*, insert. *Biblioth. Brem. Cl. V. fasc.* 3. *p.* 393. et nuper etiam *Ad.* VIZER, Professor Tyrnaviensis, in *praenotionibus Hermeneutic. S.* (*Tyrnav.* 777. 8.) Cap. X. qui multus est, ut sententiam suam conciliet cum Reg. IV. indicis supra laudata, secutus *Gasp.* IVVENIN in *Theol. mor. T. I. de virt. theol. c.* 5. *p.* 68. (ed. *Venet.* 772. 8.) cuius verba digna sunt, quae legantur: v. c. dum fatetur, *illam Regulam indicis non debere locum habere, nisi in iis dioecesibus, in quibus fuit publicata, nec in iis provinciis, in quibus per consuetudinem contrariam fuit abrogata; nec tum, cum quando ob quasdam circumstantias laederet honorem, gloriam et utilitatem ecclesiae, velut cum calumniantur ministri haereticorum ecclesiam, quasi prohiberet lectionem S. Scr. ne dignoscere possent errores catholicorum. et s. p.* cf. quoque Io. OBSTRAET *theol. Lovaniensis de LL. theologicis Diss.* 1. *de verbo dei scripto. Vindob.* 1779. *p.* 298. qui monet, *mentem summorum pontificum, qui regulam quartam indicis promulgarunt, nequaquam fuisse, ut ea ubique reciperetur, et omnes deinceps obligaret, sed tantum reciperetur obligaretque iis locis, ubi experimento constabat, ob hominum temeritatem plus inde detrimenti quam utilitatis oriri. Et quoniam in multis provinciis constabat, id non fieri, dissimulante et consentiente Ecclesia contigit, ut illic regula quarta indicis recepta*

 nun-

nunquam fuerit, nedum obligarit. Haec quidem testimonia cautos faciant nostros, ne adversus Pontificios pugnaturi, eos contemtus literarum S. et gravis iniuriae, prohibito S. Codice, arguant, nostra praesertim aetate, quae suffragio et cura praesulum, pietate illustrium, laicis quoque librorum sacrorum fontes aperiri et commendari vidit. Versionum itaque S. Scr. et utilitas et necessitas in usu Chr. cognoscitur.

cf. *Iac.* VSSERII *historia dogmatica controversiae inter orthodoxos et pontificios de scripturis et sacris vernaculis* (Lond. 1690. 4.) *Fr.* FVRII *Bononia s. de libris s. in vernaculam convertendis LL. II. Basil.* 1556. 8. *I. Fr.* BVDDEVS vel *Chr.* LOEBER *diss. de omnibus concedenda Scr. S. lectione.* Ien. 715.

Obs. 2. Quoniam in popularem religionis Christianae usum minime omnes S. Scr. historias et decreta, nisi forte per accommodationes, allegorias, et scholia adiecta, converti possunt, vel quia aliena sunt a religionis argumento vel quia nimis involuta et obscura (cf. §. 50.): sic moderanda erit lectio Codicis S. ut cum delectu instituatur locorum utilium et augendis notitiis Christianis regendisque sensibus aptorum. Eum cum vix provide satis et sapienter facere posse, plebs praesumatur: rursus patet, quantum intersit, ut doctorum publicorum prudentia ac pietate atque, si mea vota valerent, autoritate Ecclesiae publica, imbecillitati indoctorum per compendium Codicis S. privatis addiscendae doctrinae Christianae exercitiis destinatum subveniatur. Duplex enim e lectione rerum inutilium damnum enascitur: alterum, ut nihil proficiant lectores, neque tamen dubitent, quin bene egerint legendo verbum, quod putant, divinum: alterum, ut tempus utiliora tractandi sibi praeripiant. Plura vide in *zvvey theolog. Bedenken (Noesselt und Schvvarz in Leipzig) über die Frage: ob es nöthig und nüzlich, ausser dem N. T. nur einen Auszug des A. T. zu*

gebrau-

gebrauchen. 1783. Sed eadem providentia utendum erit, ne omnibus promiscue versionibus legendis incumbant, velut Paulus Timotheum monet προσεχειν τη αναγνωσει, 1 *Tim.* 4, 13. Facile enim corrumpitur animus foedis erroribus, quos illae fovent et spargunt, neque ulla opinio prava ac haeretica magis sese insinuat in animum, quam involuta autoritate librorum sacrorum et per fraudes aliquo verbi divini colore subornata. Ne itaque plus detrimenti e lectione S. S. quam utilitatis oriatur, consentaneum erit, ex plorari a doctoribus publicis, parochis &c. indoctorum studia ac admonitionibus et persuasionibus claris et piis auditores ab his periculis revocari. Prohibere autem sive privato ausu sive publica lege bibliorum versiones suspectas, id, quoad ego quidem experientia cognovi, maiorum etiam noxarum causa extitit. Nam studia legendi tantum abest, ut restinguat, ut incendat potius alliciatque cupidos emtores, maiore cum voluptate lecturos, dum vel inquisitorem fallunt, vel cara re et vetita per dolum potiuntur. Sed nonminus repugnat huic cautioni constans versionis alicuius traditio, v. c. Lutheri, in qua, quam multa obscure, impedite et contra textum hebraeum graecumque translata sint, satis constat, quae etsi fidem non offendunt, impediunt tamen lectores et novae versionis publicae desideria movent.

SECTIO TERTIA.

DE VSV RATIONIS IN RELIGIONE CHRISTIANA.

§. 51.

Quid sit ratio?

Notitias naturales, vel veritatem per usum intellectus, sive meditatione et ratiociniis, sive experientia cognitam, *rationis* nomine hoc loco compellamus, quam in fontibus religionis christianae merito suo numeramus.

 Obs.

Obs. 1. Omnes fere philosophi et theologi operam artemque multam in eo collocant, ut rationis, vocabuli πολυσημου et ad ciendas inanes controversias apti, significatus varios exponant, et inprimis rationis *subiectivae* et *obiectivae* discrimen et monstrent et tenere iubeant. *Illam* dicunt animi facultatem cognoscendae et diiudicandae veritatis; *hanc* ipsam veritatem vel notitias per eam mentis humanae vim acquisitas. Sed ea distinctio, quanquam per se ad evitandas logomachias utilis, huic disputationi illustrandae non multum inservit. Quin enim coelesti, quod mortalibus obtigit, beneficio, vi intelligendi et perspiciendi veritatem, semper uti debeamus, neque sine hoc beneficio aditus ullus ad veritatem pateat, cuius capax est mens humana, illaque facultas exerceatur in studio religionis, nemo dubitat, nisi qui creatoris munus per iniuriam et ingrati animi turpitudinem abiecerit. Nec mera facultas sine usu efficit aliquid; et usus, nisi instructa sit mens veritatis apparatu et adiumenis vix locum habet, nec, nisi deducat ad veritatem, valet quidquam; nec denique veritas ulla concipi potest nisi ab intellectu vel ratione. Quae quum per se clara reperiantur et indubia, facultas rerum nexum cognoscendi, (*ratio subiectiva*) cum veritate, quae cadit in intelligentiam, (*ratione obiectiva*) sic coniungitur, ut utraque cogitatione quidem discerni, sed minime divelli possit, unde sine crimine discrimen illud omittendum iudicamus.

Obs. 2. Solent interdum *philosophiae* elogio ornari notitiae naturales s. ratio, quare quaestio movetur, *de usu philosophiae in rel. Chr.*, minus tamen accurate. Nam illa fere eruditorum ingenio nata est, hae notitiae indoctorum quoque; subtilis illa, hae populares; scholarum illa decus, hae vitae rectrices; illa per demonstrationem inventa et confirmata, hae autorem fere habent experientiam sensumque communem. Itaque mallem hoc loco tum populares tum subtiles notitias communu-

muni nomine naturales (*natürliche Kenntnisse, Vernunftwahrheiten*) vocare, quam vel scholasticum elogium cum invidia tribuere vulgaribus et obviis notitiis, vel per ambiguitatem occasionem dare vilipendendi usum scientiae popularis eumque omittendi.

Obs. 3. Qui scripturam S. *unicum* doctrinae Christianae principium esse volunt, rationis principia, gravi decreto, iussserunt excludi atque reprimi. Saepe olim auditae sunt voces contumeliosae et iniuriae doctorum, qui in rationis usum, quem ipsi per ignaviam colere neglexissent, graviter detonantes, hunc inquinare ac turbare purissimum Verbi divini fontem, ab ipso Paulo damnari doctrinaeque Christianae carissimum decus ac fere vitam ipsam, fidem, auferre contenderent. Indignae sane et homine et christiano voces! Hominem quidem quantum dedecet omnem ingenii vim penitus abiicere, alieno semper impetu ferri rapique et impie sentire de naturae nostrae autore summoque eius beneficio! Nam quomodo credamus in beneficiis haberi rationem posse, si nonnisi foedas errorum turbas pravorumque iudiciorum venena gigneret? Christianum autem ipsa scriptura sacra admonet, capere ansas notitiarum divinarum apertosque rerum naturalium fontes cupide adire, ut nutrimenta doctrinae verae et sensuum iustorum exhauriat. *Iob.* 12, 7—10. *Ps.* 19, 2—5. 94, 7—10. *Es.* 40, 26. 44 sq. *Matth.* 6, 30—32. *Rom.* 1, 20. unde saepius sive errores refutent, sive veritatem persuadeant autores sacri, ad sensum communem dicta sua referunt. *Es.* 40, 18 sq. Nec enim *omnis* religio Christiana fide continetur, quanquam hac praecipue, (multa enim insunt, in quibus scientia pariter ac fides occupatur,): nec pro consilio librorum singulorum, qui partes systematis christiani sparsim explicant, per codicis sacri volumen omnia, quae spectant ad religionem emendatiorem, proponuntur: (plurima enim ut antea nota lectoribus potuere praeteriri): denique omnis revelatio

 lacu-

lacunas religionis naturalis sarcit, vix autem totam destruit vel contra opus, Deo autore instructum, saevit. Quae igitur Deus, qui nunquam operis sui contemtor extitit vel ἀμαρτυρος inter homines, in institutione humana iungi voluit, iis nos religionem edocturos fas est lubenter, legitime ac sapienter uti, neque repudiatis notitiis scripturae S. persequi naturales, neque illarum studio has negligere, quibus posthabitis ne divinis quidem certa fides constabit. Iubeant miselli, qui literarum negligentes, pendent a versione, *captivare rationem sub obedientiam fidei*, formula repetita a Lutheri versione, 2 *Cor.* 10, 5. Paulus quidem, qui et ipse dialectica arte feliciter usus est et gravibus rationibus decreta sua communivit, hoc nec iussit unquam, nec a se factum laudavit: sed vi sua profitetur *destrui sophisticarum artium* (λογισμων) *munimenta*, (ὑψωμα), *quibus oppugnare veritatem divinam* (γνωσιν θεου) *auderent*, *et quasi triumphos agere de insidiis sapientum* (νοημα, *Cap.* 2, 11.) *fidei Christianae* (ὑπακοη χριστου *Rom.* 1, 5.) *structis*. v. ad h. l. LOESNER *obs. e Philon. Philosophia* autem, quam alidamnat, *Col.* 2, 8. sq. 1. *Tim.* 6, 20. graeculorum et praecipue *Iudaica* esse videtur, utraque inanibus et futilibus quaestionibus, tricis, mysteriis per sapientiam insaniens. vide C. C. TITTMANNI *tr. de vestigiis gnosticorum in N. T. frustra quaesitis* p. 85. sq. Lips. 773. 8.

§. 52.

Usus rationis.

Rationis, quam diximus, *usus triplex* cernitur in doctrina christiana: primus *inventione*, alter *illustratione* et iudicio, tertius *defensione* iusta dogmatum religionis.

§. 53.

§. 53.

a) *de usu rationis in inventione dogm. rel.*

Inventionem dogmatum religionis adiuvant notitiae naturales, *primum*, dum iis ducibus capita doctrinae christianae vel cognoscimus vel cognita per Scr. S. novis argumentis statuimus et comprobamus (unde *articulos fidei mixtos* vocamus): *dein* cum autoritatem et interpretationem s. literarum, a quibus omnis veritas christiana pendet, iisdem tuemur, *denique* cum earum subsidio e decretis S. S. per legitimam coniunctionem nova dogmata eruimus.

Obs. 1. Sunt quaedam religionis capita, quae per literas sacras demonstrare velle, perabsurdum esset, v. c. Deum existere, operari posse et alia. Haec in institutione Scr. S. non traduntur, sed ut certa et rata ponuntur, atque nonnisi solo rationis usu stabiliri possunt et demonstrari. Sunt alia, quae in s. literis proponuntur quidem, sed aliunde quoque patent et fulciri possunt argumentis a natura ductis, quibus equidem haec firmamenta nolim subtrahere, probe persuasus, non modo tanto nos beatiores futuros et erroris securos, quanto pluribus fulcris veritatem notitiarum nostrarum instruimus, verum ipsam religionis Christianae dignitatem tanto magis eminere, quanto certius dogmata eius cum veritate naturali plene concordare intelligimus. Huius generis dogmata, et per naturam et per revelationem demonstrata, *articulos fidei mixtos* scholastici dixerunt, haud veriti, sana et vera rationis decreta miscere dictis S. S. consentaneis, dum contra *puros* adpellarent, qui ex uno tantum fonte, revelatione s. scriptura S. deducuntur. Neque dubito, quin veritas per principia rationis stabilita pari robore ac autoritate polleat, ac purae, quas vocant, notitiae: quare efficitur, ut pariter studiis nostris digna habeatur. v. quae §. 2. dicta sunt.

Obſ. 2. Sed et ipſa rationis principia quam maxime in ſubſidium vocanda ſunt in *demonſtratione veritatis Chriſt. et originis Scr. S.* quae eſt caput totius religionis chriſtianae. Turpe ſane ac temerarium eſſet, coeca fide amplecti libros, divinorum titulo venditos, et impetu potius quam rationibus ferri. Sed quonam duce alio utamur, niſi notitiis naturalibus, per quas docemur tum virtutes revelationis divinae definire eosque characteres cum doctrina ſcripturae ſ. componere, tum librorum authentiam explorare? Quin nec *interpretatio* Scr. S. quae fundamentum omnium dogmatum religionis habetur, iuſta vel eſt vel eſſe poteſt, ſine notitiis naturalibus, quae conſilium ſcriptoris monſtrant et per ſeriem orationis ac obſervationes grammaticas verborum ſenſum genuinum et finire, et rationibus confirmare docent. Nec enim librorum divinorum alia et propria eſt interpretatio, ſed communis cum libris humanis. Quare philoſophiam, ſi ſobria ſit et ſenſu communi potius quam ſcholae et hypotheſium legibus contineatur, ſcripturae interpretem recte dixeris, cum *Ludov. Meiero*, cuius *Exercitationem paradoxam: Philoſophia ſcripturae interpres*, nuper repetiit *Semlerus*, et locis multis caſtigavit: dummodo caveas multorum tum vanitatem, qui ſapientiae et ſectae ſuae placita in ſacras literas intrudunt, et ieiune philoſophantur ac de rebus diſputant, antequam de verborum poteſtate conſtiterit, in quod vitium noſtra aetate multos incurrere video, cum nullum errorem, nullum praeiudicium antiquitati relinquunt et, quae colluſtrata artibus ac diſciplinis aetas noſtra damnat, ea nullo tempore toleranda fuiſſe cenſet; (vide *Theod.* HACKSPAN. *Miſcell. S. p.* 36. ERNESTI *de vanitate philoſophantium in interpr. libr. S. in Opuſc. philol. cr. p.* 233.) tum aliorum temeritatem, qui contortis interpretamentis omnia ad naturales cauſas naturaliumque eventorum modum revocant, nihilque in iis relinqui volunt μυςηριώδες, rationi indictum notitiisque naturalibus non tam

ad-

adversum ac contrarium, (id enim vere ac cum ratione reprobant), quam impervium. vide supra §. 24.

Obs. 3. Nova veritatis reperiundae et trita ratio cernitur, cum constitutis principiis veris per legitimum concludendi modum nova decreta evolvuntur. Qua in re non tantum facultas intelligendi rerum connexionem (*ratio subiectiva*) occupatur et exercetur, sed in subsidium quoque saepe vocantur notitiae naturales, tum ut principiorum veritas, tum ut consecutionis modus adeoque conclusionis veritas pateat. Tu tibi persuades, te quoque a Deo creari, fruique providentia divina Christique beneficiis? Potes quidem, sed per rationis usum et principium illud exhaustum: quidquid valet de genere, id etiam de individuis. Atque quotidie obvia veniunt exempla huius usus, quo omnium felicissime augentur notitiae christianae.

§. 54.

b) de usu rationis ad illustrationem dogm. Chr.

Alterum rationis munus cernitur in *illustratione dogmatum*, *vel* conficiendis notionibus vocum et formularum, et determinandis ac, ut dialectici loquuntur, a plurium locorum exemplis abstrahendis, *vel* enucleandis iisdem, *vel* dispersis articulorum fidei partibus in unam summam apte colligendis *vel* denique iudicio de rebus ipsis, dum eas veritati a natura ductae *aut* non repugnare, *aut* valde probari docemus.

Obs. 1. Magnae profecto utilitatis est tenere notiones universales in theologia perspectamque habere vim universam formularum, quae e sacris literis repetuntur, suntque quasi capita et fundamenta doctrinae. Sed earum duplex genus est: aliae diversis locis diversas ideas subiectas habent, ita tamen, ut ad unum genus commode possint referri et velut revocari v. c. ἀπολυτρωσις, πιςις: aliae cum sint sono diversae, eandem

rem,

rem, diverso tantum loquendi modo exprimunt. Eas igitur inter se conferre et universam notionem eruere, has autem secum componere et quomodo inter se conspirent, ostendere, utilissimum videtur: alterum enim paucis verbis monstratur res multas comprehendere et ex his necessario nexa reliqua facilius atque apte eruit; alterum a vitio res multas, citra consilium doctrinae Christianae consingendi, quod semper obfuit simplicitati religionis neque controversiis caruit, retrahit: utrumque autem brevitati ipsique adeo perspicuitati et firmitati in rebus tractandis mirum in modum consulit. Quod quidem exemplis et observationibus erudite demonstravit *S. Fr. Nath.* MORVS *Diss. de notionibus universis in theologia Lips.* 1782. et *Progr.* ib. eod. quem legisse neminem poeniteat.

Obs. 2. *Iudicium* (*Raisonnement*) de doctrina fidei vel *totum systema* amplectitur, vel in *singulis* partibus subsistit. In *systemate* demonstratio, quam sibi omnia cohaereant dogmata, quam placide cum consilio revelationis conspirent, quam omnes partes ex uno quasi centro velut radii pulcherrime diffundantur, quam denique totum ad felicitatem nostram sit comparatum, summam vim habet commendandi doctrinam tam sapienter concinnatam tamque luculenta autoris summi vestigia monstrantem. In *singulis partibus* autem illustrandis ac diiudicandis a) *prima* cura sit iudicium de *possibilitate*, quam vocant, anne decretum religionis rerum naturae, sensui communi et notitiis indubiis, sive popularibus sive biblicis, repugnet? Quis enim vim dam ingenio suo inferri patiatur, ut, quae fieri non posse sibi persuadet idoneis rationibus, ea vere evenisse simpliciter credat? Vnde minime audiendi sunt, qui vel per superstitionem tenerent, esse varia, rationi utique adversa, quibus tamen ob scripturarum autoritatem nefas sit fidem non habere; vel per irrisionem, ut solent *Baylius*, *d'Argens*, *Voltarius* et alii religionis omnis proditores, necessaria fidei exercitia in iis quo-

que

que commendarent commendarique criminarentur, quae rationi plane et evidenter repugnant. Sed in hoc iudicio de possibilitate ut magna varietas, ita facilis lapsus cernitur. Saepe enim humani ingenii temeritas eo progreditur, ut fieri posse neget, quod vel factum esse aliunde non rescivit, vel quomodo fieri queat, per tenuitatem suam haud cognoscit. Intelligentia quidem modi, quo aliquid fieri possit, adiuvat fidem nostram, tollitque dubitationes multas, et procliviores ad credendum facit; quia tamen experientia docemur, quotidie obvenire multa, quorum rationes et causas ignoramus, ignorationem modi, quo aliquid fiat, omnium minime fidem remorari vel infringere posse existimem. Sed illa philosophia semper foecunda controversiarum mater et nutrix extitit, v. c. cum de efficacia verbi div. quaeritur. Multos quoque aeternas sapientiae, iustitiae et benignitatis leges videmus in medium vocare, ut per illas multa fieri posse negent, quae veritas christiana defendit ac probat. Sed omnium facillime decipitur in illo iudicio sapientia humana, et, imbecillitatis suae oblita, το μωρον του θεου, dum non capit per angustias suas consilium Dei, praeceps nimis reprehendit. v. c. in doctrina de morte Chr. vicaria. Quid ergo? Summam Dei maiestatem, sapientiam, iustitiam, anne fas est ita angustis finibus circumscribi, ut nihil agere vel instituere liceat, nisi nobis apertum ac probabile, Deumque ita nobis obnoxium facere, ut eum ad omnia, quae velimus, facienda adigamus? Nonne praestat, quidquid divinae literae vere tradunt institutum a Deo, id sapientiae, benignitatis et perfectionum divinarum legibus consentaneum esse pie ac reverenter iudicare, tum quoque, cum ille consensus a tenuitate nostra non perspiciatur? Numinis quidem instituta et dispensationes absit, ut repugnent maiestati eius: nobis autem non alia de iis iudicandi facultas conceditur, nisi ex effectu, qui si innocens, si salubris intelligitur, admiramur effulgentem autoris perfectionem summam: si

per

per necessitatem perniciosus reperitur, non sic instituisse Deum recte defendimus. Ex hoc praecipue genere laudantur IAQVELOT *conformité de la foi avec la raison. Amst.* 705. et immortale G. G. LEIBNIZII opus: *Essai de Theodicée.* Amst. 710.

b) Multum quoque prodest persequi imagines rerum similium et *analogiam* humanarum rerum cum divinis. Nam facile animus capitur similitudine et minus offenditur decreto sublimi ac in quo insolentia rei percellit, si obversetur aliquid, cui illud apte comparari possit. Egregie hunc usum demonstrat acutissimus liber *Ios.* BVTTLERVS *the analogy of religion natural and revealed to the constitution and course of nature.* (*german. Lips.* 756. 8. *ed.* 2. *Tub.* 779.)

c) Si quae fieri posse docuit atque vitium absurditatis et insolentiae abstersit natura, tentabit *veri speciem* rebus et decretis doctrinae christianae allinere. Non quidem quo magis placeant et his curis certitudinem maiorem lucrentur: sed quo magis effulgeat doctrinae christianae dignitas, dum probabilia autoritate sua communit atque, remota dubitatione, certa omnia efficit. Denique d) grave munus rationis cernitur in iudicio de *caussis* et *effectibus* rerum et decretorum divinorum. Sive enim lateant, reverentiae ac pietatis exercitia suppeditant: sive, ut possunt plerumque, intelligantur, latus campus patet vel animum admiratione Dei et laetitia explendi, vel reprimendi veritatis adversarios, vel commendandi doctrinae christianae innocentiam ac salubritatem. In hunc campum excurrit magna lectorum voluptate insignique religionis commodo *I. Fr.* IACOBI *Betrachtungen über die vveisen Absichten Gottes bey den Dingen, die vvir in der menschlichen Gesellschaft und der Offenbarung antreffen. 4 Theile.* (Ed. 3. Hanover 765. 8.)

v. *Wahre Philosophie des Christenthums für iedermann, von E. Kiel.* 774.

§. 55.

§. 55.

c) de usu rationis ad defendendam doctrinam Christianam.

Quomodo denique rationis usus *defensoribus* doctrinae Chr. summa commoda praestet, ex his dictis patescit. Nam cum adversarii alii alias doctrinas ut *absurdas* et repugnantes reiiciant, alii alias ut *impias* Deoque indignas accusent: illos demonstratio possibilitatis, hos iudicium de nexu doctrinae Christianae cum indigentia et felicitate humana facillime refellit.

Obs. 1. Si quis nobis obiiciat graves controversias, exortas in religione chr. e rationis usu, e studiis res divinas humanis notitiis accommodandi, e subtilitate denique et tricis philosophantium: absit quidem ut eas negare ausim, quomodo enim historiae refragari liceat? sed, ne longius divager, ουτε παντες σοφοι, οἱ λεγομενοι σοφοι, omnium quidem minime ii, qui sapientiae suae lumine occoecati ne tenuitatem quidem suam sentiunt; nec sobria illa philosophia dicitur, quae lites parit; nec denique negari poterit, vel augustiora commoda et decora rationis usum rectum et providum conciliasse religioni, vel si ea, prouti decet, uti voluissent homines, docti inprimis, sapientia, definiendis atque explicandis formulis, et utilibus potius quam subtilibus et futilibus quaestionibus prolatis, plerarumque, nedum omnium controversiarum, ansam potuisse praecidi, atque si vellent adhuc iri praecisum. *v.* C. G. IOECHER *philosophia haeresium obex.*

Obs. 2. Patrum formulae, contra rationem depugnantes, et *Lutheri* viles de philosophia sententiae, v. c. *de iisdem in philosophia veris, in theologia falsis, de captivanda ratione, et similes*, vel sunt parum accuratae, vel excusantur,

sub-

ſublata vocis ambiguitate. Patres iudicia minime ſobria ſapientiae humanae, rei Chriſtianae obſtrepentis, damnaſſe, quis miretur? Quis non optet, ut ab omnibus patribus ſemper ſcholaſtica Platonis Ariſtotelisque ſapientia fuiſſet repudiata, cui adſueti doctores ſeculorum priorum Iuſtinus Martyr, Athenagoras, aliique multi, permixtis ſcholarum ſuarum cum doctrina meliore placitis, opinionumque ſuarum ſubtilitate verbis formulisque S. Scr. incruſtata, dici non poteſt, quantas noxas, quae decretorum monſtra et rixas attulerint in doctrinam chriſtianam. Sequiori aetati Ariſtoteles praecipue fraudi fuit, contra quem graves doctorum querelas collegit PETAVIVS *dogm. theol. T. I. Proleg. Cap.* 5. ſqq. qui et disputationum Calecam inter et Gregoram, illum philoſophiae impugnatorem, hunc defenſorem, compendium ſtruit. Magnifice tamen et caute CLEMENS *Alexandrinus* rationis et ſapientiae humanae uſum defendit *Stromat.* Lib. I. Cap. 9. p. 341. (ed. *Potter*) adverſus quosdam, Ebionitas volunt, qui μονην και ψιλην πιϛιν commendarent. Sic enim: Ενιοι ευφυεις οιομενοι ειναι αξιϩσι μητε φιλοσοφιας απτεσθαι, μητε διαλεκτικης, αλλα μητε την φυσικην θεωριαν εκμανθανειν. μονην τε και ψιλην την πιϛιν απαιτουσιν· ὡσπερ ει μηδεμιαν ἠξιουν επιμελειαν ποιησαμενοι της αμπελου, ευθυς ἐξ αρχης τους βοτρυας λαμβανειν· —— πως ουκ αναγκαιον περι νοητων φιλοσοφουντα διαλαβειν τον επιποθουντα της του θεου δυναμεως επιβολον γενεσθαι; πως δε ϩχι και διαιρεισθαι χρησιμον τας τε αμφιβολους φωνας, τας τε ὁμωνυμως εκφερομενας κατα τας διαθηκας. κ. τ. λ. ſed totus locus legi meretur. Lutheri dicta ſpectant Ariſtotelis aſſeclas ſubtiles, qui ſoli ſibi ratione pollere videbantur dumque diſtinctionibus onerarent theologiam, placita ſua ſapientiae vendebant titulo, quosque falſa plurima excudiſſe

atque

atque a scripturis aliena protulisse, quis negat? Denique vel illae lites cum *Dan.* HOFMANNO superiori seculo exortae, satis demonstrant, quam theologi nostri dignitatem rationis tueri allaborarint. vid. I. G. WALCH *Einl. in die Rel. Streit. der Luth. Kirche.* T. IV.

§. 56.

Abusus rationis.

Abutuntur autem ratione, *primum* qui nulli rei locum in religione esse concedendum contendunt, quae non necessariis rationis conclusionibus inveniatur: *dein* qui neglecto sensu grammatico librorum S. loca ea, quae verbis planissimis μυςεριωδες fidei nostrae proponunt, in eiusmodi sensum detorquent, qui nihil obscuri in re ipsa relinqueret: *porro* qui, dum omnia se adsequi ingenio suo et metiri posse confidunt, omnes rerum causas et effectus, Deique consilia arcana, modumque, quo res evenerint, superba ac temeraria fiducia declarare cupiunt, secus ac Paulus *Rom. 11, 33.* sq.: *denique* qui analogias nimis persequuntur, et si quas repererint, iis non tantum illustrasse sed etiam probasse mysteria sibi persuadent.

Obs. Multi fuere, qui hoc argumentum tractarent, e quibus e superiori seculo clarus fuit I. MVSAEVS *de usu principiorum rationis in rebus fidei, contra Vedelium* praecipue disputans, e nostro I. G. CANZIVS *philosophiae Wolfianae et Leibnitzianae usum in theologia* (Frf. 749. 8.) monstrare annisus est. *Chr. Alb.* DOEDERLEIN *Diss. de usu et abusu rationis humanae in rebus divinis* (Hal. 759. ed. 2). v. et *I. Fr.* IACOBI *von den Rechten der menschlichen Ver-*

nunft, *in l. Abhandlungen über wichtige Gegenstände der Religion.* P. II. (Hannover 776.): TOELLNER *Theol. Untersuchungen.* T. I. P. I. Art. 9. *Was ist Philosophie über die Glaubenswahrheiten?* (*Riga* 772.) THALEMANNI *Progr. de vitio res divinas ingenio humano accommodandi. Lipſ.* ac qui ſubtiliter et luculenter illuſtravit hoc caput, C. G. IVNGE in l. *Philoſophiſche und theologiſche Aufſätze* I *St.* p. I. (Norimb. 779. 8.) et *Allgem. Deutſche Bibl. XLIV. B.* 2 *St. p.* 366.

SECTIO QVARTA.
DE TRADITIONIBVS.

§. 57.
De traditione in genere.

Doctrina publica, quae per coetus Chriſtianos ab aevo inde apoſtolico propoſita et conſervata fuit, ex uſu eccleſiaſtico antiquo (nam παραδοσις alias eſt quaecunque inſtitutio) *traditio* dicitur: ſequius aevum partes religionis chriſtianae non ſcriptas eo nomine compellavit.

Obſ. 1. Multiplex vocum *tradendi* et *traditionis* (παραδιδοναι et παραδοσις) uſus varias hoc loco turbas dedit. Profani quoque ſcriptores elegantiſſimi, ubi de dogmatis ſermo eſt, ſemper vel de doctrina vivi vel de libris mortui dicunt et quamcunque doctrinam ſive inſtitutionem παραδοσιν vocant, velut *Quintilian.* L. 3. c. 1. 3. *aridam praeceptorum traditionem et nudam* dicit: cum autem de rebus memoria ſuperioribus ſermo fit, ſemper fere literarum monumenta παραδοσεως nomine inſigniuntur, nec facile illud vocabulum de fama et ſermone hominum uſurpatur, niſi forte apud *Livium L.* 7. cui *fama tradita res*

i. e.

i. e. rumore accepta dicitur. Eadem vocis potestas in N. T. obtinet ad consuetudinem hebraici verbi נתן quod saepius notat *docere* v. c. *Prov.* 9, 9. 4, 2. v. GLASSIVS *Philol. S. L. I. tr.* 3. *can.* 15. (p. 221. *Dath.*) vel in voce simplici διδοναι *Ioh.* 12, 49. 7, 22. 17, 8. *Matth.* 10, 8. vel in composita παραδιδοναι, cum de disciplina *Matth.* 11, 27. quae fit vel viva voce 1 *Cor.* 11, 23. 15, 3. *Rom.* 6, 17. 2 *Thess.* 3, 6. vel scriptis 2 *Thess.* 2, 15. tum de commemoratione alicuius rei et ritibus *Act.* 6, 14. *Matth.* 15, 2. quibus locis omnibus Versio Vulgata *traditionem* exponit. Sic *Gal.* 1, 14. *Col.* 2, 8. *paternae traditiones* non aliae sunt quam doctrinae et instituta Iudaica. Hunc usum constanter persequuntur ecclesiastici scriptores, *Irenaeus* maxime, *Tertullianus* et *Eusebius.* IRENAEVS v. c. *adv. haer. L.* 3. *ecclesiam Ephesinam ut* μαρτυρα αληθη της αποςολικης παραδοσεως *verissimum doctrinae genuinae Apostolorum testem* laudat. EVSEBIVS pluribus locis commendat παραδοσιν αποςολικην, quam alibi ορθοδοξιαν απ. dicere consuevit. *Polycarpum* testatur (H. E. L. 4. c. 14. p. 161.) *docuisse, quae ab Apostolis didicerat, quae et ecclesia tradit et sola sunt vera.* v. et L. 3, 36. 5, 20. Itaque doctrina illa, quam ecclesiae primae ab institutione Apostolorum sive ore (unde *traditio* αγραφος ap. CLEM. ALEX. *Strom.* 6, 7.) sive scriptis propositam hauserunt et pure conservarunt, *traditionis* nomine venit. Luculentum est CYPRIANI testimonium (*Ep. ad Pomp. p.* 215. *Ed. Oxon.*) *In compendio est apud religiosas et simplices mentes et errorem deponere et eruere atque invenire veritatem. Si ad divinae traditionis originem revertamur, cessat omnis error humanus. Vt si canalis aquam ducens, qui copiose prius et largiter fluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergitur ut illic defectionis ratio noscatur? Ita et nos ad originem*

 domi

dominicam et Evangelicam atque Apostolicam traditionem revertamur etc. — Ea facienda, quae scripta sunt. Deus testatur — Si ergo aut in Evangelio praecipitur aut in Apostolorum epistolis aut in actibus continetur, observetur divina haec et sancta traditio. Eam dupliciter observabant vel in doctrina, vel in ritibus, qui a multis retro annis tenebantur per coetus christianos v. c. cum *Stephanus* (*ap.* EVSEB. *L.* 7. *c.* 3. *p.* 323.) negat *se probare ritum rebaptizandi haereticos*, νεωτερον τι παρα την κρατησασαν αρχηθεν παραδοσιν επικαινοτομειν. EPIPHANIVS *haer.* 55. p. 471. fidei terminos et fundamenta recenset *Apostolorum traditiones, doctrinae successiones* (sed hae ab illis vix differunt) *et Scripturas Sacras.* Sed hanc formulam frequentem et accuratam post intellexerunt de dogmatis et institutis αγραφοις, quae divina autoritate consecrabant et *tanquam vel oretenus a Christo vel a Sp. S. dictata et continua successione in ecclesia conservata pari pietatis adfectu et reverentia suscipienda et veneranda esse voluerunt* Tridentini patres. (*Concil. Trid. sess.* 4. *decr.* 1.) Quo sensu traditiones recte repudiantur in *Conf. August. Art.* 15. et *Apolog. Art.* 8.

v. SVICER *thes. eccles. T. I.* 576.

Obs. 2. Pro diverso vocis usu obtinuit distinctio traditionis *scriptae* et *non scriptae* vel *oralis*; *divinae*, quae est in S. Scriptura, et *humanae*, quae venit a doctoribus etc.

§. 58.

Divisio traditionis.

Distinguitur traditio, *argumenti* ratione habita, in *historicam*, quae facta enarrat: *dogmaticam*,

cam, quae veritatem religionis attingit: et *ritualem*, quae externum ecclesiae ordinem et statum concernit. Cuius ut in genere semper fides dubia est, ita dogmaticae inprimis, de qua nos praecipimus, habitus ad religionem multis premitur difficultatibus.

Obs. *Historicam* frequentius laudant patres et simpliciter παραδοσεως nomine insigniunt. *Hegesippum* EVSEBIVS *H. E. IV.* 8. *tradit verissimam apostolicae praedicationis* παραδοσιν *comprehendisse quinque libris*, non doctrinam et dogmata, sed gesta potissimum et facta, quod narrationes eorum librorum demonstrant.

§. 59.

De traditione dogmatica generatim.

Agnoscimus autem in doctrina publica coetuum Christianorum aevi antiquissimi traditionem *dogmaticam*, duplici modo: vel cum veritatem Christianam proponunt (traditio *dogmatica stricte dicta*): vel cum scripturae sacrae oracula explicant. (traditio *exegetica*.) De utraque sigillatim dispiciemus.

§. 60.

a) Traditio dogm. stricte dicta.

Permagnum sane subsidium *tum* cognoscendae, *tum* definiendae, *tum* defendendae veritatis Christianae esset cognitio doctrinae publicae eorum coetuum, quibus copia audiendi primos Evangelii praecones data fuit et quos puritatem institutionis Apostolicae incorruptam servasse constaret. Quo subsidio cum in seculis *priori-*

bus iure ſuo uterentur doctores Chriſtiani, *nobis* tamen, deſtitutis iam idoneis antiquitatis argumentis, id haud adeo certum ac tutum uſum praeſtare poterit.

Obſ. 1. Satis celebris locus VINCENTII *Lirinenſis in Commonitor. adverſus profanas omnium novitates haereticorum* in hanc, quam profitemur, ſententiam deflectit, cum *duplici modo fidem munire quemque debere* ait (*Cap. 1. p. 6. ed. Baluz. Cantabr.* 1689): *primo ſcilicet divinae legis autoritate; tum deinde eccleſiae catholicae traditione, in qua* (*Cap.* 3.) *tenendum* iudicat, *quod ubique* (univerſitas), *quod ſemper* (antiquitas), *quod ab omnibus* (conſenſio) *creditum eſt: operamque dare* iubet, *ut collatae inter ſe maiorum conſulantur ſententiae, eorum duntaxat, qui diverſis licet temporibus et locis in unius tamen eccleſiae catholicae communione et fide permanentes magiſtri probabiles extiterunt et quidquid non unus aut duo tantum ſed omnes pariter uno eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoſcatur, id absque ulla dubitatione credendum intelligatur.* Sed haec ſententia Vincentii multis argumentis adiuvatur. *Primum* antiquiſſima eccleſiarum conſuetudine, quae cum vel haereſeos ſuſpicio quaedam vel de ſingulis dogmatis quaeſtio oriretur, lites vel e ſcripturarum autoritate, vel e doctrina publica ab Apoſtolico inde aevo adhuc conſervata et translata definirent. Perſuaſi enim erant doctores Chriſtiani, non minus vere docuiſſe Apoſtolos quam ſcripſiſſe atque, cum ſcripturarum cuſtodes coetus eſſent ii, ad quos pertinerent libri, doctrinam δι᾽ ἀκοῆς acceptam epiſcopos publicosque doctores pie cuſtodiiſſe, dum et publicam profeſſionem (regulam fidei) ederent, auſpicaturi munus ſacrum, et vererentur, ne, ſi quem errorem excuderent, coetus antiquae fidei deſertionem

nem statim intelligerent inque autores novorum dogmatum animadverterent. IRENAEVS *L.* 3. *adv. haeres. Cap.* 3. *Maximae et antiquissimae et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae eam, quam habet ab Apostolis, traditionem et annunciatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo — praeter quam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam h. e. eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio.* de quo loco cf. *bibl.* nostra *theol.* T. I. p. 472. vide quoque *L.* 1. *c.* 10. *et* 4, 26. TERTVLLIANVS *de praescr. adv. haer. c.* 21. *Ab ecclesiis, quas apostoli condiderunt, traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et quotidie mutuantur — Ac per hoc et ipsae Apostolicae deputantur, ut soboles Apostolicarum ecclesiarum. — Si Dominus Iesus Christus misit ad praedicandum Apostolos, alios non esse recipiendos praedicatores, quam quos Christus instituit. — Quid autem praedicaverint — et hic praescribam, non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt et s. p.* CLEMENS ALEXANDR. *Strom.* 1, 1. praeceptores suos laudat, *sinceram beatae doctrinae servasse traditionem, quam iam inde a Petro, Iohanne, Iacobo, Paulo tanquam filii a parentibus per continuam successionem traditam acceperunt.* v. et Strom. 6, 7. Addam ORIGENIS locum *praef. l.* περι αρχων. *Servetur ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad praesens in ecclesiis permanens. — Illa sola est credenda veritas, quae in nulla ab ecclesiastica discordat traditione. Dein* cum in omni disciplina solemus non scripta tantum

 magi-

magiſtri alicuius, quae nec ſemper eduntur, nec ita, ut totum autoris ſyſtema exponant, evolvere, ſed ſcholam ipſam, ſi fieri poſſit, et publicam doctoris ſedem adire, credere auditoribus et, quidquid communi teſtimonio ab eo traditum fuiſſe docemur, id ad magiſtri huius doctrinam legitime referre: quomodo liceat repudiare ſuffragia coetuum, qui Apoſtolos tam cupide audiiſſent, qui tam caram et commendatam haberent eorum inſtitutionem, *Gal.* 1, 6. 11. 1 *Theſſ.* 2, 13. qui a doctoribus, Apoſtolorum autoritate primum conſtitutis, regerentur, qui denique de πιςει ισοτιμω communicarent inter ſe omninoque caverent, ne novis opinionibus antiqua fidei puritas contaminaretur? Quidquid igitur apud multos invenitur in illa antiquitate rerum Chriſtianarum, quidquid conſonum, id traditum ab Apoſtolis vere tenemus atque reveremur, ut recte ſtatuit AVGVSTINVS *de bapt.* 2, 7. 4, 24. In eandem ſententiam plurimi veterum nonniſi eis traditionibus autoritatem conceſſere, quae ακολȣθια μνημης *perpetuae memoriae ſerie traditae a patribus* conſervatae ſunt. v. BASIL. *adv. Sabellian.* c. 27 et 30. Nec denique praeteriri hoc loco poterit, quod ſupra monuimus, vetuiſſe conſilium librorum N. T. ſingulorum, quin totum et luculentum doctrinae Chriſtianae ſyſtema ac per partes omnes clarum in epiſtolis familiaribus ac polemicis proponeretur; merito itaque ad monumenta doctrinae publicae refugimus, cum, quid vere tradiderint Apoſtoli, definiendum ſit.

v. G. CALIXTVS *diſſ. de autoritate antiquitatis eccleſiaſticae. Helmſt.* 1639. *et F. V.* CALIXTVS *de univerſalis primaevae eccleſiae auctoritate.* ib. 1658. qui valde laudant conſenſum quinqueſecularem.

Obſ. 2. Abſit autem, ut fateamur, traditionem *arcanis* et occultis dogmatis contineri, quae, neſcio quo conſilio,

silio, evangelii praecones scriptis consignare haud ausi, doctorum fidei institutione ἀγράφῳ mandaverint. Namque plurima sane evenire possunt pericula doctrinae, et fidei impedimenta, seriore inprimis aevo, si ea quoque exploranda probandaque essent, quae nonnisi per successiones et memoriam doctorum conservari potuerunt. Omnium hominum natura ad recte diiudicandum admodum est imbecillis: dehinc brevis vita; labilis memoria; adhaec incidunt frequentes calamitates publicae, bella, clades, persecutiones, pravarum opinionum autores; quas omnes ob res paulatim doctrina religionis, nisi scriptis incolumis servaretur, penitus obliteratur, adeoque de religione ipsa actum esset, si fides nostra a testimoniis et adsertionibus hominum penderet, quos antiquam doctrinam ad animum puram retinuisse non certis rationibus constat. Nec religionis capita occulta esse voluit animus Apostolorum veri conscius et pius, quae scholis interioribus et doctoribus servarentur. Qua in re TERTVLLIANI gravis extat sententia *de praescr. c.* 22. *Haeretici solent dicere, non omnia Apostolos scisse, eadem agitati dementia, qua rursus convertunt, omnia quidem Apostolos scisse sed non omnia omnibus tradidisse: in utroque Christum reprehensioni subiicientes, qui aut minus instructos aut parum simplices Apostolos miserit. — Neminem verebantur — multo magis iam credentibus ecclesiis nihil subtraxissent, quod aliis paucis seorsim demandarent.* v. et *Iren.* l. c. L. 3. c. 3. et c. 20. *doctrina Apostolorum manifesta et firma et nihil subtrahens, neque alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto docentium. Hoc enim fictorum et prave seducentium et hypocritarum est molimen.* Praeter haec, cum traditionis fide doctrinam suam muniunt antiqui doctores, tantum abest, ut insolentia et ἄγραφα dicta enumerent, ut potius paucis tantum et in Scriptura S. obviis

dogmatis eam contineri profiteantur. *Irenaeus* certe *adv. Haer. L. I. c.* 10. κηρυγμα, quod et παραδοσιν vocat, fidem et *professionem publicam* recenset, *quam acceptam ab Apostolis ecclesia* φυλασσει — κηρυσσει, διδασκει, παραδιδωσι, similem symbolo Apostolico. (v. ROESLER *Bibl. der Kirchenv. T. I. p.* 279.) Alia traditionis capita ORIGENES l. c. exponit (*ibid. T. II. p.* 83—92.) clare doctorum philosophemata et quaestiones arduas ac mysteria a traditione simplici, perspicua et populari distinguens. Haec quidem clare demonstrant, quam alieni fuerint scriptores primi aevi Apostolici ab opinionibus eorum, qui secreta et ἀγραφα dogmata in censum traditionis referri voluerunt. Quoniam autem, si vel arcana quadam disciplina usi Apostoli doctorum fidei et memoriis mandassent praecepta nonnulla Christianarum rerum et instituta, vix praecaveri possent fraudum pericula, et procedente aevo formulae Apostolicae tam facile corrumpi, invectis erroribus, emortuis apostolicorum virorum auditoribus, iamque omissis literarum monumentis, nisi in paucis capitibus et reliquiis, effici non posset, qualis illa fuerit doctrina publica et communis a maioribus accepta: traditionis usus multas et difficultates habet et cautiones. Paucarum enim ecclesiarum documenta supersunt, nec eius aevi, quo puritas Evangelii incorrupta mansit: a coetuum rectoribus saepe privatae opiniones, reprobatae ab ecclesiis, excusae sunt: conciliorum professiones nec antiquae satis fuere, nec liberae, nec secum concordes: praeterea antiquitatis Apostolicae color saepe inductus est decretis recentioribus, ut hac specie commendarentur apud imperitos; atque etiam nunc ex his traditionibus defenduntur multae corruptelae et superstitiones, quae non possunt literarum div. testimoniis comprobari: unde fallax e traditione iudicium exoritur in doctrina quidem, quae, etsi in lite-

literarum S. monumentis non tradatur, pariter tamen probanda et credenda ſit, ac ſcripturae ipſius decreta. Itaque patrum adhuc aevo traditionis αγϱαφου autoritas minus certa ac tuta in dogmatis (namque ritualium et hiſtoricarum pretium conſtans fuit, nec a nobis plane reprobatur): habita fuit, ipſo *Irenaeo* profitente; (*L. IV. c.* 36.) *nullae aliae traditiones, quae ſub Apoſtolorum titulo vel nomine iactantur, recipiendae ſunt, quam quae ſcriptura comprehenſae et illi ſunt conſentaneae.* Reliqui clare, quae non ſunt ſcripta, reprobarunt. TERTVLLIANO de *cor. mil.* c. 3. catholicus perſpicue obiicit: *etiam in traditionis obtentu exigenda eſt autoritas ſcripta.* HIERON. *adv. Helvidium: Vt haec quae ſcripta ſunt non negamus, ita ea, quae non ſunt ſcripta, renuimus. Natum Deum eſſe de virgine credimus, quia legimus: Mariam nupſiſſe poſt partum non credimus, quia non legimus.* Sic et BASILIVS *homil.* 29. *adv calumniant. S. Trinit.* τα γεγϱαμμενα πιςευε, τα μη γεγϱαμμενα μη ζητει.

§. 61.

De traditione hermeneutica.

Multo tamen minus *interpretationem* ſcripturae ſacrae concedimus traditionis i. e. doctorum antiquiorum conſenſu ac autoritate regi, nam nec valde antiqua, nec multorum doctorum, nedum eccleſiarum, nec conſona in ſenſu ſcripturae ſacrae literarum monumenta extant, e quibus ſenſus verus dictorum Apoſtolicorum monſtrari poſſet.

Obſ. 1. Commendat intelligentiam eccleſiaſticam S. literarum, ut normam, *Vincentius Lirin. Commonitor.* L. I. c. 2. p. 7. *Quia ſcripturam ſacram pro ipſa ſua altitu-*

dine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt, ſed eiusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut paene, quot homines ſunt, tot illic ſententiae erui poſſe videantur — idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos, tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apoſtolicae interpretationis linea ſecundum eccleſiaſtici et catholici ſenſus normam dirigatur. Cui innixi Pontificii iubent non admittere interpretationem S. literarum *niſi iuxta unanimem conſenſum patrum* (*Concil. Trident. ſeſſ.* 4. *decr.* 2.). Repetit, commendandae et adiuvandae concordiae cauſa Vincentii regulam Perill. *Iuſtinus Febronius de ſtatu eccleſiae et legitima poteſtate pontificis Romani T. I. c.* 1. aſſeritque omnem S. Scr. interpretationem fieri debere ad Patrum eccleſiae primitivae conſenſum, cui adhaerendum eſſe nuper etiam contra *Iſenbiehlium* vehementi animorum audacia defenderunt.

Obſ. 2. Quomodo autem doctrinae et interpretationis regulam ſumamus, quam vel fruſtra quaerimus, deperditis patrum antiquiorum libris, quibus S. Scripturam exponere tentarunt, Pantaeni, Theophili Antiocheni, Clementis Alex. (cuius pauca fragmenta extant) Hippolyti et aliorum: vel non adeo rectam et planam intelligimus, cum autores librorum divinorum tractandorum rationem et ſcientiam vix tenuerint? Ineptas Iuſtini Mart. Tertulliani et Irenaei de ſenſu Scr. S. nugas et violentas in aliud argumentum detorſiones quaevis pagina oſtendit: Origenem, quo magis eruditum et acutum interpretem non vidit antiquitas Chriſtiana, multa librorum ſ. loca prave interpretatum tradunt veteres (EPIPHAN *de pond. et menſ.* c. 7) et ſenem allegoriarum ſtudium decepit: neque ullum fere locum proferre auſim, quem Patres varii varie non explicaverint. Quae omnia efficiunt, ut fruſtra conſuli traditionem exegeticam ſtatua-

ſtatuamus: quamquam e patrum ſcriptis multa et egregia interpretationis ſubſidia cogi poſſe non auſim negare. vide ERNESTI *interpr. N. T. P. II. Cap.* 5.

cf. *C. Gottl.* HOFMANN *Progr. Examen regulae exegeticae ex Vincentio Lerin. a Febronio repetitae.* Witt. 1768. DALLAEVS *de uſu patrum* L. I. *I. A.* ERNESTI *de theologiae hiſtoricae et dogmaticae coniungendae neceſſitate*, in *opuſc. theol.* p. 567 *ſq.*

Cauſam traditionis egerunt R. BELLARMINVS *de verbo Dei L. IV. c.* 3. G. CASSANDER *traditionum veteris eccleſiae et ſanctorum patrum defenſio* (contra *Calvinum*). ADR. *et* PETR. *de* WALENBVRCH fratres *de traditionibus non ſcriptis. Col.* 1667. et nuper *Ioſ. Ant.* RIEGGER *opuſc. ad hiſtor. et iurisprud. eccl. pertinentia. n.* 7. *an detur traditio ſacra? Friburg.* 773.

CAPVT QVARTVM.

DE THEOLOGIA.

§. 62.

Theologia ſeu facultas docendi religionem chriſtianam duabus rebus continetur, accuratis notitiis doctrinae chriſtianae, earumque idonea expoſitione. Vnde in bono *theologo* vel doctore religionis chriſtianae eſſe debet *ſubtilitas cognoſcendi* et *ſubtilitas tradendi* aliis veritatem chriſtianam.

Obſ. 1. Theologi nomen repetendum eſſe conſtat e profanarum gentium ſermone et diſciplina, tribui ſolitum iis,

iis, qui de rebus diviuis ſcriberent et ſubtiliter diſputare poſſent, ut philoſophis et poetis, quoniam multa de diis eorumque natura et hiſtoria ac de moribus probis diſſerebant. Primus quidem *Pherecydes Syrus*, quantum ſcimus, *theologi* nomen habuit, qui et librum compoſuit ſub nomine θεολογιας, περι των ουρανιων και θειων φιλοσοφησας ut *Ioſephus* ait *contra Apion. L.* 1. *c.* 2. Atque ita vocati ſunt *Homerus* ac *Heſiodus*, uterque θεογονιας autor, (iuxta HERODOT. *Hiſt. L.* 2. *c.* 53. Ἡσιοδος και Ὁμηρος — εισι οἱ ποιησαντες θεογονιην ἑλλησι, και τοισι θεοις τας επωνυμιας δοντες, και τιμας τε και τεχνας διελοντες, και ιδεαν αυτων σημηναντες.) et *Epimenides*, qui de ritibus ſacris, oraculis, et ſimilibus ſcripſit apud *Diodorum Siculum.* v. *Sextus Emp. math.* 9. c. 29. et ibi *Fabricius*. Theologiae autem nomen inſcriptum libris, in quibus res ſacrae tractarentur, velut *Sanchuniathonis* ἡ των Φοινικων θεολογια et ἡ των ποιητων θεολογια eſt apud IVSTINVM *Mart. exhort. ad gentes*, ubi tamen alii legunt θεοσεβεια; et apud ATHENAGOR. *legat. pro Chr. cap.* 16. (*ed. Dechair. p.* 69.) απιθανον της θεολογιας profanorum. Non admodum diverſus reperitur huius vocabuli uſus doctorum eccleſiae veterum, qui ut theologiam vocare ſolebant *vel* doctrinam de Deo (EVSEB. *in Pſalm. in collectione nova Montefalc. T. I. p.* 313. πασα ἡ εκτος της εκκλησιας του θεου λεγομενη θεολογια — ἀπρεπης εςι, ubi et θεολογειν occurrit, *de Deo diſſerere*): *vel* fidem naturae Chriſti divinae, cui οικονομια, doctrina de Ieſu homine, opponitur apud EVSEB. *H. E. L.* I. c. 3. et ſaepius: ita defenſores divinitatis Chriſti v. g. GREGOR. *Nazianz.*, forſan et Iohannem, Apocalypſeos autorem, θεολογους appellabant. Sic et θεολογειν ſignificat *ut Deum agnoſcere* ap. IVSTIN. *Mart. Dial. cum Tryph.* θεολογειν

και

καὶ κυριολογεῖν το πνευμα ἅγιον Sed cum *Abaelardus*, ſcholaſticorum fere anteſignanus, compendium ab ipſo editum inſcripſiſſet: *Theologia chriſtiana*, ab eo inde tempore doctrina chriſtiana, eruditorum uſui adaptata, theologiae nomen obtinuit. Superiori ſeculo, magno incommodo, *religionem* et *theologiam* permiſcuere, v. g. *Muſaeus*, *Baierus*, et alii, unde multae quaeſtiones ambiguae ſane et fallaces ſubortae ſunt, v. g. *an theologia ſit habitus practicus*, de *theologia irregeniti an vera ſit* et al. ac diviſiones parum probabiles theol. *viatorum* (viae) et *comprehenſorum* (patriae): illorum iterum vel *paradiſiacam* vel *peccatorum*. Etymologiarum aucupes omnes notitias de Deo rebusque divinis θεολογίαν dixerunt, unde inepta diviſio theologiae fluxit in ἀρχέτυπον et ἔκτυπον, et theologiam *unionis*, quae nugae nos iam non morantur. Noſtro autem aevo doctores ſcholarum vel academiarum theologos tantum appellandos eſſe voluerunt et quidam *popularem* doctorem a *ſcholaſtico*, uti notitiis, ita nomine multum differre, neſcio, qua de cauſa quove commodo, contendunt. Nos quidem uſum vulgarem ſecuti theologiam finivimus. vide *I.* GERHARD. *LL. theol. T. II. Prooem.* (p. 12. Cott.)

Obſ. 2. Dedimus definitionem theologiae *ſubiective* ſpectatae. *Obiective* doctrina theologi θεολογίας nomine venit.

Obſ. 3. Nec operae pretium eſſe putamus, moleſta ſedulitate recoquere ſubtiles nimis ſcholaſticorum quaeſtiones, utrum theologia ſit *ſcientia*, an *habitus*, isque an *theoreticus* an *practicus*? *Scientiae* quidem cognomen nemo delebit, ſi ſcientiam dicamus capita doctrinae certae per ordinem digeſta: *habitum* autem *practicum* recte dixeris, nam et uſum requirit et exercitium docendi, nec animo incluſae notitiae continentur ſed in aliorum utilitatem convertuntur.

vide *C. C.* TITTMANN prolus. *de theologis veterum.* Witteb. 775. *I. F.* COTTA *diss. de constitutione theologiae.* Tub. 759. *Eiusd. diss. de variis theologiae speciebus* ib. eod. *C. F.* TRESENREUTER *examen vulgarium quarundam theologiae divisionum.* Altorf 741.

§. 63.

a) *Subtilitas cognoscendi.*

α) *quid cognoscat theologus.*

Subtilitas cognoscendi veritatem christianam *duabus* rebus cernitur, quarum *altera* est ambitus cognitionis, quae non modo per omnia capita doctrinae extenditur (§. 1. Obs. 3.) sive theoretica (*theologia theoretica*) sive practica, (*theologia moralis*) verum etiam causas veritatis tenendae et tradendae ac fata doctrinarum, et utilitatem amplectitur: *altera* autem modus cognitionis, erudito dignus.

Obs. 1. Theologiam *theoreticam* male nostris temporibus dici coeptam esse *dogmaticam*, auctore haud dubie *Buddeo*, Theologo alias summae et accuratae disciplinae, *Tittmannus* l. c. monuit. Nam theologia *dogmatica* proprie est, quae agit de placitis et opinionibus theologorum. Nec enim apud veteres δογμα dicebatur de doctrina ipsa, sed de sententia doctoris alicuius de capite aliquo doctrinae, v. c. *Col.* 2, 14. *Act.* 16, 4. δογματα sunt *opiniones*, ritus, et *Gennadii Massil. liber de dogmatibus ecclesiasticis* in doctorum placitis de capitibus religionis recensendis occupatur. Quem secutus *Dionys. Petavius* eruditum opus historicum recte inscripsit *opus de dogmatibus theologicis* i. e. de patrum sententiis.

Obs.

Obs. 2. Superiori demum seculo, monitore *Calixto*, autore I. G. DVRRIO moralem theologiam a dogmatica vel theoretica nostri divellere tentarunt, qua ex re in morum disciplinam multa commoda fluxerunt.

Obs. 3. Sed hoc loco non ausim lineis quasi ductis finire, qua vel populares notitiae sese continere debeant, vel theologi scientia incipiat a populari h. e. religio a theologia distingui: ista enim definitio magna difficultate, nedum periculis implicatur. Popularis religio nullis profecto finibus reprimi debet, vel coerceri studium virorum proborum, ubi ab elementis ad graviora progredi, meliusque sapere et sublimiora indagare cupiant. Interdum etiam non dubito, quin iustam suspicionem moveret aut contra rem Christianam aut adversus theologum, si audeat opprimere diligentiam populi iustam unumve ex illo ab adytis scientiae suae removere conatus fuerit. Contra nemo inficiabitur, ingenium, discendi opportunitatem fructumque, quem doctores decet de suis notitiis proferre, quae omnia saepe valde tenuia sunt, haud raro prohibere theologiae studiosos, quo minus in latissimum scientiae huius campum exspatiari eumque emetiri liceat, in quo facile evenit, ut ab uno alterove e populo, cui sors beatior, ingeniumque perspicacius et librorum copia maior obtingit, vincantur. Equidem satis sperem de theologia eius, qui nunquam pedem per desidiam in hoc campo sistat atque novam semper materiam cogitandi discendique iis, quorum institutioni praeest, offerre queat. Ceterum commendem hoc loco D. G. NIEMEYER *über das Wachsthum christlicher Lehrer in Erkenntnis und Erfahrung. Lips.* 1778.

§. 64.

β) quomodo cognoſcat?

Modus cognitionis, quam a theologo poſtulamus, requirit intelligentiam *certam*, *accuratam* et in certum *ordinem* redactam.

Obſ. 1. *Certitudo* maxime nititur tum interpretatione literarum ſacrarum (quam nonnulli theologiam *exegeticam* dicunt), ſine qua nemo unquam theologus excellens et praeclarus formatur, e qua exiſtit *theologia biblica*, i. e. quae ex unico S. literarum fonte et derivat doctrinam chriſtianam et declarat, tropica dictione explicata, pro modo auditorum vel lectorum, omiſſisque formulis ἀγϱάφοις et argumentis aliunde petitis, qualem magna cum laude tradidit G. TR. ZACHARIAE: tum rationis principiis, tum denique cognitione doctrinae publicae Chriſtianorum (*theologia hiſtorica*): quae nobis argumenta ſuppeditant rerum, ita quidem, ut non ratis illis acquieſcat magiſter cum diſcipulis, ut ex iis veluti teſſeris quibusdam poſſis ſcholam quamque agnoſcere, (haec enim tironum exilitas eſto, non viri decus): ſed ut nova quoque, inaudita ore alio, indagare, concuſſa ſtatuere, inficeta et precaria abdicare, etiam cum invidia poſſit.

Obſ. 2. *Accurata intelligentia* exiſtit *primum* in perſpicuis verborum definitionibus, non metaphyſicis illis, quarum vitium ſaepe quodam quaſi contagio inquinat totas de rebus graviſſimis diſputationes, ſed ductis ab obſervationibus grammaticis et hiſtoricis diligenter inſtitutis: *deinde* in vocum et rerum ambiguarum diſtinctionibus, quarum e neglectu inanes ſaepe verborum concertationes exortae ſunt, quanquam male ſanum ſubtiliſſimorum aevi ſui theologorum, *Aquinatis*, *Scoti* aliorumque ſcholaſticorum ſtudium nova mala pepererit: *porro* in argumentorum delectu, ubi vel veritas confirmanda ſit, vel errorum cauſae ac pravitates oſtendendae (quod ſtudium *polemicae theologiae*

logiae vindicant, interpretatione et historiarum notitiis felicissime expeditum), ut argumenta sint proba ac testimoniis insit, cuius caussa proferuntur, tollantur dubitationes et falsae opiniones acute et accurate refellantur: *post* in iudicio de pondere et dignitate doctrinae, ut quae minus utilia sunt a salubribus, a levibus et curiosis ea, quarum cum salute humana intercedit coniunctio, ab indubiis et perspicuis ea, quae minus probabili ratione sumuntur, distinguantur ac resecentur: *denique* in cognitione, quid ex quoque consequatur.

Obs. 3. *Ordinis* ratio novum studium requirit theologi, dum *et* res per libros sacros sparsas et dissipatas ad certa capita congregat *et* doctrinas sacras ita coniungit, ut nullus quasi hiatus, nihil dissensionis existat et vero etiam omnia sic conspirent, ut unius dogmatis propter alterum necessitas et articulorum quasi vinculum percipiatur, quod longe difficilius intelligi quam veritatem singulorum enuntiatorum sciunt omnes, qui aliquid in hoc genere tentarunt. Atque haec proprie est theologia *systematica*.

cf. I. Dav. HEILMANN *de eo, quod interest inter divinas notitias theologi et christiani* insert. *opuscul.* eius, a *Danov.* collect. *T. II. p.* 209. *sq.* (*Ien.* 778.).

§. 65.

b) Subtilitas docendi.

Docendi autem *subtilitas* est facultas, veritatem christianam, e literis s. cognitam. verbis idoneis declarandi atque doctrinarum et argumentorum delectu, et formularum usu accommodate ad diversa auditorum studia proponendi, sive ad captum imperitiorum, sive ad doctores formandos. Illa *popularis* theologia dicitur estque vel *catechetica vel homiletica;* haec *scholastica,* (acroamatica, erudita) cuius varia vario tempore forma fuit.

Obſ. 1. *Popularis*, quam vocant, theologiae, cuius et ſtudioſiſſimum videmus Servatorem noſtrum, digniſſimum inſtitutionis exemplar, et dignitatem intelligimus e coniunctione cum felicitate humana, virtutes ſint perſpicuitas, verba propria, rectus ordo, non in longum dilata concluſio, argumenta prompta et expoſita, interdum perſuadentia quoque et tenuia, et artis theologicae, ſive formularum ſive probationum inventricis, omiſſio. Mihi quidem maioris, quam vulgo creditur, artificii inſtitutio videtur ea, quae cavet ſibi a vocabulis ſcholaſticis eaque vulgaribus παραφράζει, quam ea, cuius abſtruſum et metaphyſicum dicendi genus aut novo interprete eget, aut arreptum a cupida plebe nihil praeter ſonorum ideam in animo relinquit. Sed valde errant, qui theologum popularem ſtudiis ac eruditione a ſcholaſtico differre autument eiusque notitias tenues et vulgares eſſe volunt. Nam nec rerum intelligentia certa, nec delectus aptus, nec argumentorum uſus, nec etiam ſubtilitas recte tradendi veritatem popularem ſine multo doctrinae apparatu acquiri poteſt. cf. omnino C. C. TITTMANN *de diſcimine theologiae et religionis. Witeb.* 1782.

v. G. Chr. B. MOSCHE *diſſ. inaug. de theologia populari. Goett.* 773.

Obſ. 2. Huius fere partes ſunt theologia *catechetica*, quae prima rudimenta doctrinae chriſtianae proponit: et *homiletica*, quae methodum, oratione populari tradendi religionis capita, demonſtrat.

Obſ. 3. Non offendit nos invidia vocis *ſcholaſtica*, quam ut evitarent, *acroamaticam*, *eruditam*, *academicam* alii vocare maluerunt. Nam ſcholaſtica proprie eſt, quae ſervatur ſcholis, i. e. inſtitutioni doctorum et miniſtrorum eccleſiae, atque erudite docet ſentire, iudicare, diſſerere de veritate religionis. Poſt *ſcholaſtici* doctores ii dicebantur, qui doctrinam ſacram ad leges dialecticas tractare, et ſubtilitati

litati tum definitionibus, tum vocum diſtinctionibus, tum probationibus dirigendis operam dare conſueverunt. Qua in re cum ingenii potius quam veritatis palaeſtram inſtruerent luderentque in argumento ſerio, abiectis quaeſtionibus diſquiſitione dignis, ac nugis ſuis Paulinum illud iudicium: δοκουντες σοφοι ειναι εμωρανθησαν, mererentur; mirum non eſt, invidiam nomini adhaeſiſſe, cum nimis proclives ſimus, doctorum vitia doctrinae ipſi adfigere. Diſtinguitur autem ſcholaſtica a populari primum rebus, quarum maior in illa, quam in hac, copia exſtitit: dein formulis, has enim populus aut reformidat aut non capit, eruditi autem magno fructu tenent, et adamant, vel propter dicendi compendium, vel ut ambiguitati et fallaciis anſa praecidatur clarumque fiat, quonam ſenſu populares et biblicas formulas intelligant. Atque ut ego ſemper autor exiſtam auditoribus, delere artis ſuae et ſcholarum veſtigia, dum populum puerosque inſtituere animus ſit, ſemperque annitar, ut, quomodo capita religionis populariter et caute tradenda ſint, admoneam; non tamen probaverim hoſtilem animum, quo haud ita diu bellum formulis ſcholaſticis (*der Schulſprache*) indictum fuit a G. S. STEINBART, (*Gründe für die gaenzliche Abſchaffung der Schulſprache des theol. Syſtems.* 776.) cui A. Fr. BRACKMANN (*Apologie der theol. Syſtemsſprache* 778. *Braunſchvv.* 8.) apologiam oppoſuit. Ac primum eas minime praeterire licet propter *hiſtoriam* et libros antiquos, quorum ad iudicium, interdum ne ad intelligentiam quidem ſine his formulis nemo ſe facile accingere poterit. Praeter hunc uſum, hiſtoricum, *ſyſtematicum* etiam agnoſcimus et tenemus. Omnis quidem diſciplina ſuis utitur formulis, tanquam teſſeris, quibus εσωτερικους et initiatos a peregrinis in arte et exotericis poſſis diſtinguere. Deinde philoſophos ſemper videmus

hoc iure usos, ut formularum usu et delectu a popularibus notitiis dicta sua secernerent, sive ut ambiguis ansa praecideretur, sive ut brevitati consuleretur, sive ut subtilitas veritatis, quam tradere cuperent, conservaretur. Quomodo igitur theologi, philosophos imitati, in hoc genere peccare potuere, qui cum multa alia sive argumento sive methodo traducerent e scholis philosophorum in religionis adyta, laudem insigni utilitate consecuti sunt? Sed tertius usus *polemicus* et *ecclesiasticus* non modo primarius est et certissimus, verum etiam commendabilis ac necessarius. Quodsi enim origines formularum et fata persequamur, plerasque eo consilio videmus inventas fuisse et commendatas ac propagatas, ut, exortis controversiis, ecclesiarum et doctorum hypotheses declararentur, atque latebrae haereticorum, qui post ambiguas voces occultare animi sui decreta tentarent, excuterentur, iisque velut tesseris dignosci posset orthodoxa sententia ab haeretica, doctrina publica a privatis et reprobis εννοιαις, definita veritas a vagis et insidiosis decretis. Ac profecto si res et veritas ipsa, quae formulis contineri debuit et praescribitur, non offenderet, neminem puto futurum, qui formularum usum in contemtum et invidiam haud sine acrimonia animi adducere allaboraret. Equidem aut nimis obscuras, in quibus sonum potius quam sensum intelligas, aut contrarias sacris literis, aut stabilitas adversus emortua haereticorum decreta, exulare non modo patiar lubens, sed et autor sim et suasor; at si, quod primum est, legitima definitione declarentur, si characteres sint ecclesiarum, si modum certum dogmatis finiunt, quem cum Scr. S. apte conciliare possis, iniustum erit contra eas saevire.

§. 66.

§. 66.

Methodus tradendi theologiam.

a) antiquiſſima.

Seculis quidem *prioribus* primum et praecipuum theologorum munus erat in tractandis interpretandisque libris ſacris, nec ex inſtituto atque ad legem ſcholae ſtudium in enarrandis explicandisque rebus dogmaticis collocabatur, niſi per occaſionem interpretationis Scr. S. et controverſiarum atque in apologiis. Nec ii libri, in quibus initia ſyſtematis quidam, per titulum decepti, quaeſivere, formam eruditam praeferunt.

Obſ. Omnes fere libri doctorum eccleſiae veteris (quorum tamen a noſtris diverſa ratio fuit, uni enim cuique, qui facultatem docendi haberet, ius ſcholae aperiundae concedebatur, quod patet ex *Lege VI. Cod. Theodoſ. L. XIII. tit.* 3. *de medicis profeſſoribus*, nec publicis locis docebant, ſed privatis aedibus) ad interpretationem pertinent, ſive popularem, ut ſunt *Chryſoſtomi homiliae*, ſive eruditam, e quo genere eminent *Commentarii Origenis*, quem in ſchola *catechetica Alexandrina*, ἱερων λογων διδασκαλειω, ſcripturam ſacram publice interpretatum eſſe, docet EVSEBIVS *H. E. L. VI. c.* 19. Atque haec ſchola omnium fere, quicunque in doctrinis theologicis proficere cuperent et praeparari ad munus eccleſiaſticum, confluxu celebris non alios doctores habuit, quam interpretes, ταις θειαις γραφαις συνασκουμενους (EVSEB. *H. E. L. V, c.* 11.) et literarum, poetarum, oratorum, hiſtoriarum et praeſertim philoſophorum lectione ad interpretationem S. Scr. formatos, *Pantaenum, Clementem Alex. Origenem, Pierium.* Quare

re methodum tradendae religionis Iudaicam imitati sunt. *Alii* defensores doctrinae Christianae sive adversus paganorum superstitionem et calumnias, sive contra haereticorum pravos ausus res quidem dogmaticas attingunt, sed in singulis potius dogmatis versantur, quam totius religionis campum percurrunt, ut e graecis *Irenaeus*, *Athanasius*, *Origenes*, *Basilius*, *Gregorius Nazianzenus*, e Latinis *Tertullianus*, *Cyprianus*. *Hieronymus*, *Lactantius* et, qui theologicorum dogmatum definitor praecipuus, dubito num merito suo, evasit, *Augustinus*. Hi quidem pro sua quisque ingenii facultate et temporum ac hominum controversiis singula capita tractare, scripturarum testimoniis, male saepe intellectis, adstruere, sectari formulas novas, quaestiones curiosas excudere, et philosophiae, quam didicerant, primum Platonis, post Aristotelis placita transferre in theologiam coeperunt atque autoritate potius et lenociniis verborum quam argumentis probis fidem obtinuerunt. Neque tamen inter haec studia fuit, qui congereret systema religionis Christianae, sive tironum sive doctorum in usum. CLEMENTIS *Alex*. *Paedagogus* doctrinam morum exponit, *protrepticus* veritatem rel. Chr. demonstrat, *Stromata* singula dogmata illustrant. ORIGENIS libri περι αρχων, quorum versio tantum extat latina et parum fida *Ruffini*, visi sunt principia doctrinae chr. tradere quibusdam, qui praeter indicem libri nihil legerunt. Tantum autem abest, ut *Origenes* in animo habeat exponere universam religionem, ut potius diserte moneat, se doctrinas populares ut *certam et manifestam regulam ponere* eaque quasi fundamenta et elementa religionis praetermittere, *quorum omnium ex ratione seriem quandam et corpus conficere se tentasse*, haud obscuris indiciis profitetur sub *finem prooemii*. Haec itaque initia fere sunt systematis christiani eruditorum in usus conscripti, sed tenuia. Pauca enim

enim et selecta capita pertractat, quibus ingenii et σοφιας exercendae dives materia offerebatur. Longe diversi generis superest AVGVSTINI *Enchiridion de fide et caritate*, et RVFFINI *expositio fidei*, quae *Cypriano* quoque et *Hieronymo* tribuitur, uterque liber tironibus scriptus, neque ad formam artis. Legi quoque huc referri a quibusdam CYRILLI *Hierosol. catecheses*, AMBROSII *de fide Libr. V.* AVGVSTINI *de doctrina christiana lib.* et LACTANTII *institut. divinarum LL. VII.* Sed *Cyrilli* opus homilias rectius dixeris, ad catechumenos habitas, artis haud adeo magnae et ingenii mediocris. *Ambrosius* trinitatis fidem defendit: *Augustini* utilissimus liber instituit ad theologiam rite addiscendam, nec caput religionis attingit: *Lactantius* denique veritatem divinam contra profanos errores defendit. In his tamen omnibus antiquiorum doctorum libris sparsa reperiuntur semina nascentis theologiae systematicae, cuius autores primi cum dicta veterum studiose colligerent, fieri non potuit, quin ex eo campo multi formularum et distinctionum flores argumentorumque manipuli arriperentur.

cf. C. C. TITTMANN *de theologis veterum*. p. 8. sq.

§. 67.

b) *Systematis origo.*

Prima initia universam doctrinam christianam ad formam artis tradendi a seculo demum *sexto* facta sunt per *Isidorum Hispalensem* aliosque in occidente. Maiori gloria et celebritate *Iohannes Damascenus*, orientis doctor, res in S. literis traditas ad leges scholae in corpus quoddam coëgit. Succrevit denique ratio docendae religionis *scholastica*, quam vulgo vocant, cuius ut vitia recte accusantur, ita virtutes noscere decet et commendare.

Obſ. 1. Scripſit ISIDORVS *Hiſpalenſis libros tres ſententiarum*, vel excerpta e doctorum libris compilata et per ordinem locorum theol. digeſta. Eiusdem diligentiae et argumenti ſunt LEONTII *Cyprii loci communes theologici* et TAIONIS (Saragoſſenſis) *ſententiarum libri V*, de quibus v. MABILLON *de ſtudiis monaſticis P. II. c. 6.*

Obſ. 2. *Ioh.* DAMASCENVS, qui circa annum Chr. 760. obiit, presbyteri dignitate Hieroſolymis defunctus, reliquit ἔκθεσιν ὀρθοδόξης πίστεως, quam, ut exiſtimat *Mich. le Quien*, eruditiſſimus operum Damaſcenorum editor, ſcholaſtici ad rationem libri ſententiarum Petri Lombardi quadripartiti, quatuor libris diſtinxerunt. Is quidem non iam, quae ſuperioribus laudem meruit, compilatoris diligentia ſub certos locos diſtribuit veterum doctorum ſententias, ſed magno ingenii acumine et philoſophiae peritia inſigni doctrinas chriſtianas in unum corpus coegit, interpoſito iudicio ſuo et interpretatione veterum ſcripta evolvit, antiquas formulas ac diſtinctiones, ubi aptae viderentur, ſervavit, novas ad legem ſcholae ſuae excogitavit atque ſuper dogmatibus philoſophatus theologiam in eam formam redegit, quae eruditam inſtitutionem maxime adiuvaret. Eum itaque patrem et conditorem artis theologicae agnoſcimus ac ſalutamus legendumque commendamus iis, qui ſyſtematum fortunam et mutationes varias per decem ſecula cognoſcere cupiant.

Obſ. 3. Refloreſcentibus ſub idem fere tempus per *occidentem* tum ſcripturae ſacrae tum philoſophiae, Ariſtotelicae praeprimis, ſtudiis auctoque indies monaſticarum ſcholarum, quae magnis viris regerentur et ſedes omnis doctrinae, ſive civilis ſive ſacrae, haberentur, numero ac honore, erecto *Pariſienſi* literarum omnium ſeminario, in quod et doctores celeberrimi et auditores frequentiſſimi confluerent,

rent, et cogitandi libertate, quam patrum autoritas represſerat, revocata, in novam fere formam, Ariſtotelis diſciplinae ſimilem, transmutata *theologia ſcholaſtica* dicta eſt, cuius in ſingulis capitibus *Lanfrancus* dialecticus, *Anſelmus*, metaphyſicorum anteſignanus, multum laborarunt. Primus tamen HILDEBERTVS *Cenomanenſis tractatum theologicum* compoſuit, quo tanquam exemplo aevum inſequens utebatur corporis doctrinae Chriſtianae. v. *Hiſt. literaire de la France T. VII. p.* 149. *et Hildeberti opp. Pariſ.* 1708. *fol.* Mox *Petrus* ABAELARDVS, acutiſſimus diſputator, (mortuus 1162.) *Theologiam Chriſtianam* edidit, inſertam *Chr.* MARTENE *Theſ. nov. Anecdot. Tom.* 5. p. 1139. Eodem aevo *Petrus* LOMBARDVS Italus, Pariſienſis epiſcopus, fato functus A. 1164. *libris ſententiarum IV.* ſumma theologiae capita ex patrum, praecipue Auguſtini, ſcriptis, complexus, innumeris autor et exemplum illius tractandae factus eſt, nomenque *magiſtri ſententiarum* promeruit. Lombardi primus interpres, *Alexander* ALESIVS, (qui in Pariſienſi Vniverſitate docuit et mortem 1245 obiit,) ipſe *ſummam theologicam* confecit. ALBERTVS M. et BONAVENTVRA *commentariis in LL. IV. ſentent.* et compendio inclaruere, quod ille *ſummam theologicam*, hic *breviloquium* inſcripſit. Secutus *Thomas de* AQVINO, Dominicanae familiae, Italus, ingenio ſane praeclaro novam ſectam condidit *Thomiſtarum*, vel *Summiſtarum; Summam* enim *theologicam* doctoris reverebantur. Denique *Iohannes* DVNS *Scotus*, ex ordine minorum, mortuus 1308, ſubtilis doctor ſed obſcurus in dicendo, reliquit *commentar. in Libr. ſentent.* (T. 5—10. opp. Scoti ed. *Wadding* Lugd. 1639.) et quaeſtiones *quodlibetarias* (T. 12. opp.) i. e. de quibus in utramque partem diſputari atque, *quod libet*, ſtatui poſſit, eisque originem dedit novae ſectae *ſcotiſtarum* ſeu *quodlibetariorum*

viorum. Ad *Lombardi* typum omnes plerique, quos patrum excutere scripta taedebat, lectiones et commentationes suas informarunt: *Aquinati* et *Scoto* familiae cuiusque sacrae adhaeserunt, quae posthaec domestica et publica invidia divisae contrariis studiis theologiam pro suo quaeque consilio agitabant et multas contentiones ad nostram usque aetatem alebant. Neque tamen omnes, qui insequebantur, in peius ruerunt, e quibus *Gersonem* et *Gabr. Biel* laudasse sufficiat.

Obs. 4. Horum, si verum fateamur, magistrorum laboribus tribuendum est, quod et ignorantia illorum temporum et superstitio repressa: quod libertatis egregiae exemplaria conservata: quod episcoporum et conciliorum tyrannis imminuta, genera in suas partes distributa, errores refutati, atque ad rectiorem de illis sententiam via parata, quod denique doctores publici bonis artibus facili methodo innutriti fuerint. Vitiorum autem, quae scholasticis parum abest, quin infamiam contraxerint, ut magnus numerus, ita non omnium difficilis excusatio est. Scripturarum neglectum cum honore Aristotelis, horridum obscurumque dicendi genus, quaestiones spinosas et frivolas recte accusaveris: sed ea vix scholasticorum, verum temporis vitia sunt. Namque vix aliquem scripturarum autoritati locum a seculo inde sexto relinqui, quis non intelligit? Vocibus barbaris utinam scholasticorum tantum scripta complerentur nec eorum quoque, qui horum vel duces et praecursores vel posteri ac criminatores fuere! Nec omnes argutiis et ludicris quaestionibus, distinctionibus parum frugiferis, problematisque difficilibus obscurare scripta sua videmus. *Prima* quidem *aetas* a Lombardo ad *Albertum M.* minime negligens reperitur scripturae s. et traditionis, sed perquam studiosa, ad leges dialecticas conquirendi testimonia literarum s. et doctorum,

re-

removendi dubitationes et componendi ἐναντιοφανίας quae ſaepe exercent et concutiunt tironum fidem. Equidem qui aliquando ipſe horrui *Lombardi*, *Alberti M. Aquinatis*, *Bonaventurae* nomen barbariemque, poſtquam perluſtrare coepiſſem barbariei, quam vituperant, ſcholaſticae ſedem, in longe aliam opinionem deductus, eruditionem, ſubtilitatem, ambigua diſcernendi ſtudium, argumentorum copiam et perſpicuitatem atque tractationis ordinem ſaepius admiratus atque eos autores *magnorum et ingenioſorum hominum* elogio, quo a *Melanchthone* in *Apologia Conf. Aug. Art. de iuſtif.* ornantur, per iniuriam defraudari perſuaſus fui. *Sequioris* autem *aetatis* barbariem, quae interpretationem S. literarum, ſubtilitatem, doctrinam certam abiecit, ut Ariſtotelem in ipſa theologiae penetralia receptum, ſpinoſitatem et dubitatiunculas perſequeretur, nec iam utilia tradere ſed captioſa, nec illuſtrare doctrinam ſacram ſed tenebris opprimere coepit, nemo unquam arbiter aequitatis amans, a theologia ſcholaſtica, modeſta illa et acuta, repetet. Omnis quidem diſciplina, in qua artis quoddam exercitium cernitur, cum quidam vires ſuas exhauſerint, aliorum ſtudiis corrumpitur atque recta olim ac laudata in peius ruit, ubi maioris vel ſubtilitatis vel elegantiarum vel novitatis laudes et commendationes quaeruntur.

vide *Iac.* THOMASIVS *de origine theol. ſcholaſticae. Lamb.* DANAEVS proleg. *in L. I. ſentent. Lombardi in opuſc.* eius *theol.* 1583. *fol. Genev. A.* TRIBBECHOVIVS *de doctoribus ſcholaſticis et corrupta per eos divinarum humanarumque rerum ſcientia Gieſ.* 1665. (ed. *Heumann.* 718) GERBERT *de recto et perverſo uſu theol. ſcholaſticae.* 768. *Io. Fr.* BVDDEVS *Iſagoge hiſtorico theol. ad theolog. univ. L. II. Cap.* 1. *I. S.* SEMLER *Prolegomena ad Baumgart. Theol. Dogm. inpr. T. III. Hiſtoire liter. de la France*

Tom

Tom. VII. p. 146. *sq. IX p.* 205 sq. *Ell. du* PIN *meth. studii theol. c.* 2. *p.* 15—27.

§. 68.

c) Post reformationem. α) Sect. XVI.

Laetior post has tenebras lux theologiae dogmaticae affulsit seculo decimo sexto, cum alii, viri gravissimi, *Melanchthon* maxime, *Chemnitius* et *Calvinus*, barbariem scholasticam impugnarent et debellarent, alii corruptam nugis et subtilitatibus, nedum erroribus plurimis doctrinam ad puritatem ac simplicitatem revocarent.

Obs. 1. Insignia *Reuchlini* et *Erasmi* merita atque exempla viam quasi straverunt disciplinae meliori et liberiori. Ille graecarum et hebraicarum literarum per Germaniam restaurator, hic elegantioris eruditionis autor ac interpres praestantissimus, uterque vanitatis scholasticae hostis acerrimus, obscuram illam dialecticam profligavit atque novis, ductis e S. literarum apparatu, argumentis depugnavit contra vitia doctrinae et doctorum, variamque materiam succidendi sylvas tricarum et quaestionum scholasticarum congessit. Neque alia *Lutheri* merita extant, nisi bella adversus futilitates sophistarum, singulorum dogmatum repurgatio et revocatum, definiendae e literis sacris veritatis, studium.

Obs. 2. His ducibus primus omnium e nostratibus *Philippus* MELANCHTHON, bonarum literarum praeceptor facile princeps, *locos communes rerum theologicarum* seu *hypotyposes theologicas* (*Witt.* 521. 535. 543.) vulgavit, in quibus loca Scripturarum firma et perspicua de singulis articulis doctrinae chr. ordine distributa collegit ad usum domesticum magis et privatum, quam publicum et scholasticum,

ut

ut ait, cuius libri utilissimi fortunas et pretium libro lectu dignissimo G. Th. STROBEL V. C. in *Versuch einer Litterargeschichte von Ph. Mel. LL. theol. als dem ersten Evangelischen Lehrbuch* (Altd. und Nbg. 776.) exposuit. Secuti sunt magistrum egregium MART. CHEMNITIVS in *locis theol.* (*Frf.* 591. 4. *ed. noviss.* 690. *Witt. fol.*) *Victorinus* STRIGELIVS *LL. theol.* (*Neap. Nemet.* 581 *sq.*) et alii. Eadem laude dignus prae ceteris I. CALVINVS *institutiones religionis christianae* composuit (535. 559. *Genev. fol.*), a quovis arbitro aequo et erudito summo semper pretio habitas, quarum historiam enarrat *Dan.* GERDES. *Scrin. antiquar. T. II. P. I. p.* 451. 750. 4. *Groening.* In his omnibus sive rerum selectum et argumentorum, sive sobrium iudicium, sive perspicuum et purum dicendi genus spectes, quantum a veteri disciplina et quam felici successu defecerint, multa virorum cum laude agnosces.

v. BVDDEVS l. c. et SEMLER l. c. *Tom.* II. et praecipue III.

§. 69.

β) *Sec. XVII. et XVIII.*

Ingens ab eo tempore increvit autorum numerus, qui studiis, consiliis et arte diversa variaque methodo veritatis christianae doctrinam instruerent. Nos quidem ex infinita copia paucos, qui honorem meruere, habita religionis, quam quisque profitetur, ratione seligemus.

Obs. 1. *Nostri* proscriptam primum a Luthero et Melanchthone methodum scholasticam postliminio revocarunt, cum invidiosi quidam homines *Melanchthonis* modestiam accu-

accusare coepissent, aliique, acres in disputationibus, sese impares sentirent retundendis *Iesuitarum* maxime technis et distinctionibus sophisticis. Itaque toti sese ad scholarum et *formulae*, quam *concordiae* vocant, ingenium composuerunt atque ab eo tempore mirari satis non possumus, quanta constantia eundem docendi modum, idemque argumentum quasi sacrum sequantur, quanta paucitas eorum, qui ab ea traditione deficere, vitia superiorum seculorum sensim perita manu et cauta abstergere, explorare ingenue dicta theologorum et secernere, augere notitias christianas et liberius sentire auderent, absterriti iris et saevo imperio tyrannorum sacrorum, quibus novitas omnis suspecta semper fuit et ingenui conatus, ulterius emendandi theologiam, saevitiarum in ipsam religionem nomine atro perstringuntur. *Duplex* inde systematum *classis* exoritur: *altera* eorum, qui *antiquae*, quam laudant, *fidei* adhaererent, *altera novatorum*. Ex *illa* in honore fuere,

L. HVTTERI *Loci communes* 619. et compendium a GLASSIO et BECHMANNO illustratum.

I. GERHARDI *Loci theologici*, (polemici et historici potissimum argumenti) 610—22. Tomis IX. quos nostra aetate utilissimis adnotationibus auctos repetiit *I. Fr.* COTTA Tub. 762. sq. Tomis XX.

Abr. CALOV *Systema locorum theologiae* 655. *Tomis XII.* 4.

I. A. QVENSTEDT *theologia didactico-polemica* 685.

Dav. HOLLAZ *Examen theologicum* 4. ed. *Rom.* TELLER. 760. *Holmiae.*

I. Fr. BVDDEVS *institutiones theol. dogmaticae* 723. 4.

Iac. Sigism. BAVMGARTEN *Evangelische Glaubenslehre. Hal. Tomis III.* 759. *sq.* 4.

H. IV.

H. W. CLEMM *vollstaendige Einleitung in die Religion. und gesamte Theologie Tomis VII. Tub.* 761 *sq.* 4.

I. G. TOELLNER *System der dogmat. Theol. T. II. Norib.* 775. opus posthumum et vix huic autori probatum.

Singulari methodo usi sunt, alter demonstrativa, alter, illa quidem meliore, biblica

Iac. CARPOV *theol. revelata dogm. methodo scientifica adornata. Tom. III Ien.* 737. 49. T. IV. *Rudolst.* 765. 4.

G. T. ZACHARIAE *biblische Theologie. Tomi IV. Goett. et Kiel.* 771. sq. 8.

Compendiorum rationem habent:

HAFENREFFERI *loci theologici. Tub.* 606.

HEERBRANDI *compend. theol.* 573.

I. Fr. KOENIG *theol. positivo - acroamatica.* 664. in quam *I.* MVSAEVS commentatus est, *I. Guil.* BAIERVM in *compendio theologiae* (686. ed. prima) epitomatorem nactus, qui et ipse interpretes multos praeclarosque, inprimis *I. P.* REVSCHIVM *Ien.* 757. habuit.

I. G. NEVMANNI *aphorismi theol. saepe recusi.*

C. M. PFAFF *Instit. theol. dogmaticae et moral. Frf. ad Moen.* 721. 8.

I. F. BVRG. *inst. theol. theticae, Vratisl.* 746. 8.

I. B. CARPZOV *liber doctrinalis th. pur. Brunov.* 767.

C. F. SARTORII *comp. th. dogm.* Tub. 777. edit. noviss.

I. L. MOSHEIM *elem. theol. dogm. edit. noviss. Norib.* 781.

Chr. Guil. Fr. WALCH *Breviarium theol. dogm. Goett.* 775.

G. Fr. SEILER *theologia dogmatico - polemica.* Ed. 2. *Erlang* 780.

Nic. Eding. BALLE *theses theologicae cum observationibus et corollariis. Lips.* 776.

Ex *hac* notantur: praeter CALIXTORVM ſcripta varia, e quibus *Epitome theol.* Helmſt. 1661. prodiit,

I. D. MICHAELIS *Compend. theol. dogmaticae. Goett.* 760.

I. D. HEILMANNI *Compend. theol. dogm. Goett.* 761. *Danovii* cura repetitum et auctum h. t.

E. I. DANOV. *theol. dogmaticae inſtitutio. Ien.* 773. *ſq.*

G. A. TELLER *Lehrbuch des chr. Glaubens. Helmſt. und Halle.* 764.

C. F. BAHRD *Verſuch eines bibliſchen Syſtems der Dogmatik. Goth.* 769 *ſq.*

I. S. SEMLER *inſtitutio ad doctrinam Chr. liberaliter diſcendam. Hal.* 774.

I. Fr. GRVNER *Praktiſche Einleitung in die Religion, Hal.* 773. *et inſtitutiones theol. dogm.* ib. 777.

G. LESS *chriſtliche Religions-Theorie Goett.* 780. Edit. 2. quorum virtutes vel naevos non eſt vel loci huius vel tenuitatis noſtrae, velle definire.

Obſ. 2. Qui *reformatorum* ſacra ſequuntur eandem fere ac noſtri methodum tenuere: *ſimplicem* primum

Bened. ARETIVS *Theol. problemata. Genev.* 589. *fol.*

Ger. MVSCVLVS *Loci theologici. Baſil.* 599 *fol.*

Andr. HYPERIVS *methodi theol. L. III. Baſ.* 567.

POLANVS *a Polansdorf, Syntagma theol. chriſt. Tom. II.* 4 *Hanov.* 610.

poſt *ſcholaſticam:*

I. MACCOVIVS, *Polon. Loci communes theol. Franeq.* 650. 4.

Belgis methodus *foederalis* et *Carteſiana* diſciplina, autore Cocceio, repugnante *Voetio*, placuit:

I. COCCEII *ſumma doctrinae de foedere et teſtamentis Dei.* 648.

Fr.

Fr. BVRMANNVS *synopsis theologiae et speciatim oeconomiae foederum Dei etc. Vltrai* 671.

H WITSII *de oeconomia foederum Dei cum hominibus. Trai. ad Rh.* 694.

Aliis methodus *oeconomica*, quo referimus

Melch. LEYDEKKER *de oeconomia trium personarum in negotio salutis Vltrai.* 682.

Nic. CVRTLER *instit. theol. Amst.* 694. *Marb*, 732.

Wolfiana methodo edidit:

D. WYTTENBACH *tentamen theol. dogmaticae methodo scientifica pertractatae Tomis III. Bern.* 741. *Frf.* 747. et *Sciagraphia theol. didacticae, Marb.* 768.

Biblicae theologiae ideam sequitur

Em. L. VRIEMOET *ad dicta classica V. T. annotationes Franeq.* 743 - 58.

I. STAPFER *theologia analytica. Bern.* 763. et Grundlegung zur wahren Religion Zürch. 746. sq. Tomi XII.

Alii laudantur: *I. H.* HEIDEGGER Corpus theol. Christianae. Tiguri 1700. STACKHOVSE *Lehrbegriff der ganzen christl. Religion. Tomi VII. Lond.* 753. *germ.* ed. F. E. RAMBACH *Rost.* 755.

R. BAXTER *methodus theol. Chr. Lond. fol.* 681.

FIDDES *Body of Divinity. Lond.* T. II. fol. 720.

E recentissimis laudantur *Sam.* ENDEMANNI *instit. theol. dogmat. Hanov.* 777. et Compendium theol. dogm. 782.

S. MVRSINNA *comp. theol. dogm. Hal.* 777.

E. H. D. STOSCH *Inst. th. dogm. Frf. ad Viadr.* 779.

Insigni cum laude interpretationis et simplicitatis in tradenda religione versantur *Arminianorum* principes:

Sim. EPISCOPIVS *Instit. theol. LL. IV.* opus posthumum et imperfectum. (Opp. 650. fol.)

Steph. CVRCELLAEVS *instit. religionis Chr. Lugd. B.* 678. itidem imperfectum.

Phil. a LIMBORCH *theologia christiana. Amstelod.* 688. 4. cuius *spicilegium Adr.* a CATTENBVRGH *Amstel.* 729. *fol.* orbi erudito communicavit.

Obs. 3. Neque ecclesiae *Romanae* theologi sibi defuerunt, quorum tamen in libris scholasticae theologiae reliquiae patrumque et conciliorum autoritas frugiferam eruditionem impediunt. Sunt tamen, quos nolim laude sua penitus privari.

Greg. de VALENTIA *Com. in Summam Th. Aquin. Paris.* 1639. *T. IV. f.*

Mart. BECANI theol. SCHOLASTICA T. I. opp. Mog. 1649.

Nat. ALEXANDER *Theol. dogmat. et moralis secundum ordinem Catechismi Concil. Trid. Col.* 698. *Venet.* 744. *T. II. f.*

Collegii Salmanticensis PP. Carmelitarum Cursus theologico scholasticus, T. X. Venet. 677.

Iac. B. BOSSVET *Exposition de la Foi catholique. Paris.* 672.

I. Laur. BERTI *de disciplinis theologicis. Bamb.* 773 *sq.*

Dan. CONCINA *theol. christ. dogmatico-moralis. Aug. Vind.* 762.

P. M. GAZZANIGA *theol. dogm. in systema redactae Pars prior. Pars posterior Iosephi* BERTIERI. *Vienn.* 776.

Ier. Ren. BILLVART *summa S. Thomae hodiernis academiarum moribus accommodata s. Cursus theol. Witeb.* 758 *sq. T. XIX.* et *summa S. Thomae s. compendium theol. T. VI. Gandav.* 763.

P. COLLET *Instit. theol. scholast. s. theol. speculativa T. II. Lugd.* 768.

Ben. STATTLER *theol. theoreticae tract. I-IV. Eustad.* 781.

Maiore

Maiore delectu usus est *Domin.* SCHRAMM *Compend.* theol. dogmaticae. Aug. Vind. 781.

Praecipuam laudem merentur *Steph.* WIEST *institutiones theologicae.* T. I. *Eustad.* 782.

Obs. 4. *Graecorum* unicum tantum systema notum est: *Theoph.* PROCOPOWICZ *christianae orthodoxae theologiae* T. V. *Regiom.* 773 *sq.*

vide *I. Fr.* COTTA *de varia theologiam praesertim dogmaticam tradendi ratione. Tub.* 760. SEMLER l. c.

§. 70.

Virtutes systematis christiani habentur: in dicendo subtilitas et perspicuitas, interpretationis veritas, rerum naturalis ordo. Quaenam autem sive *virtutes theologi* sive *subsidia* sint e dictis §. 63—67. patet.

v. *I. A.* NOESSELT *Anvveisung zur Kenntniss der besten Bücher in allen Theilen der Theologie. Ed.* 2. §. 202. Lips. 780.

Commendari merentur: *I. A.* HYPERIVS *de recte formando theologiae studio LL. IV. Basil.* 556. G. CALIXTI *apparat. theol.* Helmst 661. *L. E.* DVPIN *methodus studii theologici recte instituendi. Aug. Vind.* 1722.

LIBRI PRIMI INSTITVTIONVM THEOLOGI CHRISTIANI

CAPVT PRIMVM. DE DEO.

§. 71.

Summa loci.

In notitiis Christianis primum merito locum occupat doctrina de Deo uno et vero *Ioh.* 17, 3. *Ebr.* 11, 6 eiusque maiestate et beneficiis, sine quibus ne religio quidem existit (§. 1). Eae *tribus* omnino capitibus absolvuntur: *primo*, ut intelligamus *existere Deum unum; altero*, ut *maiestatem* seu attributa divina, quantum licet per animi humani imbecillitatem, cognoscamus, sive e rationis principiis sive e sacris literis; *denique*, ut de *trinitate in Deo* disquiramus, quid religionis Christianae autores tradiderint.

Obs. 1. Doctrinam de Deo veteres κατ' ἐξοχὴν *Theologiam* dixere. vide §. 62. Obs. 1. p. 190.

Obs. 2. De loco *Ioh.* 17, 3. supra diximus, qui, quantum impietatem cultus idolorum abhorrere deceat Christianum, clare docet. Consentit *Paulus*: *Quicunque ad Deum venire*, id est, colere numen supremum *animo studet*, *is credat oportet*, *existere Deum.* Simul patet, tractari articulum

culum religionis grauissimum, vel ob dignitatem obiecti; vel ob nexum cum religione ipsa cultuque diuino.

SECTIO PRIMA.

DE NOTIONE ET EXISTENTIA DEI VNIVS.

§. 72.

Notio Dei.

Deum (אלוה, אל, θεον) nobis tum natura tum sacra scriptura *Es.* 45, 8. *Act.* 14, 15. *Ps.* 146, 6. describit rerum omnium, quae existunt, creatorem et rectorem, in qua *definitione*, ut populari atque ad gignendum timorem et reverentiam aptissima, nos quoque subsistimus.

Obs. 1. Relinquamus scholasticis ieiunas et parum salubres disputationes, *utrum Deus definiri queat?* Quis enim sanus dubitet, quin et liceat er oporteat tenere ideam quandam numinis in animo, nisi quis inanes verborum sonos persequi malit? Male quidem diuinae maiestati respondet, quod nobis videtur absolutissimum, neque ullum ingenium assequi valet et paucis verbis amplecti immensitatem; at nec ea necessaria definitionis virtus est, ut essentiam rei definitae exprimat, sed ut doceat rem a reliquis omnibus facile et indubitato discernere.

Obs. 2. Definitiones aliae, quae e scholis ad institutionem popularem, nescio an commode satis, transierunt, nos haud morantur, e quibus celebratissimae sunt: *Deus est ens perfectissimum, independens, infinitum, necessarium, aeternum* et similes. Namque ut ego digniorem magisque foecundam hac notionem Dei vix reperiri posse persuadear, ea tamen

ad ſcientiae potius leges et eruditorum ingenium probabilis, quam ad rudiorum inſtitutionem et captum accommodata videtur. Praeterea vix dubito, quin ſublimior ille conceptus ex illo, quem finivimus, velut e fonte omnium notitiarum de *Deo* profluat. Prius enim cogitatur creator mundi, quam ens, quod ab alio non pendet: neque, niſi in ampliſſimo mundi theatro decus tam inſigne obverſaretur, perfectionum omnium exemplar Deum crederemus.

Obſ. 3. Magna definitioni noſtrae commendatio accedit ab autoritate ſacrorum autorum, qui, cum ideam numinis menti obiiciunt, omiſſis notionibus, quae vel quia ſunt compoſitae nimis et ſublimes, vel a rebus ſenſibilibus nimis nos avocant, difficiles intellectu et frigidae videntur, non alium Deum, quam creatorem et gubernatorem rerum omnium deſcribunt. Ab hac idea Moſes inſtitutionem auſpicatur *Gen.* I, 1. et *Paulus* Evangelii praeco *Act.* 17, 24. Illuſtre tamen prae ceteris *Eſaiae* ſtudium eandem Dei ideam efformat et offert. *Cap.* 45, 6. *Oriens*, inquit divino nomine, *et occidens cognoſcent, praeter me nullum eſſe Deum, me Iehovam Deum eſſe, me lucis ac tenebrarum, me rerum ſecundarum et adverſarum autorem, me Iehovam omnia perficere:* et comm. 12. *Ego terram produxi hominesque creavi, vi mea coelum pando aſtraque coeleſtia rego.* Clariſſimum addit *v.* 18. teſtimonium: *Sic Iehova declarat: coeli conditor Deus eſt, qui terram produxit et condidit, non ut vacua ſit ſed ut habitabilis, Deus eſt.* cf. etiam *Eſ.* 42, 5. *Amos* 5, 8. 9, 6. et inprimis *Pſ.* 96, 5. ac 146, 6. Neque id mirum cuiquam videbitur, hoc praecipue charactere Deum deſcribi. Quidquid enim de Deo intelligimus, credimus, laudamus, id omne nititur relatione numinis ad res creatas. Quodſi denique notitia Dei huc valere debet, ut ad reverentiam nos inſtituat utque ea duce et magiſtra omne bonum ab

illo

illo petere et illi acceptum ferre discamus: quomodo non ea potissimum idea proponatur, ut, quoties mentem nostram cogitatio subit Dei, extemplo cogitemus, nos eius imperio addictos esse et mancipatos atque omnia ad eum referre debere?

Obs. 4. Voces, quibus Dei sive veri sive fictitii notio subiacet, apud *hebraeos* occurrunt 1) אלוה *ens omni cultu prosequendum*, ex Arabico אלה *coluit*, unde magistratus, legati divini et alii, quibus vel honorem deferre decet, vel cultum impium quoque praestare solent homines, eodem elogio ornantur. *Ps.* 82, 6. *Exod.* 7, 1. *Ps.* 97, 7. *Exod.* 22, 10. 1 *Reg.* 18, 24. Haud differt vox אלהים forma plurali, quam saepe hebraei ad denotandam magnitudinem et excellentiam ponunt, observante GLASSIO *Philol. S. L. I. tr.* 1. *can.* 24. *p.* 58. *Dathii* cf. VRIEMOET *ad dicta classica V. T. T. I. p.* 121. 2) אל ισχυρος a *vi* divina et potentia, qua pollere creduntur Dii, sive putativa *Es.* 44, 10. sive vera *Ps.* 50, 1. 3) אדון, δεσποτης, κυριος, *Dominus*, quod nomen est dignitatis et honoris *Num.* 32, 25. 27. 2 *Reg.* 2, 3. *Ps.* 136, 3. Sed אדני nonnisi Dei veri nomen habetur. Apud *Graecos* N. T. scriptores vocibus θεος et κυριος Dei notio subiecta est, quarum de etymologia nec inter veteres constat, usus autem semper eam vim habet vel apud profanos, ut rectorem rerum humanarum designent.

§. 73.

Existentia Dei.

Esse Deum, rerum omnium creatorem, literae quidem sacrae non demonstrant, sed ut ratum supponunt, rationis autem principiis efficitur

ficitur ex intuitu huius universi. Reliqua argumenta vel a priori, ex idea entis perfectissimi, vel e notitia insita vel e gentium consensu minus popularia, nedum minus probabilia videntur.

Obs. 1. Dubitatum olim, meliusne sit, Deum esse aliquem probare, quam de eo ne dubitare quidem? (apud PETAV. *dogm. th. L. I. c.* 1. §. 1. *p.* 30.): quin e nostris quidam cum BAIERO *comp. theol. Art.* 1. §. 4. eo progredi temere ausi sunt, ut *doctrinam de existentia Dei inter christianos supponi magis, quam probari debere*, censerent. Sed fides eiusmodi, quae sine ratione credit et opinionibus magis quam persuasionibus regitur, indigna homine Christiano atque valde periculosa videtur. Quoties enim aliqui in tentationibus eo perducuntur, ut num Deus aliquis sit addubitent? Igitur necesse est, omnium, qui ad salutem adspirant, animos tum fide tum cognitione hac ante omnia esse imbutos, ut Deum esse certo statuant.

Obs. 2. Si quis omnem numinis ideam et de eius existentia sensum a revelatione primum ad homines devenisse statuat, equidem haud valde refragari velim vel repugnare iis, qui eos sine admonitu divino ignaros numinis vel omnino vel diutius victuros fuisse contendunt. Enimvero tardius a rebus sensibilibus ad intelligibilia progressum facit mens humana, nec nisi per longam multorum annorum experientiam et culturam eo adducitur, ut rerum, quae oculis obversantur, autorem aliquem intelligat, atque a sensu perfectionum suarum pergat ad ideam entis, quod plures numero, maiores gradu amplectatur. Dignus qui conferatur liber *I. G.* ZIERLEIN *Briefe über die Frage: Saget denn die Vernunft in der That so viel von Gott und seinen Eigenschaften als die Bibel. Berlin.* 781. et *Christoph.* MEINERS *hist. doctrinae*

ctrinae de Deo vero. (Lemgo 780.) P. I. Sect. I. Itaque Paulus sine dubio existentiam numinis *fide* intelligi asseruit *Ebr.* 11, 1. 6.

Obs. 3. Cognitio autem, qua Deum esse mens iam potest intelligere atque percipere, obtingit e rerum, quae existunt, contemplatione. *Duplex* autem in genere argumenti modus constituitur, *sive* cum e *contingentia rerum universarum*, sive cum ex *dispositione mundi* deducitur. *Prioris* ratio haec est: Conspicitur in mundo motus perpetuus, oriuntur res et intereunt, augentur, minuuntur, et perpetuis vicissitudinibus alternant. In his itaque rebus nulla existendi necessitas intelligitur, quum novae sint nec eodem statu perennent. Omne autem, quod ab alio pendet, movetur, producitur, contingens esse, necesse est. A tam multis vero, quae moventur ab invicem, oportet tandem progredi ad aliquod primum movens, a quo omnia trahunt initium et quod ipsum non pendet ab alia causa. Namque aut nulla rerum universarum causa existit, hoc vero esset effectum illustrissimum sine causa somniare: aut mundus sui ipsius productor dicendus erit, sed quis, nisi mente deturbatus, ortum rei cuiuspiam a re ipsa repetet? aut ad naturam plane singularem atque a rebus reliquis secretam refugiendum erit, in qua rerum catena finit tandem subsistitque ingenium tanquam in causa prima, id est, creatore, Deo. Sic IOH. DAMASC. *de F. O. L. I. c.* 3. *Posterior*, qua uti possint, qui cupiunt rudiores animos aliquando docere evincereque, quod Deus sit, his fere observationibus perficitur. Si quis animo contempletur mundi universi vastam atque amplam machinam, tum partes eius, miro ordine distinctas, hinc partium singularum magnificentiam, ornatum, varietatem, in coelo multiplices orbes et sidera, quae certis legibus perpetuo circumeunt, diversam aqua-

aquarum indolem, infinitas animantium formas, humani corporis ſtructuram, formam, uſum, affectiones ſingularum partium: haec, inquam, qui intuetur, non poteſt non iudicare, unum aliquem ſupremum eſſe, qui ea condiderit, diſtinxerit, exornarit. Quodſi quis caſu fortuito haec omnia inſtrui, diſponi, ornari ſibi perſuadeat, ecquid tandem caſum dicamus niſi inane ignoratae cauſae nomen? vel quomodo cogitemus res viſibiles, in quibus leges conſtantes obſervamus admiramurque ratum ordinem, caſu ferri, qui ſemper confuſionis autor eſt nullisque legibus adſtringitur. Haec ratio demonſtrandi Numinis exiſtentiam attingitur ab *Eſaia* 40, 21. *nonne intellexiſtis, nonne audiiſtis, nonne a mundi origine innotuit vobis, nonne ex orbe condito cognoviſtis, eſſe, qui orbi terrarum praeſidet tellurisque incolas velut locuſtas conſiderat* (vide *Num.* 13, 13.) *qui coelum aulaei inſtar expandit et velut tentorium extendit?* vide et *Act.* 14, 15 ſq. et 17, 24. In hanc rationem CICERO (*de nat. deorum c.* 2.) *Quid*, inquit, *poteſt eſſe tam apertum tamque perſpicuum, cum coelum ſuſpeximus coeleſtiaque contemplati ſumus, quam eſſe aliquod numen praeſtantiſſimae mentis, quo haec regantur?* et ſ. p. Similiter PHILO de *monarchia p. m.* 815. Αει γνωρισματα των δημιουργων πεφυκε πως ειναι τα δημιουργηθεντα. τις γαρ ανδριαντας ἢ γραφας θεασαμενος ουκ ευθυς ενοησεν ανδριαντοποιον ἢ ζωγραφον; — τον ουν αφικομενον εις την μεγαλοπολιν τον κοσμον και θεασαμενον γην ὀρεινην — — ουχ ἐικοτως, μαλλον δε αναγκαιως εννοιαν ληψεσθαι δει του πατρος και ποιητου και προσετι ἡγεμονος; Eadem demonſtratione utuntur doctores Chriſtiani. *Autor quaeſtionum ad Graecos*, qui *Iuſtinus* falſo habetur *quaeſt.* 3. ποθεν δηλον, ει ὁλως εςι θεος; Εκ της των οντων συςασεως τε και διαμονης. GREGOR. *Nazianz.*

Orat.

Orat. 34. p. 539. inprimis ATHANASIVS *contra Gentes*, et I. DAMASCENVS *de f. O. L. I. c.* 3.

Obs. 4. Ex *idea entis perfectissimi* scholastici, *Anselmo* praesertim autore, (in l. *prosologium T. III. opp. Col.* 560. p. 24 sq.) existentiam Dei demonstrare annisi sunt, probante *Ren. Cartesio* (Epp. P. I. ep. 115.) *Leibnitio*, *Wolfio* et *Baumgarteniis*, in *theologiae naturalis institutione*, quum absurdum fere sit cogitare ens omnibus perfectionibus excellens, vita autem, quae omnium perfectionum quasi complementum habetur, destitutum. Sed demonstratio, ut acute vidit HEILMANNVS (*Comp. theol.* §. 39.) *in hoc maxime vacillare videtur, quod in ea conclusione existentia tanquam aliqua ex singulari genere perfectio opinionis errore fingatur, quae si ex vero aestimatur, non sit nisi definita quaedam ceterarum omnium ratio et modus.* Pergit: *Qua observatione posita vereor, ne claudicare videatur illa conclusio: si omnes perfectiones ut possibiles una cogitare possum, omnes etiam continuo ut existentes una cogitare debeo.* Habet tamen aliquam vim, si concludamus: *Ens perfectissimum aut nunquam existere potest, aut necessario existit. Ex quibus si illud absurdum est cogitare, hoc profecto tenendum est. Nam si incipiat aliquando existere et quasi emergere, non iam erit propter hoc ipsum* coepisse *perfectissimum.* Ceterum scholis apta demonstratio vix ingenio populari arridebit.

Obs. 5. Quendam inesse humanae menti, et quidem naturali instinctu, divinitatis sensum, nulla ratione efficitur, satisque refellitur tum exemplis eorum, in quibus, cum institutione humana carerent, nulla huius cognitionis vestigia vel umbrae apparuerunt, tum reliquis argumentis, quibus insitae notitiae et idearum hominibus adnatarum error profligatur, inprimis a *Lockio* (*de intell. hum. L. I. c.* 2. 3. 4.): hoc tamen constat, vehementissimam istam esse de

numine

numine impressionem, quae sese facile demittat in animum altiusque, ubi doceatur esse Deum, insinuet, adeoque ex hominis mente obliterari nequeat, ut facilius sit naturae adfectum frangi. Cuius rei causa non alia probabilis videtur, quam sensus communis, quo semper effectus ad causas suas referimus. cf. EBERHARD *Apologie des Socrates* (*Berol.* 778) P. *II.* 468 *sqq.* Neque *Cartesius*, ut quidam voluere, hoc argumento usus est: nam ille insitam numinis ideam non alio sensu defendit, quam hoc: eam ex animo oriri, et efformari sine sensuum adiutorio. Recte quidem.

Obs. 6. Sed quam proclive sit humanum genus ad fidem divinitatis, quam tenax alicuius Dei notionis, docet generis humani in agnoscenda divinitate consensus. Nulla quidem, ut *Cicero* (*de nat. deor. c.* 2.) ait, *est tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non insideat persuasio Deum esse.* Platonicus quoque philosophus, *Maximus Tyrius* (*diss.* 1.) *mortales tum politos tum barbaros, miratur, cum tantum moribus, institutis, deorum formis et appellationibus diffideant, unam tamen et communem legem ac sermonem habere, esse Deum* (εν τοσουτω δε πολεμω — ἑνα ιδοις αν εν παση γη ὁμοφωνον νομον και λογον, ὁτι θεος ἑις παντων βασιλευς και πατηρ) Eadem fuit sententia *Senecae* ep. 117. *Veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri, tanquam Deos esse, quod omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque proiecta, ut non aliquos deos credat.* Neque adhuc post tot itinera, per universum fére, qua patet, orbem instituta, detectasque novas regiones, ignotarumque nationum decreta ac instituta, ulla gens innotuit, quae non quoddam religionis et numinis semen retineat: adeo omnium animos ista occupavit praesumtio. (v. *I. Lud.* FABRICIVS *apologeticon pro genere humano contra atheismi* ca-

calumniam, Heidelb. 672. 4.) Iam si in caussas huius persuasionis indagemus, dignus vindice nodus videri possit, eccur gentes coelo, arte, ingenio dissitae consentiant in ideam rei. quae minime sensibus subiicitur, sed intellectui tantum patet, et non corpus sed animum adficit? Qua in re, si ad notitias insitas non ausimus refugere (Obs. 4.), restat, ut cognoscamus, moneri per naturam homines, ut cum terrae amplitudinem, decus, beneficia coram intueantur atque in admirationem atque stuporem acti fortuito ea omnia evenire non posse intelligant, revertantur ad autorem aliquem caussamque primam, quam Deum nuncupant ac venerantur.

Obs. 7. Disceptatum olim, *num dentur athei theoretici, proprie sic dicti*, i. e. homines vel populi, qui non factis tantum (velut illi, quos vates *Ps.* 14, redarguit) sed dictis quoque et animo negarent, Deum existere. Verum licet facile largiamur, vix ullo tempore extitisse homines, qui nullum unquam supremi numinis sensum habuerint et conceptum, et nimis cupide catalogum Atheorum veterum a *Io. Fr. Buddeo* augeri; certum tamen est tristique experientia, nostri quoque aevi, comprobatur, non defuisse, qui vel fingi Deum blasphema audacia statuerent, e quibus inter profanos *Diagoras* notatur, nuper impudentissimus autor libri *Systeme de la Nature* principem locum tenet; vel Dei existentiam vocarent in dubium, (Athei *sceptici*) velut *Sextus Empiricus*, ac fere HVMIVS *Versuche über die menschl. Erkennt.* II. *Versuch. p.* 325 sq.; vel ita de Deo sentirent ac docerent, ut veram Numinis notionem subruant atque ad negandam divinitatem omnem viam pandant. Horum *quatuor* fere classes constituunt et systemata, *Aristotelicum*, *Stoicum*, *Epicureum*, *Eleaticum* vel *Spinosisticum*, quibus fere communis (praeter *Epicurum*, qui providentiam tantum negat) error placet *Pantheismi*, i. e. opinio, quae

quae Deum a mundo non discernit, sed substantiam infinitam ac aeternam vel το παν vel animam mundi esse iubet; v. *Iac.* BRVCKER *historia critica philosophiae T. I. p.* 832. 937 sq. SPINOZA *opp. posthum.* qui fautores nactus est *Fr. v. Leenhof*, (*Himmel auf Erden*) *Boulainvillierum*, *Psseranium* Comitem, et, si placet, *I. Chr. Edelmannum.* D. HVME *Dialogues Lond.* 1780.

cf. *I. Alphons.* TVRRETINI *Diss. de existentia Dei Vol. I. dilucidatt.* FENELON *de l'existence de Dieu Amst.* 746. *Sam.* CLARKE *de l'Existence et des attributs de Dieu Amst.* 727. *Tom.* 3. 4. *I. Sam.* GESNER Resp. *Koken* diss. *Examen argumentorum, quibus Deum esse evinci solet. Goett.* 74 . 4. *I. Alb.* MELCHIORIS *diss. de argumentis, quibus existentia Dei a posteriori probatur* — ex legato Stolpiano — cum duab. aliis. *Lugd. B.* 754. 4. *Rich.* BENTLEY, *folly and irrationablenesss of Atheism. Canterb.* 723. 8. IERVSALEM *Betr. über die Chr. Rel.* I *Betr. p.* I. REIMARVS *vornehmste Wahrheiten der natürl. Relig. Hamb.* 755. Singula argumenta tractant: *Imm.* KANT *der einzige mögliche Bevveisgrund zu einer Demonstration des Daseyns Gottes. Koenigsb.* 763. 8. *An.* DRYFHOVD *diss. an ex idea entis necessario existentis eius actualis existentia a priori probari possit?* in diss. Stolpianis 759. BENING *gründlicher Bevveis für das Daseyn Gottes. Gies.* 780. (a posteriori) *Chr.* WOLF *de methodo existentiam Dei ex ordine naturae demonstrandi in horis subsec. Marburg.* 730. *Iac. W.* FEVERLEIN *diss. de genuina ratione probandi existentiam Dei a consensu gentium. Altd.* 717. *Aloys.* BRENNA *S. I. de generis humani consensu in agnoscenda divinitate. Florent.* 773. *Tomi II.* 4.

§. 74.

§. 74.

Vnitas Dei.

Plures uno Deos agnoſcere et revereri religio revelata vetat, *Deut. 6, 4. Eſ. 45, 5. 21. ſq. Ioh. 17, 3. 1 Tim. 2, 5. 1 Cor. 8, 6.* conſentiente religione naturali puriore et nondum corrupta, quae univerſas res nonniſi unius ſapientia ita inſtrui ac regi poſſe cognoſcit. Is *unus* ſimul *verus* Deus eſt.

Obſ. 1. Illuſtria ſunt V. et N. T. oracula *Deut.* 6, 4: *Iehova, Deus eſt, quem nos colimus, Iehova unus eſt*, ſc. *Deus. Eſ.* 45, 5. ſq. *Ego Iehova, non alius, nam praeter me non eſt Deus, te* (Cyrum) *cingo*. et 21. 22. *Ego Deus ſum, ſolus ego. Iuro per me ipſum, veram promulgo ſententiam eamque irrevocabilem: Coram me omnes genua flectant, per me quisque iuret* (me Deum colat): *Iehova, de me profitebitur, verus eſt et ſummus Deus.* Hunc enim genuinum verborum ſenſum monſtravi in *notis Verſioni Eſaiae ſubiectis ad h. l. Pſ.* 86, 10. [*Matth.* 19, 17.] 1 *Cor.* 8, 6. *Nobis Deus unus eſt, pater, ex quo ſunt omnia. Iac.* 2, 19. *Rom.* 2, 30.

Obſ. 2. Quanquam nobis non eſt opus illa demonſtratione unitatis e principiis naturalibus, diſpiciendum tamen erit, num ipſa natura et ſenſus communis reclamitent polytheiſmo, qui tot ubique fautores nactus eſt, tot regiones occupavit atque non ſine difficultate et repugnantia mentibus eripi potuit. Vbi igitur illa demonſtrationis perſpicuitas, illa vis ſenſus communis, ſi non potuit coërcere inſaniam et ſtuporem, cui tot fere dii creduntur quot creaturarum claſſes? ſi politi quoque et triti in literis viri a vera unius Dei notitia degenerarunt, amiſſamque vix ingenii ſui acumine reperierunt?

runt? Atque ego nec veterum philosophorum testimonia luculenta ac gravia de Deo uno ignoro, nec ex tenebris tum aevi antiqui tum mysteriorum scintillulas purioris doctrinae elucere negaverim, nec detraho studiis sapientum, christiano nomine ornatorum, demonstrandi Dei unitatem: id tantum concedi mihi postulem, paucorum fuisse has notitias paucorumque ingenio aptas reperiri demonstrationes, ac felicissime succurrisse hominum imbecillitati institutionem christianam, quae mundo Deum quasi reddidit ac publico honore consecravit. Veteres cum adversus Deorum cultores christianam caussam agunt, insignium poetarum et sapientum virorum testimonia quam plurima referunt, quae Deum unicum esse praedicant. ATHENAGORAS (*leg. pro Chr. c. 6 sq. p.* 22. ed. *Dechair*) multus est, ut e *Sophocle*, *Orpheo*, *Platone*, *Aristotele* et *Stoicorum* placitis cogat, hos quoque Deum in unitatem contrahere (εις μοναδα συγκλειειν). Eodem in argumento laborantem videmus IVSTINVM *Mart. exhort. ad gentes.* (qui Platonem e Mose et Prophetis didicisse doctrinam de uno solo Deo defendit) MINVCIVM *Felicem*, *in Octavio*, CLEMENT. *Alexandr. protrept.* p. m. 59. LACTANTIVM *Inst. div.* L. 1, 3. 4. 5. *Sophoclis* quidem et *Orphei* carmina satis sunt perspicua. Illius:

ἑις ταις αληθειαισιν· ἑις εςιν θεος
ὃς ουρανον τ᾽ ετευξε και γαιαν μακραν,
ποντου δε χαροπον οιδμα, κἀνεμων βιας etc.

Huius autem:

Εις εςιν αυτογενης, ἑνος εκγονα παντα τετυκται,
εν δ᾽αυτοις αυτος περιγινεται etc.

Pythagorae dictum ὁ μεν θεος ἑις· χ᾽ ὁυτος δε ουχ, ὡς τινες ὑπονοουσιν, εκτος της διακοσμησιος, αλλ᾽ εν αὑτα ὁλος, *Clemens Alex.* refert *Protrept.* l. c. Aliorum placita

placita vide expoſita in PFANNER *ſyſtem. theol. gentilis purioris*, CVDWORTH *Syſtem. intellectuali*. Ed. 2. Lugd. B. 773. 4. qui a polytheiſmi crimine philoſophos ſtudet abſolvere, et I. A. STARK l. *Hephaeſtion*. (Regiom. 775.) in quo myſteriis ſervatam puriorem de Deo uno notitiam fuiſſe defendit. Sed primum ſplendidis formulis, quas ad cauſam ſuam tuendam magna cupiditate conquiſiverunt patres, perniciosus error *Pantheiſmi* involvi videtur, non diffitente STARKIO in l. *Geſchichte der chriſtl. Kirche des erſten Iahrhunderts* P. I. (779. Berol. p. 125.): deinde aliis numen unicum adeo remotum a mundo et ſolitarium videbatur, hominum rerumque viſibilium negligens, tutela minoribus quaſi diis ac miniſtris concredita, ut ſi vel nomine divinitatis uterentur, re ipſa omnem religionem profligarent et cultum a negligente Deo ad tutelares genios converterent: denique pauci ſemper fuere, qui initiarentur his myſteriis et ad lucem veritatis, quae non ſapientum privilegium ſed generis humani decus eſt, accederent. Antiquiſſima temporum documenta commode monſtrant, quam late viguerit olim perſuaſio de Deo uno, antequam homines ſymbola et imagines divinitatis, quas poſtulat ingenium rude, honore divino conſecrarent augerentque numinum et nomina et copiam, *Humiique* commentum, de origine monotheiſmi e polytheiſmo et religionis e ſuperſtitione repetenda, infringunt. Laudantur Aegyptiorum Phtha et Cneph, Braminorum Brimh, ſeptentrionalium gentium Othinus, aliorum alia nomina, quibus ſpiritus, rebus omnibus vi ac aetate ſuperior i. e. Deus diſtinguitur. Sed ſi quis inde patrocinium petat ſententiae de unitate Dei, naturalibus notitiis facile inveſtiganda, polytheiſmi gurgite aperto, omne patrocinium evertitur. Quomodo enim fieri potuiſſet, ut tam foede, tam cito, atque inter omnes fere gentes corrumperentur ac

violarentur notitiae illae, unius Dei memoria brevi tempore elaberetur ex animo ac revocata a sapientibus, Socrati mortem, Apostolis odia gravissima contraheret? ut error pertinacissime inhaereret menti, si facile veritas contraria animo insidet et communi sensu percipitur? Haec quidem in eum finem disputata sunt, ut intelligatur, quibus rationibus inducti nos contra eos sentiamus, qui rationi facilem viam ad cognitionem unius Dei perveniendi patere, sibi aliisque persuadent. V. I. CHR. MEINERS *historia doctrinae de Deo vero.* Lemg. 780. quem legisse non poeniteat. Addam et hoc. Quantumvis omnis aevi philosophi christiani allaborarint in demonstranda numinis unitate, omnia tamen vincendis eruditis, neque his quidem ita, ut omnis dubitatio removeretur, exposuere, docendae plebi ac instituendae parum apte disseruerunt. Ex hoc genere est, cum ens perfectissimum summum et infinitum admittere socium et parem habere negent, quod argumentum praeivit *autor* libri *de Trinitate*, qui *Novatiano* adscribitur *cap.* 4. et TERTVLLIANVS contra *Marcion. Cap.* 3. Magis arridet *alterum* argumentum ab unitate mundi. *Verum Dominum communis natura testatur, quia unus est mundus*, iuxta AMBROS. L. I. de fide c. 1. Efficacius *tertium* a mundi huius creatione et gubernatione. Nam primum si *creationis* ratio habeatur, vires, rerum omnium effectrices aut per varios quasi creatores ita distributae fuerunt, ut alius alia semper vi gauderet; aut pluribus communes uni maiore prae reliquis gradu omnes inerant; aut ita dispositae, ut alter singulis viribus alterum antecelleret; aut communi omnes omnibus gradu inhaerebant. Si prius, quale tandem tibi divinitatis monstrum deforme et mancum fingis, una virtute, utut maxima, instructum? Si alterum, iam excellens illud et praestans viribus Dei nomine ornabitur, exclusis reliquis.

Si

Si tertium, vereor, ne iterum deformem fingamus spiritum, cuius alia virtus immensa, alia finita, ingenium summum, potestas deminuta, sapientia ditissima, parca bonitas sit. Si denique plures virtute aequales fingas; iam ex iis aut unus in rerum omnium creatione occupatur: aut iunctam omnes operam universo producendo impendunt. Si prius: habes creatorem unum, summum, virtutis suae efficientia insignem: si posterius, tum et neges suffecisse producendo operi vires unius, quem anne fas sit Deum salutare? et rationem reddas, qua inductus unius operis causas plures anquiras? sed ea res fere alienior a natura et consuetudine humana. vide (*Velthuisen*) *Arist. ein philosoph. Gespraech über die Einheit Gottes in* CRAMER *Beytraege zur Befoerderung theol. Kenntnisse T. II.* (*Kiel* 778.) *p.* 1 *sqq.* Si *gubernationis* modum expendas concordem et in unum scopum collineantem, quo pacto ab huiusmodi multis diis regetur mundus et non dissolvetur aut corrumpetur, praesertim quando in pluribus simul gubernantibus invenitur differentia ac proinde et sententiarum diversitas? Si dicas, suum cuique Deo munus esse demandatum atque unumquemque strenue id unum curare: tum rogo primum, annon tenuis sit Dei conditio, cui extra provinciam suam vetitum sit occupari? deinde, quis ita inter eos partitus est munera? Si quis talis existit, certe ad hunc unum et solum divinitatis dignitas merito deferetur, reliqui satellites et ministri voluntati eius parebunt. Sic ABAELARDVS *L.* 3. *introd. in theol. p.* 1106. Haec quidem multo acumine concluduntur omnemque fere dubitationem tollunt: at quotusquisque est, qui eo ingenio polleat, ut vim argumenti sentire possit? Itaque non sapientiae humanae sed Evangelio I. C. laus esto restitutae orbi divinitatis, cuius vis adeo invaluit, ut ab eo tempore polytheismi insaniam repressam fuisse vel ipsi adversarii reli-

 gionis

gionis christianae profiteantur. Estque tanto luculentior, quum Muhamedem, strenuum unius Dei confessorem ac praeconem, haud obscurum cuiquam sit, has notitias a Iudaeis et Christianis repetiisse, eiusque et christianorum opera purgatam iam orbis maiorem partem Deum unum agnoscere.

vide IERVSALEM *Betracht. T. II. p.* 44. sqq.

Obs. 3. Omnino cavendum erit, ne polytheismi semina spargamus incautis de trinitate in Deo formulis, quibus rudis plebs facile decepta tres sibi Deos animo format, errore quidem gravi, nam pugnat cum doctrina primaria de μονω αληθινω θεω (*Ioh.* 17, 3.) minus tamen nocivo, in iis praesertim, qui obtuso ingenio sublimiores doctrinas nequeunt animo concipere.

Obs. 4. Praeter gentiles, qui plures sibi Deos proposuerunt et stulte coluerunt, inventi quoque inter christianos, qui polytheismi incusarentur. *Gentiles* quidem alii, cum iam symbola, iam ministros divinitatis cum numine ipso permiscerent, alii, cum res, quarum salutares effectus cognoverant, ut felicitatis suae autores errore facili venerarentur, ad superstitionem prolapsi sunt. v. *Is.* VOSSIVS *de origine et progressu idololatriae.* Huius insaniae tria *Epiphanius* systemata sumit, probante EBERHARD *Apol. des Socr.* *T. II. p.* 474. *Barbarismum*, qui obscuram sibi imaginem numinis fingit, *Scythismum*, eorum, qui in astris corporibusque coelestibus Deum colerent; *Hellenismum*, a quo rebus terrestribus, hominibus, brutis quoque divinus erogaretur honor. Addere lubet *Persismum*, seu systema dualisticum, cuius ex placitis rerum omnium origo duobus principibus (principia vocant) bono alteri, Oromasdi, alteri malo, Ahrimanio debetur, nisi *Th. Hyde* suffragemur, (*de religione vett. Persarum c.* 20. *p.* 161.) cui utrumque illud principium ut imperio maioris summique Dei, Mithrae, subiectum,

Per-

Perſas docuiſſe defendit. *Chriſtianorum* aetas prima *Gnoſticorum* haud paucos dualiſtarum erroris inſimulavit: v. c. Carpocratem, et Marcionem, qui alium boni, alium mali, alium V. T. alium N. T. autorem ſtatuerent. Seculo quarto *Manichaei*, e Perſarum placitis, quae diximus, duplex principium docuerunt, multarum turbarum in eccleſia chriſtiana autores. Sed non ſatis certum videtur iudicium de illis haereſibus, in cauſa tam obſcura, in qua equidem latentem poſt incautas formulas veritatem chriſtianam exquirere, quam homines audacius calumniari malim. Manes quidem utrumque, quod induxit, principium a Deo ſummo pendere, vix dubito, quin cum reliquis Perſarum ſapientibus crediderit. De *tritheiſmi* errore, *Ioh. Philopono*, qui eum a Syro quodam *Ioh. Acoſnage* accepiſſe traditur, affiicto, infra Sect. 3. dicendi locus erit.

cf. *I. Chr.* HENNINGS *die Einigkeit Gottes.* etc. *Altenb.* 779. TOELLNER *kurze vermiſchte Aufſaeze. Saml. I. N.* 3. 776.

I. Fr. COTTA *Hiſt. doctrinae de Deo, adiecta T. I. Gerhardi LL. theol. p.* 159.

Obſ. 5. De habitu huius doctrinae ad pietatem vide 1 *Tim.* 2, 1—5. *Rom.* 3, 29. 30. *Eph.* 4, 1—6.

§. 75.

Nomina Dei veri et unius.

Sed nomen illud unicum et verum, ut a reliquis, quibus fruſtra nomen Dei conferebatur, commode diſcerni poſſet, ab Iſraelitis velut nomine proprio יהוה *Exod.* 3, 13. *Eſ.* 48, 8. יה, אדני, אל שדי, *Gen.* 17, 1. et עליון compellatum eſt.

Obſ. 1. θεον αληθινον, אל חי, deum vivum, ſacrae literae ματαιοις, νεκροις, ειδωλοις opponunt. vide infra §. 80. Obſ. 1.

Obs. 2. a) Antiquissimum veri Dei nomen, patribus familiare, occurrit *Genes.* 17, 1. אל שדי. *Deus potens.* *Exod.* 6, 3. *Apparui Abrahamo, Isaaco et Iacobo* באל שדי *tanquam Deus Schaddai*, nomine Schaddai, *nomen autem meum, Iehova, non edocui eos.* Commodissime autem derivatur vox a שדד ex usu Arabico, *viribus praepollere*, unde graeci reddunt: παντοκρατωρ, cui ׳ subiungitur, velut in אדני. b) Successit in eius locum nomen tetragrammaton: Iehova, a הוה vel היה *fuit*, forma plane singulari. *Exod.* 3, 13. cum Moses, ad suos ablegatus, quaereret de nomine, quo huius gentis numen tutelare a reliquis numinibus distingui possit, responsumque ferret: אהיה אשר אהיה, *ego semper idem sum*, novi nominis origines et caussae satis perspicue intelliguntur. *Iehova* (ille, qui constantissimus tum promittendo tum agendo semper existit, ὁ ὢν και ὁ ἠν και ὁ ερχομενος *Apoc.* 1, 4.) *me misit: hoc nomen meum perpetuum esto; hoc nomine inter posteros memorabor*, vide et *Ex.* 6, 3. *Es.* 41, 4. Ceterum Iudaeorum crisis de amissa nominis et omittenda pronuntiatione Iudaico ingenio et superstitioni relinquatur: antiquae enim et genuinae pronuntiationis vestigia monstrant voces compositae velut יהונתן, Talmudistarum testimonium, (*Cod. Sanhedrin. c.* 8. *th.* 5.) quod voci יהוה puncta verbi יוסף subiici docet, et Aegyptiorum traditio, cui nomen septem vocalium laudatur. (vid. *I. Matth.* GESNER *praelectio in Commentariis soc. reg. Goetting. T. I. p.* 245.) Nec multum differunt Ιαω apud *Diodor Sic. Hist. L. I. P.* 2. *et* Ιαυω in fragmento Sanchuniathonis apud Philonem Byblium, servato in EVSEB. *de praepar. Evang. L.* 1. *c.* 9. Vide et *Exod.* 20, 7. *Lev.* 19, 12. Hoc itaque nomen incommunicabile sibi soli vindicat Deus 1 *Reg.* 18, 21. 24. *Mich.* 4, 5. *coll.* 2. *Es.* 42, 8. 43, 11. nec nisi vero numini tribui, usus S.

Scri-

Scripturae constans evincit. Esaias hunc Iehovam Deum verum esse gravissimis argumentis demonstrat e mundi regimine et vaticiniis. Nam qui praedicit res futuras, regere humanarum rerum casus oportet. vide *Es.* 41, 21 sq. c) Nomen יָהּ poeticum, quod a יָאָה *decuit*, *Ier.* 10, 7. *decus* interpretantur, optime refertur ad הָוָה, unde et יְהוָה et יָהוּ (quod frequentius in compositis occurrit v. g. אֵלִיָּהוּ, צִדְקִיָּהוּ et al. usurpatur) et יָהּ recte deducitur. cf. *G. E.* SCHEID *Spec. obs. ad Es.* 1, 2. *Harderov.* 1781. De אֲדֹנָי supra dictum. עֶלְיוֹן Graeci ὕψιστον dixere, Deum omnibus *superiorem. Luc.* 1, 35. *Dan.* 7, 22. Addo אֱלֹהֵי צְבָאוֹת ὁ θεος σαβαωθ (*Rom.* 9, 29.) *Deus exercituum* i. e. summus imperator astrorum, צָבָא enim corpora coelestia dicuntur *Gen.* 2, 1. *Deut.* 4, 19. *Dan.* 8, 10. nisi malis exponere κοσμον, nam צְבִי est *decus*, ὁ κοσμος, ευταξια. v. infra §. 118.

cf. I. BVXTORF *de nominibus Dei hebraicis*, *inserta dispp. philol. theol. Basil.* 662. *p.* 245. *I. Henr.* HOTTINGER *de nominibus Dei orientalibus Diss.* 4. *in fasciculo diss. theol. philol Heidelb.* 660. 4. p. 249 sq. *A.* RELAND *decas exercitationum philologicarum de vera pronuntiatione nominis Iehova. Vltrai.* 705. 8.

SECTIO SECVNDA.

DE NATVRA ET ATTRIBVTIS DEI

§. 76.

Difficultas et certitudo cognitionis nostrae de Deo.

Quamquam naturalis facultas nos deficiat, quo minus ad puram usque et liquidam Dei cognitionem pervenire liceat, non tamen omnis occasio praecisa est, cognoscendi maiestatis

et adfectionum Dei particulam eam, quae sufficit sensibus religionis et pietatis excitandis.

Obs. 1. Cotta apud CICERONEM *de Nat. Deor. L. I.* 21 *Roges me*, inquit, *qualem deorum naturam esse ducam: nihil fortasse respondeam.* — et c. 22. *Roges me, quid aut quale sit deus; auctore utar Simonide: de quo cum quaesivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unum diem postulavit, cum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit. cum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret: Quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi spes videtur obscurior.* Sed hunc arbitror dignos maiestate divina sensus dictis suis ostendisse atque, quia plurimae in mentem venirent, quas expedire non posset, difficultates, maluisse profiteri ignorantiam, quam audaci libidine ipsam naturam divinam, imperviam menti humanae, scrutari atque de ea minus apposite disserere. Hunc ego imitatus omnem, cum natura divina a nobis investigatur, spem abiicio. Nam si ne nostrae quidem mentis, nedum rerum aliarum essentiam ipsi capimus, sed specie externa ducimur, multo magis divinitatis ουσια ultra intelligentiam et sermonem consistit. Itaque sacrae literae primo admonent, Deum habitare lucem inaccessam 1 *Tim.* 6, 16. i. e. ad splendorem ac maiestatem numinis non posse accedere mentem humanam eoque familiariter uti, dein negant, quendam hominum cernere Deum posse 1 *Tim.* 6, 16. *Ioh.* 1, 17. et vel acutissima mentis acie in ista maiestatis divinae penetralia pertingere, nam ιδειν θεον i. q. cognoscere. Eodem redit Esaiae locus Cap. 40, 22. 46, 5. Oritur autem illa inscitia tum ab ipsa natura, quae nos vetat in alias quasi res mente nostra transvolare 1 *Cor.* 2, 11. tum a magnitudine divina, quam imbecillitas nostra non metitur. Agnoscentes igitur inscitiam nostram hanc in partem circumspecte loqui et

et *meminisse oportet, quae ad explicandam Dei naturam in medium adducuntur, non satis quid ipse sit, sed potius, qualis ipse sit, aut certe qualem intellectus noster utcunque apprehendit, aperire*, ut verbis utar *Hyperii Meth. theol. L. I. p. m.* 84.

Obs. 2. Non tamen omnem veritatem, cum *Humio*, (*dialogues concerning natural religion Lond.* 779.) penitus desperamus. Nam si a Deo ipso notitiae divinae nobis traduntur, absurda sane ac temeraria esset dubitatio de veritate institutionis: si autem naturam magistram sequimur, ecquis tam abiectum de se, tamque inconstans iudicium ferat, ut aut omnem veritatem in dubium vocare ausit; aut neget, esse in nobis praestans aliquid ac vere perfectum, aut ubi agunt homines, vim, sapientiam, benignitatem agnoscat, non idem iudicet, ubi Dei opera intuetur? Res quidem eadem in pluribus conspicua, apposite iisdem nominibus describitur. Vnde sententiam minime fallacem edent, quicunque, effectu cum caussis suis composito, *qualis* Deus sit, quanam virtute, quibus affectionibus excellat, concludunt. v. quae diximus in *bibl. theologica* Vol. I. p. 530 sq.

Obs. 3. Fatemur tamen nec omnino liquidam nec accuratam a nobis cognitionem attributorum divinorum posse acquiri. Nam *primum* omnis cognitio, quae incipit a sensibus pendetque ab humanis rebus, impuritatem quandam contrahit, semperque, cum vel intelligibilia animo nostro obversantur, facile erroris aliquid et obscuritatis admiscetur. Quae omnino non capiuntur sensibus sive externis, sive internis, de iis nec conceptus clarus formatur in animo, nec verba clara et apta satis suppetunt. Omnis ergo cognitio de Deo *anthropopathica* videtur, notionibus et verbis adstricta, e re humana deductis, et per similitudinem quandam ad Deum translatis. *Praeterea* de *modo* et *magnitudine* affectionum

divina-

divinarum tenuitate nostra prohibemur, quo minus, uti decet, iudicemus ac sentiamus et, cum utcunque cognoscitur, qualis sit, iam *quantus* sit, quasi dimetiamur. Itaque divinitatis notitias qualescunque ipsumque Numen maximum *mysterium* recte dixeris. In hanc sententiam *Ps.* 139, 6. *admiranda nimis et sublimiora, quam ut quis assequi possit*, fatetur *divinam cognitionem.* Gravior testis *Agur Prov.* 30, 3 sq. Ithieli discendi cupido respondet: *Quis evehitur in coelum rursusque descendit? quis pugno ventos continet? quis maria vestibus constringit? quis orbis terrarum limites describit? quo nomine quove filio* i. e. discipulo *utitur?* q. d. quemadmodum fieri non potest, ut quis coeli spatia, ventorumque latos orbes et maris ambitum arctis limitibus contineat atque emetiatur; ita numinis immensitatem nec hominum aliquis sive doctor, sive auditor eloqui poterit. cf. *Proverbiorum versionem sermone vernaculo editam.* (*Altd.* ed. 2. 781.) At sicut is, qui solis ambitum astrorumque igneam molem populari iudicio tantam esse fortassis negaret, quantam astronomi demonstrant, minime tamen semper fallatur omnino, ubi de sole astrisque disseritur, sed ignem agnoscat: ita nos quidem recte tenemus, minime nos errare de divinis adfectionibus, (*in qualitate*), quanquam immensitatem earum (*quantitatem*) hoc animo, hac tenuitate perlustrare nequeamus. Anne, quaeso, benignitatem maximam, sapientiam summam, non ideo sapientiae et benignitatis nomine ornare fas sit, quia in humanis manca illa ac tenuis deprehenditur? Profecto si qua Deum inter et homines similitudo ac affinitas intercedit; si nos imitari Deum, si non adstupere tantum numini, sed illud amore ac reverentia prosequi decet: concedamus oportet, non omnia nobis adeo obscura atque a cognitione nostra remota esse, ut, praeter vocum sonos et umbras, nihil teneamus.

cf. sub-

cf. subtilissimi Philosophi, TETENS, *Abh. über die Realitaet unsers Begriffs von der Gottheit*, in *Cramer Beytraeg. T. II. p.* 137.

§. 77.

Fontes cognitionis de Deo.

a) Scriptura sacra.

Duplex autem *fons* hauriendi notitias de Deo *puras* aperitur *alter*, Dei ipsius testimonium per sacras literas, in descriptionibus maiestatis divinae, non symbolicis illis, sed claris et propriis v. c. *Ps.* 139. 90. *Iob.* 37. *Es.* 40. *alter* meditatio de rebus creatis instituta. *Rom.* 1, 20. 21. *Ps.* 19, 1—7.

Obs. 1. Parum declarantur notitiae de Deo *imaginibus*, quibus olim quasi indutum numen apparuit *Mosi Exod.* 3, 1. 19, 18. *Eliae* 1 *Reg.* 19, 11. *Esaiae* 6, 1 sq. et *Ezechieli* 1, 4. et 10. quas Apocalypseos autor repetit Cap 1. in quibus omnia Dei magnitudinem ac magnificentiam spirant, sive sensibus externis obversantia, sive ingenii arte et quadam luxurie per fictionem composita. Semper autem monentur lectores atque sedulo admonendi videntur christiani, non ea, quae describunt vates, revera vel adfuisse vel alicubi existere, sed κατ' ὄψιν, mentis visione sibi haec apparuisse. cf. quae diximus ad *Esaiae* versionem l. c. et ad *Ezechielem* not. *ad opus Grotianum* T. II. p. 247. Multo tamen magis perficiunt atque evehunt cognitionem divinam *primum* testimonia de affectionibus numinis, plurimis locis perspicua v. c. *Iob.* 4, 24. *Ps.* 90, 1—4. *post* descriptiones tum maiestatis summae, v. c. *Es.* 40, 12 sq. *Iob.* 37 sq. tum attributorum singulorum, quae duobus potissimum modis illustrant, partim imaginibus aliunde arcessitis et comparationi-

bus

bus novis, grandibus, audacibus, *cum ſit*, (uti eleganter docet LOWTH *de poeſi Hebr.* T. I. p. m. 315.) *congeries maximarum altiſſimarumque imaginum, quae cum re, de qua agitur, comparatae valde impares longeque inferiores repe-riuntur; hoc modo quaquaverſum extenduntur, tandemque omnino tolluntur limites: animus deducitur paulatim in in-finitudinem et ſ. p.* partim popularibus dicendi formis, quae praeſens quaſi numen ſiſtunt hominumque mentes fervido et permanente pietatis ſenſu imbuunt. Quidquid grave, magni-ficum atque ſenſibus ſolidis refertum occurrit in carminibus poetarum, e quibus *Cleanthis Stoici hymnum Iovi inſcriptum* ut graviſſimum laudant, pulcherrimum ſane antiquae ſapien-tiae monumentum, id tamen vix ſive imagines lectiſſimas in-tuear, ſive rerum pondus, ſive artificium, quo idearum ge-nera per partes explanantur, atque ſic diſſeritur ut nec magni-tudo rei deſcriptae pereat nec ad ſublimiora raptus animus veritatem claram amittat, ad ſanctorum vatum ſpiritum ali-quatenus accedit. v. c. *Pſ.* 190. 39. et *Iobi* dicta plurima. Inſignis *denique* religionis chriſtianae decus et praerogativa habetur, quod animum Dei nos demonſtret eum, qui piis ſenſibus regendis et firmandae mentis noſtrae tranquillitati efficaciſſimus reperitur. *Ioh.* 1, 19. 1 *Ioh.* 4, 16.

Obſ. 2. Cum ſemper ſolemus ex effectu vires autoris aeſtimare; univerſi huius contemplatio ad creatoris vim in-telligendam et ſentiendam mirum in modum conducit. Id-que communi fere conſenſu philoſophi veteres tenuere: v. c. *Ariſtoteles de mundo*, *C.* 6. Inadſpectabilis (αθεωρατος) omni mortali Deus ab operibus ſpectatur (απ' εργων θεω-ρειται) Sic et Cicero Tuſc. I, 29. Atque hoc eſt, quod *Paulus Rom.* 1, 20. 21. tradit; patere, quod γνωςον του θεου i. q. γνωσις του θεου (*coll.* 2, 4.) *notitiae divinae reperiantur inter gentiles, ſed eas ab ipſo Deo publice proponi*

hoc

hoc modo; τα αοϱατα αυτου, *invisibilis Deus*, ἡ τε αϊδιος αυτου δυναμις και θειοτης, *aeterna nempe vis divina* (δυναμις i. q. עז, *vim vel maiestatem divinam*, non potentiam tantum notat, cf. *Ps.* 29, 1 sq. *et maiestas*, καθοϱαται, *visibilis est animo*, menti coram obversatur, τοις ποιημασι *ex operum spectaculis*, non tantum iis, quae in producenda hac rerum natura, verum etiam, quae in rebus, vita, fatisque hominum gentiumque gubernandis versantur. Ea enim sunt מעשה ποιημα θεου v. *Eccles.* 7, 13. (ut bene observat ad h. l. KOPPE) απο κτισεως κοσμου, *inde a mundo creato.* Nempe illa rerum terrestrium spectacula vim autoris sui ostendunt ac laudant. Vates spiritu divino incitatus carmine *Ps.* 19, 1—7. audacius hunc fontem cognitionis divinae aperit communem, purum, omnium aditu celebratissimum. *Coelum celebrat* (ספר emphatice cf. *Ps.* 22, 31.) *vim divinam: et opus ab eo instructum laudat firmamentum*, i. e. eloquitur coeli compages, quanta vis insit conditori. *Dies diei dicta effundit* (sicut *Cicero: testis effundit* omnia. *Flacc.* 19. i. e. dixit,) *nox noctem notitias docet* i. e. dies quilibet, quaelibet nox, testis et magister divinitatis, nec obscurus ille, sed perspicuus: *non sunt dicta vel sermones, vix audibiles: in omnem orbem terrarum edictum eius* (coeli, quod iubet admirari ac venerari summum conditorem) *exit: enuntiata eius ad ultimas usque regiones.* Quae cum ita sint, officii christiani erit, considerare maiestatem numinis ex orbis intuitu conspicuam, atque doctore inprimis christiano dignum habetur, monstrare admirabilem numinis vim, sapientiam, benignitatem, quae e rebus nostris elucet. *Ps.* 104. *Iob.* 37. *Es.* 40. et Iesu magistro *Matth.* 6, 26. vide TOELLNER *Aufforderung die Offenbarung Gottes in der Natur zu predigen in vermischten Aufsaezen.* T. II.

Adiuvant hoc pietatis et religionis exercitium *Iohn* RAYS *the beeing and wisdom of God in the works of the creation Lond.*

Lond. 692. 8. DERHAM'S *Astrotheology et Physicotheology. Lond.* 714. *Bern.* NIEVVENTYT *rechter Gebrauch der Weltbetrachtung zur Kenntniſs der Macht, Weisheit und Güte Gottes. mit Segners Anm. Ien.* 747. 4. BONNET *comtemplation de la nature* (germ. Lipſ. 772. 8.) SVVAMMERDAM *biblia naturae.* MOSCHE *Predigten über die Werke Gottes in der Natur. Frf.* 776. H. SANDER *Ueber Natur und Religion für die Anbeter Gottes Lipſ.* P. I. II. 779. 780. Nec, etſi ingenii quadam libidine utatur, ſine fructu legetur VLBER *rechtſchaffner Naturaliſt. Hamb.* 765.

§. 78.

b) *natura.*

Adducimur autem *natura* magiſtra ad intelligentiam Dei, dum dignitatem rerum creatarum autori ipſi componimus, et *vel* abeſſe iudicamus ab hoc omne, quod tenuitatis, labis ac vitii charactere notatur, *vel* ornari naturam divinam iis, in quibus nos praeſtantiam et dignitatem veram quaerimus, etſi ea omnia in Deo longe maiora ac magis abſoluta eſſe, quam ſunt in creaturis, perſuadeamur. Adeoque omnis cognitio noſtra de Deo ducitur a ſimilitudinibus et analogia, et imperfectione laborat.

Obſ. *Priorem* methodum ſcholaſtici *viam negationis* dixere, unde *Dionyſio* Areop. hoc genus ſcientiae θεολογια αφαιρετικη dicta: *alteram viam cauſalitatis:* dum vel noſtras vel aliarum rerum perfectiones ac virtutes, veras quidem ac puras, non dubitamus Deo ipſi, qui noſtrarum autor habetur, tribuere, multo tamen noſtris maiores et abſolutiſſimas (*via eminentiae*). Sic fere *Pſ.* 94, 9. *Sed hic,* recte monuit b. HEILMANNVS *comp. th.* §. 49. *quandoquidem earum virtutum nullam, niſi quatenus in nobismet*

bismet ipsis eas deprehendimus, notitiam ac ne suspicionem quidem habere possumus, magnam necesse est incidere dubitationem, ne forte cum sint infinita perfectionum, non gradus solum, verum etiam genera, quibus qui polleat, pusillis istis nostris muneribus facile careat, ne, inquam, forte talpae nos subtilissimum tactum deo tribuamus, de visu interim ne suspicantes quidem quicquam. Atque haec dubitatio tanti esse debet, ut non credam, philosophum — de multis divinae naturae virtutibus — sine magna cespitatione posse pronuntiare, atque ita ut semper excipiat: nisi quid amplius. Haec ille.

§. 79.

Divisio attributorum divinorum.

Ex hac methodo reperiundi attributa divina originem ducit *prima* eorum divisio, cum alia *negativa*, alia *affirmativa* vel *positiva* dicimus, illa quidem, ubi negamus Deum tenuitati nostrae similem, haec, cum perfectionum nostrarum analogon in eo laudamus. Verior *altera*, quae *operativa* (*ενεργητικα transeuntia*) a *quiescentibus* (*ανεργητικοις, immanentibus*) secernit, prouti vel actionis cogitationem habent inclusam, vel minus: a qua non multum differt *tertia*, quae *absoluta*, i. e. quae de Deo praedicari possunt, etiamsi mundus non existeret, a *relativis*, quorum cogitatio existentiam mundi requirit, distinguunt: denique nomine minus commodo, etsi re ipsa suadente, duo genera faciunt *naturalium* (physicorum) et *moralium*. Haec dicuntur, quae cum voluntate divina rationem habent: illa, quae minus. Sed in his omnibus ambigua atque obscura multa vix expediri possunt.

Obs. 1. *Negativa*, quae dicimus, (melius *negantia*, ἀποφατικα graeci vocant, quibus opponuntur κατηφατικα) attributa dum exponimus, satis lucramur, semoto erroris periculo, sed praeter ea commoda vix multum efficitur. Tenuem enim valde et vilem scientiam iudico, quae, *qualis non sit*, demonstrat atque errores destruit, non adstruens *veritatem*. *Sed omni* negativo succedit quasi positivum, nobis fere vel ignotum vel, dum ἐκ μέρους cognoscimus, ἄῤῥητον. Cave tamen vel negativa vel positiva e vocabuli etymologia aestimes, quae facile decipit animum turbatque lectores. v. g. aeternitas.

Obs. 2. *Relativa* ab *absolutis* parum differunt; nam relativa non sunt ex singulari genere perfectiones, sed definitus absolutarum modus ac ratio, unde utraque saepe coalescunt.

Obs. 3. Nihil profecto in vi illa immensa *quiescens* atque otiosum reperitur vel cogitari poterit, quare minus arridet *quiescentium* cognomen. Atque ut verum fatear, *immanentia*, quae dicuntur, nonnisi reliquarum, *operativarum* adfectiones esse videntur. Immensitatem v. c. et infinitatem, vix singularem virtutem Dei dixerim, sed virtutis divinae, scientiae, voluntatis, sanctitatis etc. modum.

Obs. 4. Neque minus integra videtur ultima divisio: nam quidquid de Deo cogitatur, id omne pertinet ad *naturam divinam*, quae non minus voluntate continetur sanctissima, quam scientia et vi immensa. Sed cum quarundam Dei affectionum exemplar nobis ad imitationem proponatur atque componendis *moribus* nostris commendetur in sacris literis: haec quidem, quae animum Dei adficiunt, *moralia* a theologis dicta sunt, reliqua *physica* compellaverunt.

Obs. 5. Solent addere divisiones 1) *primitivorum et derivatorum*, 2) *communicabilium et incommunicabilium*. 3)

Pro-

propriorum et tropicorum. Sed eae, nullius ad religionem utilitatis, et parum accuratae merito repudiantur.

Obſ. 6. Teneamus denique in his diviſionibus attributorum divinorum non niſi ſubſidia quaeri tenuitatis noſtrae, quae dum immenſam molem non capit, ſingulas quaſi particulas et fragmina decerpit, eaque pro viribus ingenii ſui diſponit, atque hac ratione levamenta inſcitiae ſuae adfert.

§. 80.

Attributum primum: *Vita Dei aeterna et immutabilis.*

Exiſtere Deum, ſupra §. 73. demonſtravimus: ſed haec exiſtentia fons omnium perfectionum habetur. Itaque primo merito loco ponimus *vitam* Dei, *Ier.* 10, 9—16 hoc eſt, exiſtentiam et agendi vires, cuius *affectiones* cenſemus *aeternitatem*, vel exiſtentiae perpetuitatem continuam, *Eſ.* 44, 6. *Pſ.* 102, 27. 90, 2. 1 *Tim.* 6, 16. *Habac.* 1, 12. ac *immutabilitatem*, quae omnem in Deo ſucceſſionem excludit. *Pſ.* 90, 6.

Obſ. 1. Deus *vivus* opponitur idolis, otioſis illis et emortuis imaginibus, in quibus praeter formam, humana arte confictam, vim nullam inditam cernere licet. *Pſ.* 115, 5. 6. *Eſ.* 44, 8—20. ubi vide *verſionem noſtram.* *Eſ.* 37, 4 *coll.* 19, *Ier.* 10, 9—16. *Idola — opus ſunt artificis: verum enim vero Iehova eſt verus Deus, vivus, rex aeternus. — Sic dicetis illis: Dii qui coelum et terram non crearunt, tollantur e medio, ex rerum univerſitate.* (Hic verſus chaldaeus alieno plane loco ponitur, v. DATHII *verſionem* ad h. l. p. 697.) *Potentia ſua terram produxit: ſapientia ſua orbem diſpoſuit: intelligentia ſua coelum extendit. — Deſipit, quicunque hac* (veri Dei) *cognitione deſtituitur. Erubeſcit, qui idola fingit. Nam nihil*

ſunt iſta fuſilia: vita (רוח) *deſtituuntur. — At enim talis non eſt, quem Iacobitae colunt.* 1 *Theſſ.* 1, 9. *Hebr.* 9, 14. 12, 22. 1 *Tim.* 6, 17. Quodſi denique vita nihil ſuavius mortalibus obtingit: quis vitae noſtrae (*Iob.* 5, 26. *Act.* 17, 28 *Eſ.* 40, 28—31.), ac omnium, quibus creaturae inſtruuntur, laetantur ac vigent, virium autorem, vita ipſa ac efficientia deſtitui, ſine gravi repugnantia ſtatuat? Teſtantur denique ipſae actiones divinae, quanta vi polleat et quam minime otioſum numen veneremur.

Obſ. 2. *Aeternitatis duo* maxime momenta in his anguſtiis mentis noſtrae concipimus: *alterum*, quod originem, *alterum*, quod finem excludit. Vtrumque *Eſaias* iungit dum *C.* 44, 6. Deum *omnium primum et omnium poſtremum* vocat, (*Apocalypſeos* autor *Cap.* 1, 7. Α et Ω, αρχη και τελος) eundemque a mundi inde originibus per omne aevum perennare docet *Cap.* 41, 4. *Quis prius aevum intime movit? Ego Iehova omnium primus. Quis ſecuturum? ego.* Sic et Vates, *Hiskias* puto, *Pſ.* 102, 27. *Anni tui per omne aevum continuantur: tu per omnes hominum generationes vivis. Tu prior* (לפנים) *terram condidiſti: per te coelum ſtructum.* (En Deum ante mundi initia exiſtentem!) *Illa identidem intereunt*, nulla res durabilis; *tu perduras* (תעמד ὑποςασιν habes, perennas incolumis, *Eccleſ.* 1, 14. *Pſ.* 19, 10.): (abſunt omnia interitus et mortis pericula). *Illa veteraſcunt et veſtis more deteruntur, amiculi more alia forma induta transmutantur: ſed tu idem ſemper* (ὁ αυτος. En Deum omnis mutationis expertem et ne ipſa quidem vetuſtate aliquid naevi contrahentem!); *anni tui non finientur.* (Habes Deum omnis finis expertem!) Illuſtris quoque et magnifica *Moſis* imago *Pſ.* 90, 2 ſq. cum fragilitatem humanam praeſentiaque mortis discrimina intuetur ac deplorat, ſed Numen ſuperſtes ſemper ac nulli mutationi obnoxium grandibus ſententiis celebrat. *Ad*

te,

te, Deus, semper confugimus. Priusquam nati montes sunt editaque tellus (omni terrarum orbe multo antiquior) *a seculo* (omnibus prior) *in seculum* (omni tempori superstes) *tu es, Deus!* (מעולם עד עולם. Vocis עולם usus frequentissimus est de *tempore*, vel olim praeterlapso *Gen.* 49, 26. vel adhuc futuro 2 *Sam.* 7, 16. unde formulae לעולם saepissime vis inhaeret durationis non finiendae ac in genere עולם tempus omne designat. cf. *Ps.* 103, 17. Sic et απ' αιωνων et εις τους αιωνας in N. T. dicitur *Luc.* 1, 33. 55. *Ioh.* 6, 51. *Rom.* 1, 25. 1 *Cor.* 2, 7. *Col.* 1, 26. *Gal.* 1, 5. *Eph.* 3, 21. et al.). *Reducis mortales in pulverem*, i. e. post breve vitae fallacis spatium morti addicis homines, ac *iubes, redite, Adami soboles!* sc. in pulverem. *Gen.* 3, 19. Sed longe secus est in numine, quod mortales esse iubet nos, ipsum immortale. (vide MICHAELIS ad *Lowth de poesi sacra T. I. p.* 315. *ed.* 2. *Goett.*) Eodem redit *Hab.* 1, 12. Tu es מקדם omnium antiquissimus, ab omni aevo, et לא תמות, *non es moriturus.* Nam lectionem תמות veteres versiones commendant, pro נמות voce aliena et obscura. Eandem sententiam tuetur Paulus, qui θεον αιωνιον dicit et μονον εχοντα αθανασιαν, *qui solus immortalitate gaudet* 1 *Tim.* 6, 16. magnifice satis! vide et *Ioh.* 17, 24. *Rom.* 1, 20. Nec ego, qui profitear το βαθος attributorum divinorum, nobis impervium, descendam hoc loco in quaestionem spinosam ac perquam difficilem, num aeterna natura tempus omne et successionem in Deo excludat? Penitus enim, ubi transit limites suos et quidquam scrutatur, cuius analogum frustra quaeritur in vita humana, velut est loci ac temporis et successionis absentia, absorbetur mens humana planeque obruitur, velut in profundam quandam voraginem demersa, et frustra conatur aliquid apprehendere, quo sese extrahere possit. Iam cum nihil alienius sit a nostro statu, quam successivorum absen-

 tia,

tia, (rapimur enim subinde in novum statum atque vel in hac varietate tantum gaudii ac levaminis sentimus, quantum constantia et duratio rerum nostrarum taedii affert ac nauseae, cupimusque tempus varietate fallere): vix capimus statum semper eundem, in quo successioni variorum nullus detur locus, nullumque adeo tempus i. e. nullus successivorum ordo in serie continua, et nihilo tamen secius beatum. Satis sit, si quid iudico, si teneamus, Deum nunquam initium cepisse, nunquam periturum esse et, quoad temporum periodos animus humanus struit, semper coëxistere rebus creatis. Reliqua sequenti observatione declarabimus.

Obs. 3. Iungitur aeternitati *immutabilitas*, qua Deum immutari posse penitus negant. Mutari dicimus ea, quorum affectiones sibi succedunt, unde rerum extra nos positarum mutationes, tum quoque cum nobiscum aliqua eorum coniunctio intelligitur, nobis non statim ipsis mutationem inferunt, nisi in vocabulis, v. c. cum pater fias, creatis liberis. Atqui hinc principibus philosophis visum est, monere, novas Dei erga mundum conditum relationes non omnino adversari constantiae ac perennitati naturae divinae. Iam primum si Deum aliquem fingas, in quo varia sibi succedant: aut in melius mutatur, aut in peius: Quodsi in melius, iam vix eum agnoscam divino nomine dignum, qui ad meliorem fortunam progrediatur ac sic quasi Deus *fiat*: sin autem in peius mutari dixeris, o miserum illum, quem periculum est, ne videamus denique maiestatis suae vel minima particula orbum. Accedit scripturae autoritas, quae fere aliena a Deo iudicat omnia, e quibus nos temporis rationem petimus ac durationem et mutationes finimus. *Moses* quidem, postquam coepisse Deum ac mori negaverat, *Ps.* 90, 6. negat quoque successionem: *mille anni sunt tibi dies hesternus, aut trihorium nocturnum*, cuius placido somno evo-

evolantis nullam omnino durationem ſentimus. Ampliſſima periodus Deo breviſſima eſt, i. e. nulla. In eandem ſententiam *Petrus* 2 *Ep.* 3, 8. 9. *Nolim vos latere*, inquit, *Deo mille annos unum eſſe diem unumque diem mille annos*, i. e. effectus promiſſorum divinorum poſt ſeculorum decurſum aeque ſperari poſſe, ac hodie, neque ideo abiiciendam eſſe ſpem, etiamſi diutius protrahantur, nam id, quod nobis maturius vel ſerius evenire videatur, non ita eſſe, ſi ad Deum referas. Itaque dies annosque vertentes ac ſecula elapſa nos quidem numeramus, quod longe aliud eſt in natura divina. Audiamus quoque, quem hoc loco laudant, *Iacobum*, *Cap.* 1, 17. cuius metaphora recondita ſenſum fere impedit. Nempe monentur Chriſtiani doctores, ſapentiae verae ſtudioſi (v. 5.) ad Deum omnis ſcientiae coeleſtis (vid. 3, 15.) autorem confugere. *Omne beneficium verum ad nos venit ab autore omnium doctorum*, (is enim πατηϱ των φωτων, אבי אור. Nam אור et Φως quis neſcit tum de *veritate*, λογω αληθειας, 2 *Cor.* 4, 6. *Col.* 1, 12. 1 *Pet.* 2, 9. 1 *Iob.* 1, 7. tum de *doctoribus* dici *Iob.* 1, 8. 9. 2 *Cor.* 4, 6. et *patrem* hebraei ſapientiſſime dicunt *autorem*, conditorem, ſicut et *Horatius* Od. 1, 10, 6. Apollinem *lyrae parentem*, i. e. inventorem vocat) *apud quem nulla plane eſt converſio vel umbra mutationis.* (Hanc verborum, παϱαλλαγη και αποσκιασμα τϱοπης ſententiam *Suidas* praeivit, qui exponit αλλοιοσεως και μεταβολης ιχνος και ὁμοιωμα φαντασιας vide et WOLFII *Cur. ad h. l.* Nempe παϱαλλ. et τϱοπαι aëris *mutationes* et *varietates* dicuntur, cum coelum ſerenum tempeſtatibus involvitur et limpido aëri umbra nubecularum (quas et ipſe *Aquila Iob.* 37, 18. τϱοπας dixit,) invehitur. Plane parallelon *Iohannis* 1 *Ep.* 1, 5. dictum: ϑεος Φως εϛι *limpidiſſima lux*, και εν αυτω σκοτια ȣκ εϛι, *omnis umbrae*, omnium tenebrarum. *expers:*

pers: veritatis purissimae custos et autor, ab omni erroris periculo immunis, *qui et ipse ad veritatem, quam tenemus, nos deduxit* ac in nobilissimam conditionem recepit (ἀπεκυησε ἡμας) per doctrinam evangelii et s. p. Quare patet, vix ex hoc loco demonstrationem certam immutabilitatis divinae desumi. Alia loca constantiam decretorum Dei firmant *Malach.* 3, 6. *Rom.* 11, 9. *Prov.* 19, 21. *Ps.* 33, 10. infra tractanda.

Obs. 4. Hinc quoque pendere videtur *aseitas*, quam vocant, et *independentia*, dum nullam sui causam extra se agnoscat Deus, *Act.* 17, 24. (qui huc referunt formulam ζωην εχειν εν ἑαυτῳ *Iob.* 5, 26. vix probantur. Nam eius vis est: Deus omnis vitae autor existit. coll. v. 25. et infra §. 106. Obs. 1.) nec a rebus externis vel existendo, vel agendo *Rom.* 11, 33 *sq.* pendeat.

§. 81.

Alterum attributum.

Spiritualitas.

Spiritu vel substantia vi intelligendi liberaque voluntate praedita, quia nihil nos nobilius cogitamus, atque effectus, quales ab alia quam spiritus, vi minime venire intelligimus, per creatorem et rectorem mundi productos admiramur: utique tenemus, Deum *spiritum* esse *Iob.* 4, 24. atque vi et *affectionibus* spiritus eminere, *a materia liberum*, *invisibilem*, *Rom.* 1. 20. 1 *Tim.* 1, 17. αφθαρτον. *Rom* 1. 23.

Obs. 1. Dicendum paucis de notione vocis רוח et πνευμα in sacris literis, quam nuper etiam *Ios.* PRIESTLEY *disquisitions relating to Matter and Spirit* (Lond. 777.) concutere annisus est. Atque cum prima semper significatio vocis

vocis a sensibus incipiat, dubitari nequit, quin hebraei cum graecis et latinis *ventum*, aërisque commotiones, ipsumque *aëra* ac oris nostri *halitum* רוח spiritum dixerint, vide *Ps.* 104, 30. Similiter רוח פה *halitus oris divini* i. e. verbum, effatum per anthropomorphiam Deo tribuitur, *Ps.* 33, 6. *Iob.* 33, 4. *Es.* 11, 4. 2 *Thess.* 2, 8. estque symbolica descriptio potentiae divinae, quae verbulo s. iussu mero creare, perdere et s. p. possit. Post רוח ipsa *vita*, cuius tutissima indicia habemus in respiratione et halitu. cf. *Ps.* 104, 29. et supra *Ier.* 10, 14. (§. 80. Obs. 1.) et *quidquid sentiri oculis non potest*, a materia firma ac crassa, vel etiam omni, subtilissima quoque, liberum. Hinc בשר et רוח disiunctorum vi gaudent. Denique cum omnium hominum, naturae subtiliore quadam scientia destitutorum, sensus et oratio constanter haec esse soleat, ut quidquid in rerum natura motu et agitatione perfici vident, id caussis externis tribuant, vim, motus effectricem, sed *invisibilem* ac ignotam, spiritum dicere consueverunt. Itaque primum vitae nostrae quasi principium, cuius vi corpus animetur, moveatur, concitetur, spiritum dixere *Eccl.* 8, 8. 12, 7. post, si quando vel motu vehementiore sensus agitari hominemque res a vulgarium hominum ingenio et virtute alienas perficere intelligerent, vel universi huius partes moveri, flecti ac gubernari viderent, id a spiritibus venire iudicarunt: denique Deum ipsum, cuius vis utcunque ex operibus conspicua minime cadit in sensus humanos, non veriti sunt רוח appellare. Alia alio loco deducemus.

Obs. 2. רוח יהוה, *spiritus Iehovae* frequens est *periphrasis* Numinis, velut illud apud poëtas βιος Ηρακληος i. q. Hercules: cf. *Ps.* 139, 7. Porro significat *vim divinam*, quae tum rerum corporearum (*Gen.* 1, 2.) tum mentis (2 *Sam.* 23, 1. 2.) motus excitat, qui et ipsi συνεκδοχικως *spiritus*.

ritus divinus, πνευμα dicuntur. Nec tamen alienum est ab usu scripturae sacrae, vim illam *internam*, qua Deus cognoscit ac decernit, eo nomine insignire, ut *Es.* 40, 13. cf. omnino DATHII V. C. *not. ad Glass. Philol. S. p.* 819.

Obs. 3. Liberum ab omni compositione, materia ac corpore, vel subtilissimo Deum declarat Iesus *Ioh.* 4, 24. *coll.* 20. 21. dum numen loco circumscribi, et *Esaias Cap.* 40, 25. ubi eiusdem imaginem describi posse negat. Adde Paulum *Rom.* 1, 20. Corporum denique concretionem aut dissipatio aut interitus consequitur, quod utrumque a Deo alienissimum. (v. §. 80). Ceterum fuerunt aliquando, qui propter locos scripturae, in quibus Deo attribuuntur membra, ut os, oculi, brachium, manus, et s. p. et homo ad Dei imaginem dicitur conditus, suspicati sunt Deum esse corporeum. Huius erroris *Ebionitae Sec. II.* (*homil. Clement. XVII. p.* 732. *Habet Deus formam — et omnia membra*) post *Sec. IV. Audaeus*, Syrus, *Audaeanorum* vel *Anthropomorphitarum* autor, et plerique Aegyptii monachi rei fuere, (v. EPIPHANIVS *haer.* 70. *et Ioh. Iacob.* SCHROEDER *de haeresi Audianorum ac I.* VOGT *de Audianismo ante Audaeum in I.* VOGT *Bibliotheca historiae haeresiol. T. I. P.* 3. *p.* 574 *sqq.*) atque multi adhuc extant, indocti maxime, quorum ingenium tenue vix capit simplicitatem et imaginibus publice propositis ad errorem deducitur. Sed ex illis locis parum tuta ducitur conclusio. Nam iis scriptura sacra tantum συμβολικως loquitur, ut *Io.* DAMASCENVS *de F. O. L. I. c.* 12. (*p.* 1444. *sq. T. I. ed. le Quien*) ait, et declarat, Deum pro sua potentia omnes eiusmodi actiones perficere, quae ex usu membrorum et sensuum humanorum profluunt. Igitur os notat mandatum, oculi et aures scientiam actionum et sermonem, manus virtutem, cor animum. vide GLASSII *philol. sacram L. II. Tr.* 1. *c.* 7. *p.* 921. *ed. Dathii.*

Dathii. Dei insuper imago non elucet corporis lineamentis, sed animi praestantia et potestate in creaturas. Dignae quoque sunt, quae expendantur CICERONIS disputationes *de natura Deorum L. I. c.* 27 *sq.* cum refellit rationes, quibus docere velint, humanas esse formas deorum: v. c. *quod ita sit informatum anticipatumque mentibus nostris, ut homini, cum de Deo cogitet, forma occurrat humana; ut quoniam rebus omnibus excellat natura divina, forma quoque esse pulcherrima debeat, nec esse humana ullam pulcriorem: quod nulla alia figura domicilium mentis esse possit,* et s. p. Sunt porro loci alii, qui fere suspicionem movent materiae infinitae similem Deum reperiri v. c. *Es.* 66, 1, 40, 15. sed in his non est nisi magnitudinis et omnipraesentiae notio. Neque patres ecclesiae θεον ασωματον semper docuere. ORIGENES quidem περι αρχων L. I. p. 667. etsi θεον ασωματον esse graviter defendat, *Scio*, inquit, *quoniam conabuntur quidam secundum scripturas nostras Deum corpus esse adserere*, negatque (praef. libri cit.) *in praedicatione publica manifeste designari, an Deus alterius naturae sit, quam corpora sunt.* Satis celebre in hac disputatione TERTVLLIANI nomen ac dictum *adv. Praxeam c.* 7. *Quis negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie.* MELITONEM quoque, *Origenes* ap. THEODORET. *qu.* 20. *in Exodum* tradit, Deo aliquid corporeum tribuisse. Sed post aliorum studia nuper *Ioseph. Ant.* CANTOVA singulari libro apologiam Tertulliani patrumque reliquorum instruxit (*de Septimio Tertulliano et S. Epiphanio diss. theol. crit. in quibus Anthropomorphismo neutrum laborasse ostenditur, Mediolan.* 773. 8.) monuitque, *corpus* patribus dici *substantiam* permanentem, et veram, vel potius, nisi me omnia fallunt, *individuum*, v. c. cum *Tertull. de carne Chr. c.* 11. ait

omne,

omne, quod est corpus, est sui generis, nihil est incorporalè, nisi quod non est. et al. Nostro quoque aevo HOBBESIVS (*Leviathan append. c. 3. p.* 360.) substantiam divinam corpus vocat, quod utrum paradoxias studio an erroris audacia fecerit, ambigo. *Priestleyum* etiam legimus materia quadam subtilissima Deum vestire (l. c.), scilicet, ne rerum corporearum divinaeque naturae coniunctio impediatur. Quid igitur censes, spiritum, nisi corpusculi adiutorio nihil posse efficere? et, qui purus ab omni materia vivit agitque, eum ab omni commercio cum rebus visibilibus excludis? At si mentis motus nonnisi vehiculo quodam materiali in corpus nostrum transire concedam, tamen non audeo dicere, non alium esse spiritum, qui purus a materia, cui semper fere labes inhaeret, vi sua et voluntatis suae nutu regere atque agitare omnia valeat. Sed de his philosophi disquirant, qui si naturam, ab omni materia secretam ac puram, *simplicem* appellare iubent et *atomum*, simplicitatem naturae divinae constare et Deum atomum dici posse, non fateor solum, sed etiam facile patior.

Obs. 4. *Invisibilem* Paulus testatur *Rom.* 1, 20. 1 *Tim.* 1, 17. *Col.* 1, 17. Hinc quoque nullum eius simulacrum fingi pingive poterit. *Exod.* 20, 4. *Es.* 46, 5. Quando igitur figura quadam humana vel alia indutus apparuit: nec ea vera nec perpetua fuit divinitatis forma. Neque Mosis honor, quem Deum *de facie ad faciem* intueri dignatum fuisse tradunt literae sacrae, nec spes, quam nobis faciunt videndi olim in vita aeterna Deum, 1 *Ioh.* 3, 2. contrariam sententiam tuetur, nam sub his formulis familiaritatis notio ac amicitiae latet. *Genes.* 32, 31. *Ezech.* 20, 35. *Deut.* 5, 4. 1 *Cor.* 13, 10.

Obs. 5. Ἀφθαρτον, qui corrumpi ac destrui nequeat, morti nulli obnoxium, itidem Paulus *Rom.* 1, 23. profitetur Deum, quod secus est in creaturis, φθαρτοις, mortalibus.

Obs.

Obs. 6. Vt largiamur, Deum esse substantiam spiritualem, necessum tamen est multis parasangis excellentiorem eam existere, quam est substantia nostrorum animorum vel quarumcunque creaturarum. Neque enim Christus, docens Deum spiritum esse, voluit praecipue docere, quid simpliciter Deus, sed potius, qualem cultum exigeret, internum maxime, qui ex spiritu et corde hominis proficiscitur. Officii itaque nostri erit, animo colere numen et, quidquid suspicionem facit Dei corporei, quantum fieri possit, tanto quidem studiosius semovere, quanto videmus propensissimos homines, ad lineamenta atque formam Deorum humanam adumbranda.

§. 82.

Affectiones huius attributi.

Vis Dei, quae virtuti mentis nostrae analoga videtur, *actuosa* semper, sed *infinita* ac *immensa est*: *actuosa*, dum nullo non momento agit: *infinita*, quae nullis limitibus circumscribitur; *immensa*, cuius modum ac magnitudinem nequeamus vel verbis exaequare vel animo concipere.

Obs. 1. Recte igitur nostri monuere, vim spiritus divini *actum* esse, non *facultates*.

Obs. 2. Cum *infinitam* dicimus vim divinam, omnes limites tollimus et summam, tam ambitu suo quam effectu, concipimus. Itaque βαθος admiramur σοφιας et γνωσεως *Rom.* 11, 33. 34. Scripturae sacrae *infinitum* eleganter describunt, dum, quidquid summum et extremum et immensurabile videtur hominibus, id cum adfectionibus divinis componnnt. vide *Ps.* 36, 6. 7. 103, 11. *Iob.* 11, 8. 9.

Obs. 3. Si denique *quantitatem* virtutis divinae exigamus, nihil est in universa rerum natura, cui conferri et ex quo summa quaedam reperiri queat: et, quantumcunque animo

mo iudicemus eminere Deum, nihil tamen occurrit, ex quo ſine periculo tentari poſſit maieſtatis huius magnitudinem aeſtimare, v. *Pſ.* 145, 3. *Pſ.* 147, 5. *Eſ.* 40, 14. 15. 25. 26.

§. 83.

Explicatio.

Sed quia vis ſpiritus humani maxime elucet *intellectu* et *voluntate*, et intelligendi facultas exercetur tum ſcientia tum iudicio de rebus cognitis: utramque virtutem haud nefas ſit Deo tribuere, et *primum* de *vi intelligendi* i. e. de *ſcientia* et *ſapientia* divina, *deinde* de *voluntate* divina eiusque affectionibus, quantulum licet nos cognoſcere ac ediſſerere, exponere tentabimus.

§. 84.

a) Scientia Dei.

Scientia quidem vel cognitio Dei tum *ambitu* ſuo omnia amplectitur (*omniſcientia*), tum *modo* noſtram ſcientiam mirum in modum antecellit.

Obſ. Autores ſacri utuntur vocibus ידע, γινωσκειν, ראה ἰδειν, ακουειν, חקר ἐρευναν.

§. 85.

α) Ambitus.

Nos quidem multitudinem ingentemque varietatem rerum, quas Deus intelligendo comprehendit, ne cogitando aſſequi valemus: *Eſ.* 40, 28. *Pſ.* 147, 5. *Rom.* 11, 33. hoc tamen tenemus, nihil ne cogitari quidem poſſe, quod Deum lateat: eumque non modo ſe intueri 1 *Cor.* 2, 11. (ſcientia *neceſſaria*), verum etiam res omnes et ſingulas (ſcientia *libera*), quae vel extitere vel exiſtunt, vel olim eventurae ſunt: *Pſ.* 139, tot. *Matth.*

Matth. 6, 26 sq. *Es* 48, 4-8. vel etiam evenire possent, (scientia *simplicis intelligentiae*, cuius species est scientia *media*.)

Obs. 1. Ne ipsa mole opprimatur humana mens, rerum intelligibilium quasi classes distribuit, quae intelligentiae divinae obversantur. Nempe eae sunt *vel* Deus ipse, 1 *Cor.* 2, 11. qui unice, quis, quantus sit, quidnam quave ratione agat, certissime noscit: (Hanc scientiam *necessariam* i. e. entis necessarii, vocabulo minus commodo dixere:) *vel* res aliae, *aut* quatenus fieri *possint*, etsi *nunquam* existant, (scientia *simplicis intelligentiae* i. e. ea, quae quasi haeret unice in intellectu, nullo volendi actu adiuncto, a qua parum differt scientia *media* i. e. earum rerum, quae sub conditione, etsi praesumta tantum animo, nec unquam existente, eventurae fuissent): *aut* quae revera existunt unquam pro voluntate divina (scientia *libera*, vel *visionis*) sive praeteritae, (*reminiscentia* divina) sive *praesentes* (*visio* divina) sive *futurae* (*praescientia.*) Sed omnis illa divisio rationis tantum est humanae et vocabulorum.

Obs. 2. Scientiam Dei *naturalem* comprobat Paulus 1 *Cor.* 2, 11. Neque sine conscientia sui beatus dici posset Deus nec perfectus, si in domesticarum, ut ita dicam, virtutum cognitione peregrinus ac hospes, rerumque tantum exterarum intelligentia excellens reperiatur.

Obs. 3. *Intelligentiae simplicis scientiam* sunt, qui a scientia necessaria diversam esse haud opinantur, alio παιδειας τροπω: usus tamen et ratio nominis postulat, ut simplicis intelligentiae nomine excludamus conscientiam sui, quae numquam in simplici intellectus agitatione subsistit, sed voluntatem quoque adficit divinam. Hanc si negamus, frustra statuimus sapientiam, quae sine delectu i. e. iudicio de re inter plurimas possibiles optima, ne concipi quidem potest.

rest. *Mediam* scientiam nonnulli *conditionatam*, melius alii de *futuro conditionato* appellarunt. Originem nominis a *Petro Fonseca*, frequentiorem eius usum in theologia a *Fr.* MOLINA repetimus, qui, cum celebris de concordia gratiae cum arbitrio hominis libero controversia magna animorum concitatione ac subtilitate agitaretur, hac divisione graves contra Augustini dogmata, praedestinationis absolutae errore corrupta, dubitationes resolvere tentavit, in l. *de concordia providentiae et gratiae divinae cum libero arbitrio hominis* (Olyssip. 1588). Atque rem ipsam confirmant tum vis mentis humanae, quae cum saepe cernat eventus, posita quadam conditione, futuros, temerarium sit, non analogon aliquid in ipsa divinitate statuere, tum scripturae sacrae exempla 1 *Sam.* 23, 5 *sq. Matth.* 11, 21 *sq.* v. *Fr.* ANNATI *scientia media contra novos eius impugnatores defensa. Paris.* 1692. 4. Neque ea res patribus ignota aut dubia fuit, v. c. GREGOR. *Nyssen. de morte praematura infant.* Verisimile est, inquit, eum, qui id, quod futurum est aeque atque praeteritum cognovit, progressum vitae infantis prohibere, ne, quod vi praescia malum animadversum est, in eo, qui ita victurus fuisset, perficiatur. v. et AVGVSTINVS *de dono perseverantiae c.* 9. Quamquam non opus est his speculationibus vel ad defendendam iustitiam divinam, vel ad componendum animum humanum, tutiusque tenetur, quidquid non fit, id non sine numinis providentia frustrari spem humanam, omnesque eventus, quotquot esse possunt, per sapientiam regi, quae nec conditionem voluit, nec effectum, *hac* conditione obtinendum' v. *Ioh. Ad.* SCHERZER *diss. ad salvatoris oraculum Matth.* 11, 21. Lips. 666. (*in fascic. diss. n.* 2.)

Obs. 4. Quodsi ea tantum tractare fas est religionis capita, quae sunt in regendis moribus efficacissima atque pietatis sensus colunt et agitant; maxime omnium commenda-

tur

tur doctrina de *scientia* Dei *libera* vel cognitione rerum creatarum, ac nostrarum inprimis, in quibus neque hominum ullus, nec quidquam, quod est in homine, obscurum Deo et latens existimatur. Reputemus hoc loco primum Davidis, cum hac in re versatur, elegantias ac imaginum copiam et dignitatem *Ps.* 139. *Tu Deus me perscrutaris ac noscis. Tu sive sedeam, sive surgam* (omnes motus corporis): *tu cogitationes* (animi motus) *remotas intelligis. Tu cernis* (זרה hebraeorum, quod est *ventilare*, *secernere*, non dubito, quin eundem tropum admittat ac latinorum *cernere*, i. e. cognoscere) *ambulantem me*, *et cubantem* (sive agam, sive dormiam): *et omnes actiones* (דרכים *viae*, quidquid fit ab homine, universa vitae ratio) *cogitas* i. e. cognoscis. (סכן proprie est *cogere*, *coagitare*, unde ad cogitationes seu animi motus transfertur. En Deum omnium actionum humanarum testem! Sed nec verba latent.) *Nullum verbum haeret in lingua mea, tibi ignotum. Tu me ab utroque latere* (אחור וקדם) *cingis; tu me ubique prehendis ac tenes:* nullibi possum effugere vel latere. *O admirabilem mihi intelligentiam! et sublimiorem*, *quam ut adsequi valeam! Quo abeam a spiritu tuo?* (vide §. 81. Obs. 2.) *quo me a conspectu tuo recipiam? Si coelum versus proficiscar: en te praesentem! sin ad orcum demittar: ecce te! Sive auroram versus evolem*, (lege כַּנְפֵי favente contextu et versionibus Alexandrina ac Syriaca), *sive ultimum mare* (occidentem) *habitem: ibi quoque manus tua me ducet et dextera tua me apprehendet.* (ne remotissimus quidem locus me occultat.) *Si dixerim* (optaverim!) *utinam tenebrae me obumbrent* (ישופני fere pertinet ad נשף, unde נשף *crepusculum*) *et lux, qua circumdor, vertatur in tenebras! tenebrae tibi non tenebrascunt et nox diei instar fulget: lux et tenerbae pariter habentur.* (nocturnas quo-

que actiones, quae testem humanum per tenebras fallunt, cognoscis). *Tu intestina mea tegis* (uti supra v. 5. קנה est tegere v. et *Ps.* 74, 2.): *tu protector meus in utero* (embryonis quoque statum vitamque intelligis ac tueris). — *Non latuit te corpus meum, cum tegerer loco abscondito* (utero, vide de h. l. *Scholia nostra*) *et formarer in illo sepulcro. Tu me vidisti involutum adhuc* (membranis uteri): *libro tuo definiti fuerunt dies vitae meae; observati fuerunt* (נצר *custodire*, uti b. *Zachariae*) *antequam primus eorum adesset.* (Habes futurorum cognitionem certissimam.) *O quam gravis et veneratione digna est intelligentia tua! o Deus! quam grandis summa eorum! quodsi dinumerare velim: arenam numero superant* (infinita cognitio). *Si ad finem pervenisse persuadeam mihi: adhuc tecum sum.* Nunquam absoluta et perfecta cognitio suppetit de vi intelligendi divina. Consentiunt plurima loca alia, quae Deo tribuunt scientiam rerum omnium 1 *Ioh.* 3, 20. *Ebr.* 4. *ult.* παντα τετραχηλισμενα *omnia aperta sunt.* (v. ad h. l. MICHAELIS in *Commentario*): astrorum (*Es.* 40, 26. *nomine distinguit* i. e. intime novit) animalium *Matth.* 6, 26. 10, 29. hominum singulorum, qua eorum fata, *Matth.* 6, 32. qua consilia arcana animi *Ier.* 11. 18—20. 17, 9. 10. *Ps.* 7, 10. 94, 11. 1 *Reg.* 8, 39. suspiria ac lacrymas *Ps.* 56, 9. 10, 14. 17. bona facta ac prava 1 *Pet.* 3, 12. *Prov.* 5. 21. Atque hanc absolutissimam Dei scientiam postulat tum creatio mundi, quem conditori suo nefas est peregrinum putare, tum regimen rerum omnium, quod sine cognitione ne concipi quidem potest, tum iustitia, quae quomodo digna cuique operibus consiliisque praemia tribuere poterit, nisi certissima eorundem notitia instruatur? Sed his notitiis Deum solum ornari atque eminere, iudicat *Ieremias* 17, 9. 10. et *Ps.* 94, 11. *Futu-*

rorum

rorum scientiam, quatenus pendent ab arbitrio et consiliis hominum, fuere, praeter Scholasticos, *Socinus* (*Praelect. theol. c.* 8—11. *p.* 26 *sq.*) et asseclae, qui oppugnare auderent, praeeunte *Cicerone de divinat. L.* 2. *Nihil est tam contrarium rationi et constantiae, quam fortuna, ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniret: Sin certe eveniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna: rerum itaque fortuitarum nulla est praesensio.* Sed nihil fere artibus sophisticis efficitur. Fortuna quidem, quam tantopere iactat, casus videtur et fortuitum hominibus, quibus praesensio nulla: Deum autem quo minus dicamus fortunae subiici atque casibus falli minime posse, quid impedit? Recte sentis, philosophe, si Deus scit, certe eveniet: nec ideo eveniet, quia Deus scit, sed quia minime fallax de consiliis humanis iudicium ferre consuevit. Equidem si Deum ab omni mutatione alienum statuam (§. 80. Obs. 3); si literis sacris fidem haberi necesse est, praescientiam Dei gravibus argumentis defendi existimem. Primum ob autoritatem testimonii divini *Ps.* 139, 16. [*Act.* 15, 18. non ausim hoc loco proponere, per lectionis varietatem et ambiguitatem, quam vix alio loco maiorem reperio]. Deinde recte TERTVLLIANVS *L.* 2. *adv. Marcion. Praescientia Dei*, inquit, *tot habet testes, quot facit prophetas.* Videmus quoque *Esaiam*, ut demonstret vim atque maiestatem Iehovae, Dei summi, prae reliquis laudare scientiam futurorum contingentium, quae ne suspicari quidem propter novitatem poterat mens humana, *Cap.* 41, 26. 44, 8. et inprimis 48, 4—8. ubi vide *notas versioni nostrae subiectas.* Denique res ipsa docet futurarum rerum scientiam pendere a praesentium intuitu ac distincta animi humani cognitione. Solent, qui hominum status ac consilia noscunt, saepe haud

vanis indiciis augurari, quemnam eventum, quaenam fata, habitura ſint. Multo itaque magis Deus, cui aperta omnia, praeſentia ac dilucida, futurarum rerum tenebras diffundet. Quemadmodum autem ſi quis vir prudens et experientia multa edoctus iuveni probo ac diligenti praeſagiat munus inſigne, vel belli paciſque fortunas definiat, quae fere pendent ab arbitrio hominis, ac minime fallatur: haud is praeviſione ſua neceſſitatem inducat his rebus nec efficiat, ut aliter fieri nequeant: ita nec Dei praeſcientiam puto, tollere hominis arbitrium fortuitosque caſus, in quibus cernitur voluntatis humanae libertas, mutare in neceſſarios At enim, inquis, ſecus evenire non poſſunt, ac Deus praevidit: habemus enim Deum falli neſcium. Recte ſentis: at anne tu Dei infallibilitatem, quam vocant, cauſam eventus certi ſtatuis? Concedi tamen mihi poſtulem, ut, ſi actiones habeant hanc conditionem ac naturam, ut nos nulla vi externa ad eas compelli ſentiamus, pendeantque a rationibus in mente noſtra ſubductis, poſſimusque diverſa et capere conſilia et exequi, ut, inquam, in his animi noſtri libertate utamur, quae, ſi alia decreviſſet, certe alia praevidiſſet Deus καρδιογνωστης, iam cum *ſic* agere conatur, *ſic* rerum omnium teſtis omniſcius eventurum praeſcivit. vide IERVSALEM *Betr. über die Rel. T. I. p.* 61—63.

Obſ. 5. Tenendum denique, ne ambiguitate vocum decipiamur, voces *cognoſcere* (γινωσκειν, ידע), *recordari* (αναμνησκειν זכר, cui opponitur *oblivio*) metonymice ſaepius uſurpari in ſacris literis et emphatice. γινωσκειν quidem ſaepius vim habet *amoris*, beneficentiae et familiaritatis adiunctam, ut מידע *amicus*, *familiaris* eſt *Pſ.* 55, 14. v. c. *Pſ.* 1, 6. *Matth.* 7, 23. et εγνωσμενοι θεου 2 *Tim.* 2, 19. et *Gal.* 4, 9. *diligentes Deum*, *magis vero dilecti a Deo*, *familiares Deo.* Sic et *Prov.* 12, 10. graeci ver-

vertunt γινωσκει, ubi alii reddunt οικτειρει. Cum *reminiscentia* Deo tribuitur, significatur, Deum *opitulari* ac opem ferre, post neglectas quasi i. e. minus faventes res humanas, *Gen.* 8, 1. benevolum animum luculentis factis demonstrare, *Ps.* 115, 12. *Act.* 10, 4. ac animadvertere in crimina hominum. *Ps.* 25, 7. Quae si minus luculenter fiunt, ac sperat humana indigentia vel sapientia, *oblivionem* Deo tribuit, v. c. oblivio peccatorum i. e. omissa punitio.

§. 86.

β) *Modus scientiae divinae.*

Illud quoque debet esse persuasum, multis nominibus antecellere scientiae divinae *modum formamque* imbecillitatem nostram, cui non opus sit acquirere notitias novasque formare rerum ideas, (*simultanea* scientia): cui nihil sit vitii vel erroris admixtum (*verissima*): nihil confusum vel obscurum (*distinctissima*): dubium nihil vel ambiguum (*certissima*).

Obs. 1. Ex quo consequitur, *primum* ut scientia Dei nec imaginandi, nec recordandi, nec ratiocinandi necessitatem relinquat. His enim adiumentis nos a notis progredimur ad ignota et novam veritatem indagamus. Deinde, ut *ideas*, quas generales vocant vel *abstractas*, renuat omniscientia divina; nam qui rerum individuarum cognitione pollet ac singularum, si dicere fas est, nomen distinguit, illi non opus est, universitatem generis unico amplecti verbo. Qua de re acute disserentem legas A. G. KAESTNER *Vorles. vvie die allgemeinen Begriffe in dem goettlichen Verstande sind*, in l. *Einige Vorlesungen* (*Altenb.* 768. *p.* 14. *sq.*) cf. et *G. Bernh.* BILFINGER *dilucidatt. Philos.* §. 420. *p.* 476.

Obs. 2. Hoc autem immensum βαθος του πλουτου της γνωσεως του θεου (*Rom.* 11, 33.) quam deprimit

tum sapientiae humanae fastum, quae divina consilia tenuitate sua non erubescit metiri, tum vanos ausus, tegendi crimina sua et virtutis specie involvendi! Contra quantum animo puro et ingenuo venerari decet Deum, testem factorum consiliorumque omnium acutissimum, doctorem, si quis unquam, infallibilem, rectorem fortunae nostrae, sive secundae, sive adversae, conscium! quam tolerare adversitates, saltim Deo haud inscio, incursantes: atque acquiescere, dum cognitionem divinam nostra meliorem esse persuademur. Inprimis autem omniscientiae divinae memores esse decet, qui poenitentiam agunt seriam, qui iurisiurandi religione semet obstringunt, qui tentationibus implicitos sese sentiunt, denique qui tacitis doloribus anguntur.

§. 87.

b) *Sapientia divina.*

Sapientiae munus duplex cernitur: alterum, ut quis, quid cuique aptum sit, diiudicare ac invenire possit, alterum ut intelligat, qua ratione efficiatur. Numinis itaque dum *sapientiam* admiramur, fatemur, summum artificem ac rectorem omnium absolutissime intelligere rationem salutis rerum creatarum (*fines optimos* habere): et iudicio minime fallaci cognoscere, quae conducunt ad illam felicitatem (*remedia*). Haec vis clarissime demonstratur ex constituto huius mundi ordine et rerum singularum conformatione, *Proverb.* 8, 22 *sq.* *Ps.* 104, 24. sacrisque literis 1 *Tim.* 1, 17. *Rom.* 16, 17. 11, 33. *Iob.* 12, 13.

Obs. 1. Interdum sapiens dicitur in sacris literis, quicunque intelligentia et arte praestat ceteros v. c. *Es.* 19, 11. *Eccl.* 1, 18. itaque Deus ὁ μονος σοφος vocatur, scien-

ſcientia eminentiſſimus 1 *Tim.* 1, 17. *Iudae* 25. Plerumque tamen ſapientum elogio ornantur ii, quibus boni ineſt ſcientia rerumque agendarum peritia et iudicium, quid rectum, aptum cuique rei, optimum ſit. Eam Salomonis ſapientiam admiramur 1 *Reg.* 3, 12. v. et 1 *Cor.* 3, 19. 1, 20. atque, ut diximus, intelligimus, *tum* rerum ipſarum, quae geruntur, ad finem propoſitum atque conſilium bonum apta compoſitione, *tum* conſilii bonitate. Sed de *finibus*, ſeu conſilio, quod Deus ſpectat, non una eademque omnium fuit ſententia; cum alii omnia ad Deum ipſum, alii ad hominum felicitatem referrent: utrique parum apto iudicio. Nam ſi Deum ſua cauſa, propter gloriam et maieſtatem ſuam tantum agere ſtatuas, cave, ne tibi fingas numen, vanae gloriolae inhians: ſi hominum cauſa; iterum cave, ne ipſe vana arrogantia inflatus vel alias res negligere Deum, vel nihil genere humano melius auguſtiusque exiſtere contendas. Indignae ſane vel divina ſapientia, quae plures ſimul fines ſpectat, vel hominis tenuitate voces: omnia, arbores, maria, animalium claſſes innumeras, lunam, ſolem, quin etiam aſtra omnia non alio conſilio produxiſſe atque propoſuiſſe Deum, quam ut nobis inſervirent extaretque inde hominum vita vel ſuavior vel ſecurior. Multo autem magis conſpicuum erit atque admiratione dignum Dei conſilium, ſi omnium rerum creatarum felicitatem, quantum quaeque capit, ſpectat et idoneis rationibus promovet, unde ipſius creatoris maieſtas, benignitas, potentia atque ſumma perfecto clare pateſcit meritoque celebratur. Sed conſilii bonitas, quae caput ſapientiae habetur, excludit primum ſuperfluum omne, omneque noxium; dein poſtulat mediorum delectum eiusmodi, ut aptiſſima ſemper, et maxime efficacia et proxima, porro ſaluberrima, denique pauciſſima, pluribus finibus conſequendis et intelligantur et adhibeantur.

Hinc illa oracula: Deum ire via breviſſima, quod per minora fieri et pauciora poſſit, non facere per maxima et plurima, et legem parſimoniae, quam vocant, ubique ſequi: vera quidem illa et minime dubia, at ſi iam noſtro, id eſt, tenui et fallaci ingenio aeſtimare auſimus, quid breviſſimum, quid minimum maximumve ſit, lubrica et incerta. (cf. REIMAR. *Betracht. über die vornehmſten Wahrh. der natürl. Relig. Hamb. Ed.* 4. 772. *Betr.* 4. 5. *p.* 206.) Copiis enim et deliciis quoque proſpicere, neque tantum neceſſitati conſulere Deum ſcimus atque grati agnoſcimus, neque valde modicam felicitatis communis menſuram auſim ſine iniuria erga Deum definire. In his quoque, quae ſupervacanea putantur, ſemper aliquid additum latet, tam ad artificis celebrandam gloriam, quam ad hominum aliquam et creaturarum, licet occultam, utilitatem. *Si quae*, recte iudicat HYPERIVS *meth. theol. p.* 375. *ſunt, quorum vis nondum eſt explorata: ac voluit Deus illa ipſa extare, quo homines ſolertes in diſquirendo eorum multiplici uſu ſeſe moderate exercerent atque fatigarent. — Praeterea etſi domui noſtrae non ſint neceſſaria, eis tamen completur huius univerſitatis integritas, quae multo maior eſt, quam domus noſtra et melior.* et ſ. p.

Obſ. 2. De dicto Salomonis *Prov.* 8, 22—30. diximus in *verſione noſtra Proverbiorum vernacula* (Ed. 2. 781.) quam qui velit, conſulat. Non enim poſſumus eam vim ingenio noſtro inferre, ut ſapientiam quandam ὑποςατικὴν informemus animo et perſonam, quam poeſis creavit vel confinxit, vere exiſtere perſuadeamur. Ceterum ſcripturae ſacrae ſapientiam nos admirari iubent primum e mundi huius diſpoſitione, ratoque ordine ac arte creaturarum, ſive inter ſe nexarum, ſive ſingularum. *Pſ.* 104, 24. *Prov.* 3, 19. *Iob.* 28, 25. 38. dein ex oeconomia gratiae, quam dicunt, id eſt ex

inſti-

institutis salubribus variisque mutationibus religionis atque ecclesiae. *Col.* 2, 3. ἐν ῳ (μυστηριῳ) παντες οἱ θησαυροι της σοφιας και της γνωσεως αποκρυφοι, *doctrina* de convertendis ethnicis *est promtuarium omnis sapientiae.* vel ut *Eph.* 3, 10. γνωριζεται ἡ πολυποικιλος σοφια του θεου, *immensa et admirabilis sapientia Dei innotuit.* v. KOPPE ad h. l. *Rom.* 11, 33.

Obs. 3. Cognitio finium et consiliorum Dei, quae vel legibus vel gubernatione mundi spectat, *Teleologia* dicitur. Atque haec scientia magnam commendationem habet: ex ea enim huc deducitur homo, ut quemcunque rerum suarum statum esse viderit, boni consulat, firmaturque contra offensiones, e turbidis rebus humanis facile subnascentes, atque pie venerari discit occultas Dei vias: sed cum ea valde ardua sit, cavendum erit ab ingenioli nostri sensuumque illusionibus: ne, si quae aliena sunt ab institutis et consuetudinibus humanis, ea simul a Dei sapientia abhorrere, cogitemus: si quae parum conducere videntur, iudicemus superflua; si quae eventum minus speratum sortiuntur, in hunc unum eventum figamus oculos, praetermissis aliis, probis, utilibus, salubribus. vide I. F. IACOBI *Betr. über die weisen Absichten Gottes, Hannover* 765. 8. *Tomi* 4.

Obs. 4. Affectiones sapientiae sunt, quod sit a) *independens Rom.* 11, 34. τις συμβουλος αυτου εγενετο. *Es.* 40, 13. 14. *Ier.* 23, 18. b) *sublimior*, quam ut eam rimari ac perscrutari possimus. *Rom.* 11, 34. *Iob.* 15, 8. *Es.* 40, 28. Haec sunt illa βαθη θεου, *arcana Dei consilia*, soli Deo aperta 1 *Cor.* 2, 10. quae investigare et persequi frustra tentamus *Rom.* 11, 33. unde fit, ut μωρον του θεου σοφωτερον sit των ανθρωπων, i. e. in quibus institutis desipere Deus videtur, in iis omnium hominum sapientiam longe vincat.

§. 88.

De voluntate divina.

Altera vis ſpiritus, quae cernitur volendo, quia arctiſſime coniungitur cum vi, quae res, prout ſunt natura ſua vel bonae et ſalubres, vel malae atque noxiae, cognoſcit, non dubitamus *voluntatis* quoque actus Deo tribuere cum ſacris literis *Pſ.* 115, 3. *Eph.* 1, 11. ex effectibus quoque conſpicuos et cum ſcientia divina intime coniunctos. Eos, cum multiplex ſit rerum diverſitas circa quas verſatur voluntas, rurſus varie diviſerunt, atque voluntatem *neceſſariam*, quae in ſe ipſum fertur, *liberam*, quae in res alias, eamque *antecedentem* et *conſequentem*, *ordinatam* et *conditionatam*, *efficacem* et *non efficacem* eſſe, neſcio quo inſigni commodo, niſi propter controverſias, ſcholae ſtatuerunt.

Obſ. 1. Ex uſu biblico voces חפץ, θελημα, et βουλη rarius ſunt actus voluntatis divinae, v. c. *Eſ.* 53, 10. frequentius hebraeum חפץ uſurpatur vel de approbatione et amore, *Pſ.* 40, 7. 16, 3. *Ez.* 18, 23. *Matth.* 27, 43. *Marc.* 12, 38. *Luc.* 20, 46. ubi θελειν explicatur per Φιλειν: vel de rebus ipſis, quas Deus vult et legibus ab ipſo promulgatis *Matth.* 6, 10. 7, 21. 1 *Theſſ.* 4, 3. *Hebr.* 10, 36. *Rom.* 12, 2. inprimis βουλη θεου, *Evangelii* periphraſis, *Eſ.* 53, 10. *Act.* 20, 27. *Luc.* 7, 30. Hebraeorum רצון יהוה ευδοκια ſaepiſſime *amorem* 1 *Chr.* 28, 4. *Pſ.* 147, 11. interdum voluntatis *libertatem* ſignificat vel *arbitrium*.

Obſ. 2. Quia voluntas humana ſemper pendet a cognitione et ſalubritate rerum, quae nobis obverſantur, fit quoque, ut cum ſcientiae divinae ambitum per varias claſſes deſcribere tentemus (§. 85. Obſ. 1. p. 255.), voluntatis quoque tot obiecta totque claſſes, quot intelligentiae, eademque fere cognomi-

gnomina statuamus. Itaque actum voluntatis, quae e scientia necessaria promanare concipitur, *voluntatem necessariam* (amorem sui): quae e scientia simplicis intelligentiae, voluntatem *simplicis volitionis* s. *complacentiae*, (nudam velleitatem alii, *Grunerus* voluntatem inefficacem vocant); quae cum scientia libera iungitur, voluntatem *liberam* scholae dixerunt. Atque huic divisioni affinis videtur trita illa in *antecedentem* (primitiva) et *consequentem*, (finalis s. decretoria) iterum a rebus humanis petita. Nempe quemadmodum multa cupimus et probamus, ut per se proba, utilia, salubria, annitimurque ut ea consequamur, et tamen votorum nos damnari patimur ac contraria illis consilia capimus, vel ratione maioris utilitatis habita, vel impedimentis consilium nostrum fragentibus haud pares; ita Dei quoque aestimamus voluntatem probare quaedam per se et separatim, si spectemus, consiliis suis consentanea, quae tamen nunquam existunt, vel quia, si fierent, damnum potius, quam emolumentum afferrent, vel quia a decretis hominum, saepe repugnantium consiliis divinis, pendent, (*voluntas antecedens* s. *primitiva*) alia autem decernere, ut omnino existant (*voluntas consequens* s. *finalis*, *decretoria*). Quidam addunt voluntatem *mediam* eamque ad antecedentem referunt. Quod si quid velit, nulla adiecta conditione, in qua agentis libertati aliquid concedatur, voluntatem *absolutam* dicimus: si habita conditionis ratione, *ordinatam* vel *conditionatam*: eaque dupliciter spectatur, vel cum praestita conditione Dei consilium effectum sortitur, (voluntas *efficax*) vel cum per agentis neglectum secus fit, quam Deus intendit (*voluntas non — efficax*; quae semper antecedens est.)

Obs. 3. Has divisiones omnes, quibus accurate finiendis opus est, peperere tum loca scripturae sacrae, quae varie disserunt de voluntate Dei erga hominum salutem: alia enim eum omnium cupere felicitatem profitentur, alia au-

tem

tem quosdam, neque id ſine voluntate divina, excidere hac beatitudine ſibi deſtinata docent: tum dirae illae controverſiae, de habitu voluntatis et decretorum Dei ad fata hominum, a quinto inde ſeculo exortae, et ſumma animorum agitatione ſuperiori ſeculo cum reformatis quibusdam coetibus renaſcentes. Quae ut componerentur utque tum verborum certamina tum haereticarum opinionum fraudes evitari e undique obiectiones poſſent, quantacunque fieri potuit arte et acumine ſummo eas diviſiones vel excogitarunt vel defenderunt. In quibus voluntatis quidem in *antecedentem* et *conſequentem* diviſio, ſatis antiqua (nam ante DAMASCENVM *de F. O. L. II. c.* 29. CHRYSOSTOMVS *hom.* 1. *ad Ephes.* θελημα προτερον και δευτερον, προηγȣμενον και ἑπομενον diſtinguit) commode retineri poteſt, dummodo idea ſucceſſionis vel mutationis decreti abſit. Sed in conſequente non eſt, niſi facta, prout concipimus animo, applicatio ſententiae generalis ad ſingulos et deſtinatio ſummae eorum beneficiorum, quorum quisque capax habetur. *Abſolutae* voluntatis exemplum ac definitionem *Paulus* offert *Rom.* 9. (de quo vide §. 90. Obſ. 1.) *hypotheticae* ſeu conditionatae *Marc.* 16, 16. Prioris efficacia mere pendet a vi et potentia divina, poſterioris a viribus rerum creatarum et libertate: itaque illi nulla vis reſiſtere poteſt; hanc homines impediunt atque irritam faciunt. Ad hiſtoriam controverſiarum in hoc argumento cf. *Ioh. Iac.* HOTTINGER *Exerc. de volunt. Dei antec. et conſequente in hiſt. de praedeſt. et gratia.* Tiguri 724.

Obſ. 4. Vt verum fatear, *proprie* voluntatis antecedentis et conſequentis, efficacis et non efficacis *nulla* eſt diviſio: nam quaecunque Deus antecedenter ſed irrito velle atque voluiſſe dicitur, reipſa nunquam voluit, nec utut per ſe ſalubria, communi autem felicitati, hoc eſt, Dei conſilio d-

adversa, velle unquam potuit. Neque id mirum cui videbitur, cum privatae felicitatis consilium omnino cedere debeat finibus longe excellentioribus. cf. in hanc disputat. I. G. TOELLNER *kan Gott Endzvveke haben, die er nicht erreicht?* in *vermischten Aufsaezen Saml.* 2. *Art.* 1.

Obs. 5. Addunt quidam novas divisiones voluntatis *signi*, i. e. quae significatur et declaratur, ac *beneplaciti*, consilium, quod Deus revera fovet. Illam *externam*, hanc *internam* quidam vocant: neque id vitiosum iudico. Nam consiliorum divinorum intelligentia, nisi ipsa institutione divina admoneamur, parum certa videtur, nec quum amplissima sint, a nobis, his limitibus circumscriptis, informari potest: itaque pauca tantum scimus, significante Deo. Quodsi tamen reformati quidam coetus repugnare sibi voluntatem *signi* et *beneplaciti* statuant Deumque aliud in ore, aliud clausum in pectore habere defendant: equidem periculum est, ne veracitatem atque fidem Dei amittamus, qua prostrata omnis simul religio fidesque Deo debita corruit. Alii *occultam* a *manifesta*, *seriam* a *non seria*, *legalem* ab *evangelica*, *efficientem* a *permittente* distinguunt; sed eae fere divisiones parum utiles, nedum inanes videntur.

§. 89.

Affectiones divinae voluntatis.

Affectiones divinae voluntatis sunt vel *naturales*, vel *morales*. Ex illis hae eminent, quod sit *libera*, quod *nunquam mutetur*, quod denique *effectum sortiatur* per vim divinam (omnipotentiam) certissimum: ex his, quod *sanctissima* pariter ac *benignissima* et *saluberrima* sit.

§. 90.

§. 90.

a) Naturales.

α) Libertas voluntatis divinae.

Libertatis, quam voluntati vindicamus, natura hoc fert, ut nulla necessitate cogatur nec impedimentis constringatur, cum recta cupere et exequi velit. Quodsi itaque Deus nec cogi possit, ut aliud quam optimum velit vel faciat, nec cum vult, quo minus efficiat, impediri, libera voluntate (ευδοκια) frui et agere iure statuitur. *Ps.* 135, 6 *Matth* 11, 26. Atque *absolutae* voluntatis libertas per se patet, *Rom.* 9—11. neque tamen *conditionatam* subiici rebus aliis dixerim, cum libere velit ac proponat eam conditionem, et voluntas, quanto magis sapientiae legibus regitur, tanto liberior existimetur.

Obs. 1. Si quibus alia libertatis definitio arriserit, nolo equidem in certamen descendere, in materia lubrica neque studiis philosophorum satis explanata. Mihi is libertate frui videtur, qui necessitati cuidam non est subiectus, sive cum decernit, sive cum decreta exequitur. Illam *voluntatis*, hanc *actionum*, si lubet, *libertatem* appellare haud adeo alienum videretur. Illa cernitur, cum, quod quis optimum factu et utilissimum intelligit, id, nulla vi reluctante vel contra nitente, probat: hanc laudamus, ubi quis non cogitur, ut agat, cum non placet, sed nec impediri sese sustinet, quo minus agat, cum lubet, etsi nulla necessaria causa provocetur. Quid ergo? Deum *libertate voluntatis* carere dicamus, qui saluberrima quaeque acutissime dignoscit et, dum fertur ad bona, suis unice viribus fertur? At vero, inquis, necessitati cuidam subiicitur numen, nam en-

tis necessarii non sunt nisi necessarii actus. Recte mones: non potest velle secus, ac leges suae i. e. sapientiae ac benignitatis rationes permittunt. At hoc quasi libertatis summum demiror fastigium, *optime* semper velle et animi, si ἀνθρωποπαθῶς loqui fas est, imperio regi. Quodsi quidem libertatis iacturam nos ideo deploramus, quia saepe fiunt a nobis, quae reprobamus, salubria autem minus arrident: quomodo non liberrime velle Deum existimes, qui scientia certissima et absolutissima praeditus, omnisque erroris plane expers, bonis semper delectatur? Porro in *agendo libertas* patet tum e creatione, liberum enim fuit etiam non creare, tum e rerum creatarum constitutione ac ordine, nulla vi vel arte hominum turbando. Accedit literarum sacrarum autoritas ac declaratio, inprimis Pauli *Rom.* 9 sqq. Hoc quidem loco Apostolus vindicias struit divinas in mutanda veteri oeconomia et transferendis ad ethnicos iuribus et privilegiis, quibus olim Israelitas, Abrami posteros, insigniverat. Has ut confirmet, primum monet, beneficia popularia olim quoque pependisse non a natalibus, sed ab arbitrio divino, nec esse, quod maiores ea iure meritisque suis, vel impleta quadam conditione consecuti fuerint. *Nequaquam filiorum nomine et iuribus utuntur omnes, qui Abramo geniti sunt, sed Isaaco genitos sobolem tuam nomino* i. e. quanquam plures liberos genuerit Abraham, uni tamen prae reliquis promissio divina inhaesit: et qui eodem patre fruebantur, inaequale ius per arbitrium divinum obtinuerunt. *Idem accidit Rebeccae, quae unius, Isaaci, congressu gravida facta, antequam illi* (liberi) *in lucem ederentur aut bene maleque viverent, quo liberum illud decretum divinum maneret, neque ab operibus, vel actionibus hominis, sed a destinatione divina penderet, oraculo divino admonita est: maior minori* (maioris posteritas posteris minoris natu) *subiectus erit. Similiter altero loco: Iacobum dilexi* (beneficiis maioribus ample-

amplexus sum, minoribus Esavum) *Esavum posthabui.* (cf. *Mal.* 1, 2. 3. unde clare patet non describi beneficia personarum sed populorum, non ea, quae vitam futuram, sed quae vitae praesentis fortunam spectant). Tertium exemplum libertatis divinae Moses offert: quod Paulus v. 15. laudat, (*Exod.* 33, 26. cum singulare beneficium expeteret, videre Dei maiestatem.) *Mosi quoque declarat; faveo, cui faveo,* pro lubitu distribuere soleo beneficia mea, qua formula, uti egregie monet KOPPE *ad h. l.* uti solemus, cum vel omnino beneficiorum rationes, etsi iis non destituimur, exponere aliis renuimus, vel inprimis eos, quibus beneficimus, a propriae cuiusdam dignitatis opinione deflectere volumus. *Quae cum ita sint, intelligitur, hominum studiis et nisu nihil effici,* non cogi ne intentissimo studio Deum, ut beneficia tribuat, *sed omnia pendere a benignitate divina. Sic quoque Pharaoni sacer codex dicit: Hucusque te superstitem esse volui, ut maiestatem meam tibi demonstrarem* (Exod. 9, 16.) *et nomen meum per totum regnum inclytum redderetur.* (Habes exemplum arbitrii divini in fortuna adversa rebusque duris decernendis.) *Itaque benignius tractat,* prout haec exempla docent, *quem vult; et durius, quem vult;* (σκληρύνειν est *severius tractare, adfligere, minus clementer excipere,* οὐκ ἐλεεῖν (coll. v. 15.) ex legibus antitheti. v. quoque *Iob.* 39, 16. 19) *Inquies: quid adhuc conqueritur? quisve voluntati eius resistit?* q. d. Iniustum videtur succensere Iudaeis, nulla repugnantia poenas et duriora illa fata promeritis. Sed statim occurrit obiectioni, cum primum monet, in his agnosci debere arbitrium divinum. *Quisnam tu iure ausis obloqui?* (ἀνταποκρίνεσθαι, *contra respondere* et *disputare* cf. *Iob.* 16, 8.) *Dicatne opus figulinum figulo: quare me sic fecisti? Nonne figulus potestate gaudet ex eadem massa aliud vas ad usus honestos, aliud ad turpes formandi?* (Vides fundamentum libertatis et arbitrii divini in constitutione mundi: imperium

Dei

Dei summum et creationem). Deinde nec sine ratione hanc severitatem exerceri docet: *Quid autem? Nonne Deus, cum vellet severitate uti et, quantum possit, demonstrare, multa patientia toleravit homines severius iam tractandos et exitio destinatos?* (Iudaei dicuntur σκευη *instrumenta, materia*, in quam Deus ὀργην, *severitatem*, exercet, sicut in alios ἐλεος, beneficentiam, εἰς ἀπωλειαν κατηρτισμενα, h. e. dum iam exitio destinat et prioribus emolumentis ac iuribus exuit. Ita *Ezech.* 26, 21. εἰς ἀπωλειαν σε δωσω και ἐχ ὑπαρξεις ἐτι *non amplius eris.* Est itaque ἀπωλεια *non hominum singulorum*, quos extorres facit felicitatis aeternae et aeternis cruciatibus damnat, sed *gentis*, quam ab antiquis iuribus excludit. Satis diu tulit Iudaeorum perfidiam: nonne tandem post tot benignitatis documenta liceat potentiae quoque et severitatis specimina edere? praecipue quum illa iterum locum faciant demonstrandae lucullentius benevolentiae. Addit enim:) *et cum prolixam benignitatem* (πλετον της δοξης i. e. χρηςοτητος cf. *Eph.* 1, 12. 14.) *demonstrare vellet erga homines beneficentius tractandos, ad illustria beneficia destinatos*, christiano coetui addictos. Haec quidem satis clare defendunt arbitrium divinum, tum exemplis tum argumentis, in regendis rebus humanis et distribuendis beneficiis externis et popularibus. Atque hac interpretatione, ducta e legibus grammaticis et consilio Pauli, praeciditur ansa abutendi his decretis ad ornandum gravissimum errorem de praedestinatione singulorum hominum ad salutem vel damnationem aeternam per voluntatis absolutae decretum, de qua ne per somnium quidem cogitasset cautus atque peritus interpres. cf. *I. A.* NOESSELT *interp. gramm. Cap. IX. ad Rom. insertam opusc. ad interpr. S. Scr.* p. 125 sq. et KOPPE *ad h. l.* Eodem collineat *Eph.* 1, 4 — 14. *Decrevit inde ab aeterno,*

 prae

prae ceteris hominibus nos inprimis tractare ut sanctos, i. e. nobis honores et privilegia gentis sibi sacrae decrevit, nempe *pro suo in nos amore* (εν αγαπη, quod recte iungit voci προοϱισας Ven. KOPPIVS ad h. l.) *adoptare nos et tractare per et propter Christum tanquam filios pro liberrima voluntate* (*Col.* 1, 19) *ut admirabilem eius benignitatem laudemus, qua nos amplexus est propter Christum — quam liberalissime nobis exhibuit, dum nobis aperiret voluntatem vel consilium, adhuc inter homines reconditum pro arbitrio suo — cuius beneficio nobis quoque adeo felices esse contigit ut destinante eo, qui omnia pro liberrimo voluntatis suae decreto perficit, nos post spem per longum temporis spatium praeceptam, in societatem christianam veniremus.* Iterum repetit ab arbitrio divino et voluntate liberrima destinationem ad christianam societatem Evangeliique auditionem, qua in re absoluta Dei voluntas non minus cernitur, quam in gentium mutationibus et fatis, scientiarum ab una ad alteram gentem translationibus et divitiarum distributione, sapienti quidem illa, sed quae minime necessitati subsit vel consequendi ea beneficia modum ratum praescribat. v. quoque *Iob.* 11, 10. *Es.* 43, 13. 45, 9.

Obs. 2. Quanquam Deus libere semper velit, decernat atque agat, adeoque recte pro arbitratu i. e. pro lubitu agere dicatur, nulla tamen ratione tyrannidem exercet, nec *mero* arbitrio utitur coecove fertur impetu, sed iudicio ex aequo et bono rectus statuit de rebus fatisque et actionibus humanis et rationes semper optimas sequitur, licet nobis haud semper perspectas. Sed haec alio loco, cum de legibus ac institutis divinis disseritur, erunt discutienda.

§. 91.

§. 91.

β) *Immutabilitas.*

Deus non potest dici modo hoc, modo aliud velle, et consilia vel decreta sua quandoque immutare. Nituntur enim intelligentia minime fallaci, minime vitiosa; neque decet constantem Deum animo abrogare, quod semel constituit. *Malach.* 3, 6. *Ps.* 33, 10. 11. 119, 89 *sq. Prov.* 19, 21. *Rom.* 11, 29. 1 *Sam.* 15, 29. [*Num.* 23, 19.]

Obs. Quod si autem in iis, quae Deus semel statuit, mutationem evenire aliquam advertimus, non debemus iudicare, ipsam Dei voluntatem esse in sese mutatam, sed ut mutatio talis in rebus ac mutationibus illis certo tempore fieret, Deum iam ante voluisse. Ac longe quidem aliud est, mutare voluntatem; aliud vero, ipsam rerum mutationem velle. Hinc vero in promtu erit, quid decernendum sit de illis scripturae locis, qui videntur voluntatis divinae abrogationem et mutationem manifestam notare. Quo in genere est, quod poenituisse eum dicatur *Gen.* 6, 7. *Ierem.* 18, 7. quod sententias eius non semper secuta sit executio *Es.* 38, 1. sq. *Ion.* 3. quod iam odisse desinat hominem et rursus amet et similia, in quibus tenere oportet, esse locutiones ab humano more ad Deum translatas. Eae optime declarantur, si μετονυμικως exponas atque, quod in his adfectionibus facere solent homines, id Deum providentia vique sua agere cogites. Quemadmodum igitur homines, cum poenitentia ducuntur, coepta mutant: ita cum ea, quae perseveratura sperabamus, iam pro voluntate divina destruuntur aliamve faciem induunt, Deum poenituisse dicunt sacrae literae accommodate ad humilem humanam intelli-

 gentiam.

gentiam. Quos amamus, ornare beneficiis solemus: odium contrahit beneficia. Similiter in locum odii amorem successisse divinum legimus, si negata olim beneficia prolixa iam voluntate tribuit. Denique saepe solent prophetae voluntatem divinam declarare, nulla quidem manifesta conditionis mentione, tacita tamen et latente, unde omnia ad conditionem et primam voluntatem, quae fuit ab initio, debent referri.

§. 92.

c) *Vis voluntatis divinae, vel omnipotentia.*

Denique ratum habere debemus, quod voluntas Dei efficacissima sit et tanta vi polleat, ut semper effectum sortiatur. Atque haec vis voluntatis divinae, omnia, quae lubet, efficiendi, *omnipotentia* dicitur, quam ut profiteamur, cogit profecto admirabilis illa virtus oculis nostris exposita, qua tum vasta haec mundi machina condita est et per tot secula conservatur, tum singulae res instructae sunt ac compositae, *Ps.* 115, 3. *Es.* 40, 26. 28. *Luc.* 18, 27. 1, 37. *Eph.* 3, 20. 21. *Iob.* 26, 14.

Obs. 1. Graecis δυναμις θεου plerumque est *maiestas divina*, vis divina, עוז יהוה *Ps.* 68, 35. περιφραστικως, *Deus ipse. Es.* 45, 24. cf. *Rom.* 1, 20. et *doxologiam orationis dominicae. Potentiam* autem כח ενεργειαν dixere. *Ier.* 10, 12. et גבורה *Ps.* 89, 14. interdum יד et זרוע. *Esaiae* 59, 1. *Deut.* 32, 39. et alibi.

Obs. 2. Nec igitur voluntas diversa a potentia, sed immensa, admirabilis ac libera voluntatis vis, quae par est decretis suis exequendis. Atque hanc descriptionem praeit vates *Ps.* 33, 6. 9. 115, 3. *Rom.* 4, 17. *Ebr.* 11, 3. (ρηματι θεου iussu i. e. decreto divino.) cf. *Gen.* 1, 2. 3. *Gen.* 18, 14.

Obs.

Obſ. 3. Agnoſcimus atque veneramur in Deo non aliam, quam ſpiritus virtutem, omni virtute corporis longe praeſtantiorem; quare vanae et indignae quaeſtiunculae merito repudiantur: num Deus poſſit ambulare, currere, dormire? quae res impotentiam potius arguunt et infirmitatem, quam virtutem et praeſtantiam. Sed ſpiritus ſummi virtus non fertur, niſi in optima. Recte itaque cenſemus: Deum non poſſe efficere, niſi optima. Neque ideo impotens numen confingimus, ſed digne ſentimus de maieſtate divina. O vere miſellum Deum, qui vitioſum aliquid queat efficere, et vi ſua turpiter abuti? Haud igitur audiendi ſunt diſputatores inepti, qui Deum etiam vere contradictoria efficere poſſe defendunt. vide I. F. COTTA *ad Gerhard. LL. theol. T. I. p.* 169 ſq.

Obſ. 4. Recte dividitur potentia divina in *abſolutam*, dum vi voluntatis abſolutae agit, et *ordinatam*, qua plerumque utitur, dum virtutis ſuae particulam quandam concedit creaturis earumque viribus ac decretis conſilia ſua exequitur. (per cauſas ſecundas). Alii *abſolutam* eſſe volunt, qua Deus poſſibilia cuncta efficere queat, *ordinatam*, qua Deus efficere poſſit, quaecunque velit.

Obſ. 5. *Affectiones* potentiae divinae laudat Scr. ſacra a) *immenſitatem*, quantam nullum capit hominum ingenium *Eph.* 3, 20. 21. ex operum divinorum copia, varietate, ornatu, conſpicuam. Non poſſum praeterire magnificum *Iobi* dictum 26, 14. qui poſtquam laudaverat vim divinam, qua res humanae, tempeſtates, diei noctisque viciſſitudines reguntur et ordinantur, addit: *Haec ſunt fragmenta* (קְצוֹת) *operum eius. Leves ſuſurros de eo audimus*, tenuis eſt noſtra cognitio; *et quis tonitru potentiae eius*, univerſam vim, *intelligat* et ſuſtineat? v. *Scholia noſtra ad h. l.* b) *independentiam. Iob.* 37, 23. [*Dan.* 4, 32.]

Obs. 6. Neque tantum admirari decet potentiam divinam, neque timere, sed laetari de numine, cuius voluntati omnia subsunt, nec ulla res tam perdita vel implicita obvenit, in qua animum despondere debeamus, et cui sustinendae, explicandae, restituendae vis divina impar queat existimari. Caveamus tamen, ne πειραζοντες τον θεον ad virtutem divinam absolutam refugiamus, cum ordinata uti velit, nec ita disiungamus sapientiam a potentia voluntatis, ut, quidquid effici ab eo posse pie confidimus, id semper fidentius speremus. Qua in re multos quoque, dum fidem exercere student, graviter peccare scio.

§. 93.

b) morales.

α) Sanctitas et iustitia.

Amor boni rectique *sanctitas* dicitur: Deum itaque, qui in bona quaecunque fertur ipse et in aliis, quae salubriter agunt, probat, quae male, aversatur, *sanctissimum* laudamus 1 *Pet.* 1, 15. *Ps.* 5, 5. 1 *Ioh.* 1, 5. *Iac.* 1, 13. ac, dum hunc animum legibus et factis, *praemiis* quidem bonorum *Rom.* 2, 6. 7. *Ebr.* 6, 10. et *disciplina* in eos, qui periculis peccatorum implicantur, iam *punitiva* *Deut.* 28, 63. *Rom.* 2, 6-11. 2 *Thess.* 1, 6. 7. iam *παιδευτικη* *Ebr.* 12, 10. demonstrat, *iustissimum*. *Ps.* 145, 17. Sed ea iustitia *universalis* est *Eph.* 6, 7. *a partium studio aliena* *Rom.* 2, 11. et *sapientia* moderata *Es.* 28, 23. *Rom.* 11, 33.

Obs. 1. Primum de voce dispiciemus hebraea קדוש, graeca ἁγιος, cui notionem, quam subiecimus, inesse unquam, plane negavit b. ZACHARIAE *bibl. Theol. T. I. p.* 240 sq. P. *II. praefat.* Lubens equidem concedo, nec valde frequentem nec primam vocabuli potestatem sitam esse in amore boni rectique et vo-

voluntatis affectione; recte enim post alios monet vir beatus, קדוש et ἁγιον dici, *quidquid ad peculiares usus consecratur* et *sacrum* ex usu Latino vocatur, veluti *aedes sacra*, *vestis sacra*, cui opponitur κοινον et טמא, *profanum*, unde ἁγιαζεσθαι dicuntur vasa, personae, vestes, aedificia, numini consecrata, et a communitate quasi disiuncta. Sic Iudaei et post eos Christiani εθνος ἁγιον, *gens Deo sacra* et immunitatibus pluribus clara appellantur, *Exod.* 19, 6. *Eph.* 1, 1. 4. 1 *Pet.* 2, 9. Hinc ad Deum translatum nomen קדוש idem valet ac *venerabilis*, *omni cultu prosequendus Es.* 6, 9. *Hos.* 11, 9. *Ioh.* 17, 11. ἁγιε πατερ, *pater venerabilis*, קדוש ישראל *numen Israeliticis sacrum*, *Es.* 43, 4. *Ps.* 71, 22. קדשים *sanctissimus Hos.* 12, 1. et *sanctificari* i. q. *coli*, honore debito excipi *Es.* 8, 13. 29, 30 *et* ἁγιασθητω το ονομα σου, *numen tuum sanctissime colatur*, *Matth.* 6, 9. Nolim itaque refragari iis autoribus, qui solemnem et usitatam vocis ἁγιος significationem longe diversam esse a vernacula formula, *heilig*, quae morum pietatem innuit, gravibus argumentis ostendunt (vide et G. A. TELLER *Woerterbuch des N. T.* sub voc. *Heilig.* p. m. 226.): concedi tamen vicissim postulamus, notionem, quam supra posuimus, non temere confingi a nobis et ab usu biblico plane abhorrere. *Petrus* quidem satis dilucide vitae sanctimoniam commendat 1 *Ep.* 1, 15. 16. ab exemplo Dei, qui et ipse sanctus, ab omni labe immunis, animi puritatem castissimam praeeat, ut eam imitemur: quo loco omnis admonitionis gravitas et vis penitus eliditur, si ἁγιος venerabilem, magnum Deum exponas. Neque *Paulus* abludit, qui *Eph.* 4, 24. dum christianos hortatur, ut *novum animum induant* κατα θεον, *efformatum ad exemplum divinum*, *sanctitate haud infucata*, ὁσιοτητα (קדוש) boni omnis amorem, Deo tribuit. vid. et *Lev.* 19, 2. Eadem vi gaudet vox חסיד, ὁσιος, *pius*: *Ps.* 145, 17. טהור, καθαρος, *purus*, nempe a vitio 1 *Ioh.*

3, 4. et תמים vel ἁπλους *integer.* v. *Num.* 19, 2. Inepte enim philosophantur, qui *perfectionis* i. e. *maiestatis* divinae testimonia quaerunt in hoc cognomine, cuius potestas semper sita est in *integritate*, fraudis, doli et omnis sceleris experte. *Ps.* 18, 31.

cf. C. G LANGE *exegetische Versuche über einige biblische Worte und Redensarten. Fünftes St. Chemniz* 775. 8. p. 130 *fgg.*

Obs. 2. Si vitio et malo animo nihil est peius vel tetrius, nihil sine sensu recti et amore boni beatum; necesse est, hunc inesse ei, quem optimum esse concedimus. Quid vero? tanta in beneficiis constantia, tanta legum divinarum praestantia et utilitas, tamque pulcrum cum bonis commercium, quem non coget sanctum numen profiteri? possetne ipsa religio sese sustinere, et veneratione dignus Deus existimari, hac virtute orbus? Itaque saepissime vindicant sacri autores numini sanctitatem summam eiusque praestantissimum exemplar proponunt: dum *primum* negant, illi vitii vel iniquitatis quidquam inesse *Deut.* 32, 4. *Iac.* 1, 17. (vide supra §. 80. Obs. 3. p. 247.) 1 *Ioh.* 1, 5. vel cum tentari posse a malis ac incitari (ἀπειραστος κακων.) *Iac.* 1, 13. 14. vel commercia habere cum pravis moliminibus *Ps.* 50, 16 sq. 5, 5. *Tu non es Deus, cui placeant prava; malus tuo haud excipitur hospitio*, (לֹא יְגֻרְךָ), haud faventem te et tutorem experitur. *Post* docent: Deum omnia vitia detestari. *Ps.* 5, 6. 7. amicum esse virtutis et facta hominum salubria comprobare: *Ps.* 18, 26. 27. 15, 1 *sq.* 1 *Pet.* 3, 10—12. *Denique* legibus suis, quae voluntatis documenta habentur, animi puritatem ipse promovet studiosissime. Quare blasphemam eorum opinionem merito abhorremus, qui Deum ausint peccati autorem statuere.

Obs.

Obs. 3. Non alienum erit hoc loco attingere quaestionem, a doctoribus iuris naturae agitatam: unde bonitas earum rerum, quae placent Deo sancto, pendeat? PVFFENDORFIVS quidem (*iur. Nat. et Gent. L.* 1. *c.* 2. §. 6. *et L.* 2. *c.* 3. §. 4. 5.) a beneplacito et arbitrio divino proficisci boni malique naturam defendit, plurimos et defensores et adversarios nactus; alii tamen bonorum indolem Deum e salubritate et conspiratione cum felicitate communi, malorum e damnis vel impedimentis communis salutis aestimare volunt. Hi quidem rectius et accommodate ad sapientiam divinam. (v. §. 87.) Itaque sanctitatem in *relativis* Dei attributis referimus.

Obs. 4. Praeteream quaestionem, subtilitate scholasticorum, sed nulla rei gravitate motam: *anne Deo virtus* (*moralis*) *recte tribuatur*? Quam si quis affirmare ausit, non habeo, quod repugnem, dummodo habitum bene cogitandi agendique virtutis elogio ornet, (alii enim virtutem finiunt, studium legibus divinis conforme), abstineatque a laudanda Petri formula: αρεται του θεου 1 *Pet.* 2, 19. in quibus Apostolus summam Dei maiestatem describit, iuxta Esaiam 42, 8. 43, 21. תהלות, quod graeci reddunt: τας αρετας.

Obs. 5. Video, theologos nostros valde impediri, cum definire *iustitiam* tentant, accommodate ad philosophorum scholas, *Leibnizii* praecipue, *Wolfii* et *Baumgartenii*, benignitatem ad leges sapientiae temperatam. Equidem etsi non ita coecus sim vel praeiudicio captus, ut artem et acumen finitionis haud perspiciam, vix tamen mihi persuadeo, eam popularem esse et facilitate, quae est sigillum bonae definitionis, commendari, vel ad loquendi usum, praesertim in sacris, valde accommodatam reperiri. Itaque apertam

magis et perspicuam notionem iustitiae tentavimus componere. *Iustitiam* Dei et *sanctitatem mere synonyma* esse, usus certe loquendi evincit. Voces enim hebraeae צדקה et צדיק et graecae δικαιοσυνη et δικαιος, quanquam in vocabulis πολυσημοις sint, saepissime tamen *amorem studiumque recti* designant. *Deut.* 9, 5. *Luc.* 1, 75. et non minus animi sensus puros quam facta egregia amplectuntur. *Rom.* 6, 13. Plerumque tamen *iustitiam* vocamus studium, animi adfectionem piam et sanctitatem factis quomodocunque demonstrandi, adeoque iustum laudamus, qui recte *agit*, sanctum, qui recte *sentit*. Quia autem recti bonique amor minime subsistit in otiosa quadam mentis agitatione, sed actuosus est et in publicum fertur, clarum fit, sanctitati semper comitem adesse iustitiam, quae salubria quaeque peragit et promovet, noxia nuspiam committit, sed, qua potest, minuit atque reprimit. Sed anne credis, hanc virtutem forum tantum obsidere, regere sententias et in iudiciis cerni, nec communem esse et popularem? in rege conspicuam fieri et publicis institutis, e privatis rebus exulare? Minime quidem: at ego tenendum arbitror, quidquid Deus agit, id pertinere ad imperium divinum. Ergo si de iustitia *divina* disquirimus, res fere eo redit, ut intelligamus, quomodo in rebus nostris administrandis ac regundis Deus amorem rerum salutarium i. e. sanctitatem demonstret? Idque, si quid iudico, fit dupliciter, vel *institutis* et legibus, quae eo spectant, ut, quid saluberrimum sit, vere intelligatur a nobis et strenue peragatur *Ps.* 19, 8—12. vel *factis*, quae, quantum adiuvet salubria et bene velit recte agentibus, quantumque reprimere vitia et punire cupiat, ostendunt. Hinc consequitur, ut recte dividatur iustitia in *legislatoriam* (antecedentem, dispositivam) et *rectoriam* vel *iudiciariam*, (distributivam, consequentem, compensatricem, retributoriam.)

cf.

cf. *Iac. W.* FEVERLEIN *diss. de iustitia Dei*, Goett. 738.

Obs. 6. Atque *primum*, dum *leges* sancit Deus, sive per naturam, sive per revelationem, semper bona et salutaria iubere credendus est: neque difficile est, iustitiam summi legislatoris agnoscere. Omnes enim, quas *natura* docet, et pleraeque, quarum intelligentiam revelationi quoque debemus, cum natura vel imbecilla sit ad cognitionem, vel tarda ad obsequium, satis sese commendant per habitum ad felicitatem humanam et necessariam cum illa coniunctionem. Reliquarum, quas *positivas* vel *arbitrarias* vocamus, (non enim valde probabile videtur eorum institutum, qui *arbitrarias* a *positivis* disiungunt) etsi minus perspicua necessitas ob felicitatem, haud tamen obscura est utilitas. Quae si vel non alia reperiretur, quam ut haberemus obsequii et pietatis exercitia atque actionum nostrarum propter Deum directoria: honesta profecto et satis illustris foret apud homines, cum amplior campus aperiatur, in quo pietas possit decurrere. Iam, postquam usus atque experientia docet, quam facile sapientia humana prolabatur ad ritus insanos modumque cultus divini, parum convenientem cum maiestate divina; percommodum praestabit auxilium, actiones expromendi animi pii institutas eiusmodi praescribere, quae habeant aliquid dignitatis. Denique quanquam pie et reverenter iudicemus de institutis divinis, tum quoque, cum nullam eorum cum felicitate humana copulationem, saltem non adeo necessariam, intelligimus, neque quia salubria sunt, sed quia divina autoritate promulgantur, iis obsequamur, tamen non adeo latens et semota ab intelligentia nostra est utilitas, quin eam plerumque perspicere, sentire atque admirari possimus. Tanto autem magis vitare decet audaciam hominum, qui legum arbitrariarum iustitiam plane negant

gant atque omnia instituta divina unius principii angustiis, nempe naturae divinae et humanae necessitate, coercent. E quibus capitales duos *Tindalium* et autorem *religionis*, quam vocat, *essentialis*, Ven. ERNESTIVS refutavit. Nuper quoque STEINBARTVM videmus multis verbis expellere sententiam de legibus arbitrariis, ut rixarum omnium matrem et systematis quasi veneficam, (*System der reinen Philosophie p.* 62—71): at *primum* equidem non valde periclitari leges naturales, sancitis arbitrariis, existimem; nunquam enim necessariae et per naturam ipsam commendatae leges tolluntur arbitrariis divinis: et omne periculum venit ab hominum vitio, quod tarditatem et negligentiam in necessariis compensari posse credit adsiduitate in rebus levioribus et externis atque, cum par utrarumque sit autoritas, arbitrariis maius pretium statuere ausit. O miseros! si quibus per vitium abutuntur homines, ea statim indigna iudicemus origine divina et vehementius abiiciamus? *Praeterea* arbitrariis statutis dolemus saepissime onerari homines et misere exerceri atque sub specie cultus divini atrocibus criminibus semetipsos polluere; quid vero? Si decreta, quae arbitrium hominum confinxit, corruperunt religionem divinam; num ideo divina quoque decreta, in quibus arbitrium valet, fas est eiusdem vitii accusare? Nisi quidem me omnia fallunt, recte ex iis corruptelis, quas arbitrium humanum invexit, iustam spem colligimus, fore, ut Deus imbecillitati succurrat, atque eum ipse sanciat modum religionis, in quo et naturalibus legibus honos conservetur et dignitas, ingeniique humani licentia confingendi novos cultus coerceatur, quod fit statutis arbitrariis ab ipso promulgatis. *Denique* cum tenere iubet vir acutus, Deum omnia sic disposuisse sapientissime, ut nec immutari leges naturales nec novis augeri opus sit: vicissim observare liceat, tantum abesse, ut aut abroge-

tur

tur lex naturae aut deminuatur eius dignitas, ut potius rata habeatur atque stabiliatur eadem, a qua arbitrariarum vis pendet, autoritate: haud enim contraria aut repugnantia naturalibus decretis sanciunt vel ab eorum vinculis nos exsolvunt; neque legum novarum ratio semper ita est comparata, ut priores antiquentur. Omne contra legum augmentum auget ostendendae pietatis occasiones fideique et obsequii exercitia adeoque ad spem Deo magis placendi, id vero est, ad felicitatem veram adducit.

vide I. *Aug.* ERNESTI *vindiciae arbitrii divini in religione constituenda in Opusc. theol. p.* 187 *sq.* I. G. TOELLNER *disquisitio, utrum Deus ex mero arbitrio potestatem suam legislatoriam exerceat, an vero ita, ut humana ratio etiam legum divinarum perfectionem perspiciat? Lugd. Bat.* 770. (*Ed.* 2. *Frf. ad Viadr.* 775.) *I. Casp.* VELTHVSEN *diss. inaug. de legibus divinis haudquaquam arbitrariis Goett.* 775.

Obs. 7. Pergimus ad *alterum iustitiae* divinae *munus*, quod cernitur *factis*, quae animum divinum demonstrant, cum benevolum in pios legum custodes et communes felicitatis promotores, tum minus benevolum erga transgressores legum divinarum ac salubrium Dei consiliorum turbatores. Nempe cum soleant homines repetere a divino regimine, quidquid sive faustum et gratum, sive infaustum atque votis suis contrarium obtingit, atque ipsa natura doceat, ad bonos bona fata, mala ad malos pertinere: in promtu est iudicare, dum nos fruimur iis rebus, in quibus beatitatis opinio sita est, his favorem divinum demonstrari post facta laudabilia ac Deo grata: contra dum adversitatibus constringimur amissaque lugemus bona vel tristia experimur, effectus tam tristes venire a caussis malarum actionum, „quae nos indignos

favore

favore divino reddiderunt. Quemadmodum enim in rebus humanis beneficiis *amor* significatur, *ira* male adficiendo eum, qui nobis contraria facere haud erubuit, atque nemo sapiens amore amplectatur, nisi bonum, odio et poenis neminem, nisi quem malum cognovit: ita Deo, accommodate ad res humanas, amorem tribuimus, dum beneficiis ornat bonos, rursus odium vel iram, cum, quam minime probet malas actiones hominum, factis demonstrat. Cogitemus igitur, amoris et irae voces commode exponi in sacris literis synecdochice, et effective, adeoque αγαπην θεου beneficia, οργην θεου poenas significare. cf. *Rom.* 1, 18. 2, 8. (v. et 13, 34.) *Ioh.* 3, 36. 1 *Thess.* 1, 10. 5, 9. Quomodo itaque Deus apertius significabit, inter homines boni rectique amorem, nisi bonorum operum sive praesentibus praemiis, sive futurorum promissionibus, quae et Deum placatum ac propitium per suam naturam demonstrant, et studia totam vitam ad divinas leges componendi exacuunt atque incendunt. Hanc *iustitiae* divinae partem *remuneratoriam* vocant, satis claram e Pauli testimoniis *Rom.* 2, 6. 7. 10. 1 *Cor.* 3, 8. *Ebr.* 6, 10. (vide et *Es.* 3, 10. *Ps.* 37, 37. 73, 13. 14. coll. 23. 24.) ac ipsa experientia, quae quam arctum sit virtutis nostrae cum vera felicitate vinculum, pium quemque edocebit. Sed in his bonis alia sunt ordinaria, quae per naturam suam sponte nascuntur e bonis actionibus, velut animi, qui dignitatem suam sentit, voluptas et tranquillitas, mentis persuasio certa quod Deus sit propitius, hominum bonorum benevolentia, atque interdum quoque rerum fluxarum usus haud insuavis, et plura commoda vitae nostrae terrestris, corporis firmitas, opum accessiones, in quibus fere totus delectatur homo sensuum imperio subiectus, unde Israelitis legimus promissiones rerum corporea-

rum

rum et visibilium amplissimas proponi. Sunt tamen alia, quae cum nullo genere actionum humanarum naturali ac necessario vinculo copulentur sintque libera benignitatis quasi redundantis beneficia, inprimis ea, quae post hanc vitam speramus: quorum natura, utut non plane perspecta, tamen hactenus nobis patefacta est, ut intelligi possit, eius felicitatem non esse cum virtute naturali plane ita, ut effecta cum caussis suis solent, copulatam, sed multa et magna arbitrariorum bonorum veluti auctaria habere, qua de re vide ERNESTI l. c. p. 210 sq. Quod si secus foret, frustra tribuerunt sacri autores vitae aeternae rationem praemii, in quo semper extraordinarii boni notio conservatur *Rom.* 4, 4. ubi μισθος et χαρις bona necessaria et arbitraria disiunctorum vim habent. 2 *Tim.* 4, 8. Huius autem iustitiae vel beneficiorum tum *finis* seu consilium, tum affectiones spectari decet. Finis quidem bipartitus, alter demonstratio favoris divini, alter excitatio ad bene agendum. *Affectiones* autem celebramus *primam*, quod *universalis* sit, neque omnes tantum homines sed singulorum actiones et animi motus singulos amplectatur, atque sic agat, ut nec quisquam vere bonus praemio digno defraudetur, nec quidquid unquam a quocunque homine legitimum Deoque gratum effectum est, id praemio careat. *Eph.* 6, 3. *Matth.* 10, 41. 42. Iungitur huic *altera* απροσωποληψια et aequitas. *Rom.* 2, 11. quae pro modo bonarum actionum bona quoque sua dispartitur, nulla status externi, qui saepe fallit humanos iudices, nec famae, sed animi, quo quaeque peracta fuit, habita ratione. Addam *tertiam*: *sapientiam*, in qua non privati tantum hominis sed rei publicae divinae felicitas spectatur. Itaque temere agunt, qui vel certum et destinatum bonorum genus postulant, vel illustria semper ac prae-

sentia

ſentia praemia expectant, vel quae ſibi privatim proſunt, in praemiis recenſent, quae aliis, vel reticent vel minus attendunt.

vide I. G. TOELLNER *Bevveiſs zukünftiger Vergeltungen. in theol. Vnterſuch. T. II. P. I. p. 232 ſq.*

Obſ. 8. Gravior quaeſtio incidit de *iuſtitia*, quae quantum *mala averſetur* et impedire cupiat, factis demonſtrat. In his videmus, mala quaedam immitti promerita factis praegreſſis, alia hominibus, ut muniantur contra vitiorum illecebras, infligi. Illa quidem *poenas*, h. e. mala e malis actionibus exorta, haec *diſciplinam* vocare adeoque hanc *coërcitivam* iuſtitiam in *punitivam*, quae poenas exercet, (*vindicativam* alii et *ultricem*, vocabulo minus commodo, dicunt) et παιδευτικην, diſpeſcere iuvat.

A) Iuſtitiae *punitivae* ratio non modo multas ideo cautiones requirit, quia ſunt, qui eam temere negare videantur et oppugnare, verum etiam, cum graviſſimo dogmati de beneficio Chriſti cohaereat, pie tractanda erit.

1) *Primum* itaque, ſi iuſtitiam *poenis* exerceri dicimus, ſtatuimus, efficere Deum providentia ſua, ut malas hominum actiones (mala moralia) conſequantur ſenſus iniucundi malorum, e quibus intelligitur, quantum Deus averſetur ſalubrium legum ſuarum contemtum. Hinc profecto clare elucet tum caſtitas animi divini, delictis minime favens, tum ſtudium coercendi peccata et impediendi. Nihil enim ſenſu malorum efficacius reperitur vel ad docendum, quid vere noxium ſit legibusque adverſetur, vel ad animum contra vitiorum blandimenta praemuniendum, ſive dum reformidat perpeſſa olim mala, ſive dum ex iis propitium minus eſſe Deum perſuadetur.

2) At-

2) Atque hoc est sanctum beneficumque Dei *consilium* in decernendis exequendisque poenis, nisi eum vel pro lubitu opprimere miseros mortales ac frustra laedere ore blasphemo profitearis, vel impio vindictae adfectu raptum desipere contendas. *Primum* itaque punit ideo ut impediat peccata et coerceat temeritatem multorum et levitatem, qui se brevi delictorum voluptate capi ac irretiri patiuntur, vide 1 *Cor.* 11, 32. *Es.* 26, 9. 28, 19. *dein*, quod est huius rei consequens, ut semetipsum purum ab omni vitiorum commercio ostendat, et iudiciis suis, hoc est, poenis iustificetur; vide *Ps.* 51, 6. v. et *Lev.* 10, 3. *Deut.* 28, 63. Grave profecto et dignum vel maiestate divina vel sanctitate consilium, quod, quia amplissimum est, vix eos tantum spectat, qui culpam ipsi contraxerunt et de salute sua periclitantur, quamquam ad hos proprie et praecipue, sed exemplis poenarum alios quoque amplectitur. *Ps.* 52, 7. 8. 1 *Cor.* 10, 11. Non enim poterunt non de simili effectu sibi metuere, qui similium peccatorum rei sunt: qui maioribus et insignioribus criminibus polluti, maiora sibi et atrociora mala augurari. vide 1 *Pet.* 4, 17. 18. *Prov.* 11, 31.

3) Diximus, bonarum actionum praemia alia naturalia esse, arbitraria alia. Eandem quoque poenarum divinarum rationem haud vanis indiciis colligimus. Nam *naturales* dari, i. e. mala eiusmodi, quae sponte consequuntur malas actiones atque per naturalem copulationem vitiis adhaerent et minime avelli possunt a sensibus pravis, res ipsa et communis magistra experientia docet. Emuntur voluptate dolores, morbi contrahuntur gula, et sceleris haud infrequens comes inquies et mentis perturbatio accedit. Neque huc referre tantum attinet praesentia mala, quibus laesa legis autoritas vindicatur, sed reliqua etiam, quae e vitiorum semine paulatim in animis corporibusque singulo-

rum propullulant, velut e fastu insomnia et vesania, et al. *Arbitrariarum* autem poenarum i. e. malorum, quae quidem propter commissum scelus laesasque leges infliguntur fluuntque a peccatis, sed ita, ut nulla naturalis necessitas poenam inter et peccatum intercedat, certa iustitia, incertum iudicium videtur. Iuste quidem statui poenas *positivas*, primum evincitur, quia naturalibus poenis vix satis absterreri sese patiuntur homines, quo minus prava sectentur. Tantum enim abest, ut sentiantur a quovis peccatore, ut quanto quis ad scelera magis est adsuetus, tanto magis contra mentis consciae mali dolores induretur. Accedit, quod mala, quae poenarum rationem habent, et consequuntur actiones pravas, absint a fonte peccatorum, animo corrupto, quem prius coercere decet, quo minus erumpant. Alia avertuntur vel levitate humana vel dolo: alia videmus vix atrocitati criminis satis analoga: in aliis denique commune tum piorum tum impiorum fatum cernitur. Quo fit, ut eludatur cogitatio de poena et, in quo proprie poenae ratio cernitur, sensus mali, propter malas actiones decreto divino inflicti, obscuretur. Recte igitur vincimus, cum naturales poenae impares sint legum autoritati sustinendae, constitui positivas, quarum vel executio vel minae (namque magna quoque harum virtus est, legislatoris severitatem demonstrandi ac suadendi vitiorum fugam) reverentiam legum divinarum efficiunt. Facilis tamen lapsus est in iudicio de poenis divinis arbitrariis, et fallax sententia, nisi monitu divino certi fiamus, calamitates hominum singulorum existere propter peccata, vel per analogiam quandam malorum cum crimine commisso admoneamur de vindicta divina, cuius exemplum extat *Genes.* 42, 21. Atque qui calamitatibus implicatur, ipse videat, num ita comparata fuerit vitae suae ratio, ut in hac causas malorum suorum

repe-

reperiat? Qui vero fortunas aliorum adversas arriperet, ut eos iniqua sane sententia criminum suorum poenas luere cogeret: profecto is non minus misericordia quam rerum humanarum usu destitutum sese demonstrat. Ad hunc locum pertinet Iobi cum amicis disputatio, dum hi criminis arguunt virum pium, argumento e fatis duris petito: ille autem Dei arbitrium, etiam haud meritos a vitae bonis excludendi, studet vindicare. cf. *Cap.* 5, 10, 12. Pie quidem et prudenter. Quis enim non capiat, multa saepe mala a malitia hominum, a corporis structura, a tempestatibus et aëre promanare, nulla miserorum culpa, et communia multis, bonos pariter atque malos opprimere? Cautius itaque versari oportet, ne vel publica vel privata infortunia, velut bella, pestes, orbitatem, conflagrationes, morbos diuturnos, mentis perturbationes, semper a vindicta divina et culpa hominum repetamus, quod saepe factum atque adhuc fieri dolemus in publicis praecipue bonorum hominum sermonibus, qui imperiorum scelera incusant atque graviter in delicta hominum et impietatem velut in Pandorae pyxidem intonant et iubent placare Deum morum emendatione. Iure quidem suo, si nuntius aliquis autoritate divina munitus praedixit impoenitentibus ea mala. Iam, cum nec prophetarum autoritas certa sit, nec minae damnorum terrestrium prostent, nec casus adversi statim progeniem vitiosiorem, nec levamina malorum emendatiorem arguant, vana et futilia illa oracula merito refugimus malumusque suspenso animo de poenis positivis *in hac vita* iudicare, quam temeraria sententia per iniuriam homines criminari. *Luc.* 13, 4. Ceterum *post hanc vitam* poenas positivas expectare iubet cum aequitas divina, ne impunitate audacius fiat et magis protervum scelus, tum sanctitas, quae, quantum abhorreat peccata, quacunque ratione demonstrat, tum sacrarum lite-

 rarum

rarum autoritas, quae comminationibus infelicissimi status leges divinas munit atque, nisi arbitrio divino aliquid relinquatur, vix redemtioni Christi quidquam dignum tanto opere concedet. Namque poenae, quae per naturae necessitatem consequuntur vitia, nisi per miraculum, tolli nequeunt: quid igitur Christus praestitisse credendus erit, promeritus nobis immunitatem a poenis? num a naturalibus? at has peccator quisque luit nec avertit fides. Ergo ab arbitrariis, quae non minus iustae videntur ac praemia post praestitum Deo obsequium positiva.

* 4) Deum poenis quoque iustitiam exercere et demonstrare plurimis locis demonstrant autores sacri *Ps.* 9, 5. sq. 11, 5. *Dan.* 9, 14. *Rom.* 2, 6 — 11. οργη και θυμος, חרון ואף, quod, parum digne sentiunt de Deo, qui exponunt de irae adfectu, 2 *Thess.* 1, 6. 7. 2 *Pet.* 2, 3. *sqq.* nec vindictam proprie Deo tribuere fas est, sed poenam *Rom.* 12, 19. *Ebr.* 10, 30. Neque fuisse scio, qui ius puniendi et necessitatem poenis coercendi malos negarent, nisi quis *Colluthos*, obscuros haereticos e Sec. IV. huic referat, negantes, mali quidquam a Deo inferri et, si modo error est, incauta potius formulae explicatione, quam formula errantes. E *Socinianorum* familia nulli, quoad sciam, fuerunt, qui iustitiam Dei plane negarent, sed tantum hanc vocis δικαιου potestatem, quae ultricem iustitiam secum fert, *rariorem* in sacris literis et *eam iustitiam abesse* a *Deo* voluerunt, *quae peccata omnino punire debeat, cui ipse renuntiare non possit* (*F.* SOCINVS *prael. theolog. C.* 16. *p.* 87.) *vel qua Deus impellatur ad quodvis delictum puniendum.* (I. CRELL. *de Deo c.* 25. *p.* 268.) In quo facile quidem transparet consilium infringendi argumentum de necessitate redemtionis Christi, vix tamen erroris quidquam admixtum videtur.

5) Re-

5) Restat ut *affectiones* iustitiae punitivae enumeremus, e quibus primum locum obtinet *sapientia*, quae sic moderatur poenas, ut eas nec sine ratione idonea infligat, nec iis perdat ac destruat felicitatem humanam, sed tanquam medicina utatur, adeoque parcat, si quis legibus vel minis absterreri sese patiatur a vitio, ac finem imponat, ubi consilio divino satisfactum fuerit. Elegans in hoc argumentum *Esaiae* similitudo non debet praeteriri *Cap.* 28, 23 sq. qua obiectionem occupat multorum, nimis graves esse et diuturnas poenas, meliusque intermitti punitionem, quam propter vitia perdi homines: *Num agricola semper arat agrumque aperit et sulcat? nonne adaequata superficie iam spargit nigellam, iam cuminum serit, iam triticum eximium secretumve hordeum vel zeam disponit suis quodque finibus ac recta ratione a Deo suo praescripta? Neque*, ubi iam messis tempus advenerit, *nigella teritur tritura neque plostelli rota super cuminum devolvitur, sed nigella excutitur virga, cuminum baculo. Panificia autem contunduntur. Sed etiam triturae modus est, ne strepens plostelli' orbis vel ungula iumenti penitus illa comminuat.* (vide versionem nostram ad h. l.) *Eodem pacto agit Deus in decretis suis, qui consilio admirabilis*, clarus, *magnus vi, effectu cognoscitur.* Omnia facit ordinate: immittit interdum adversa, quibus animum humanum ad bene agendum praeparet (haec est iustitia παιδευτικη, de qua mox differemus): dein accommodate ad hominis cuiusque indolem, sicut agricola solet fundi rationem habere in serendo; denique non punit omnes eodem modo, nec affligit perpetuo, sed levius alios, velut levi tantum virga, alios acerbius, velut gravi tribula vel rota, ac statuto tempore, et tantisper, dum corrigantur atque consilium Dei salutare effectum fuerit. *Altera* iustitiae punitivae adfectio videtur απρωσοποληψια

Rom. 2, 11. quae nec vehementius animadvertit in peccatorem, ac meretur, nec ullo reorum statu externo, gentis claritate, magnitudine nominis, potentia adducitur ad parcendum. *Tertia: benignitas*, quae cernitur consilio salutari et moderatione poenarum. Nunquam tantas, quantas potest, per vim suam, nec quantis dignus videtur homo, infligit, sed quantum satis est ad demonstrationem sanctitatis. Quarto denique teneamus Pauli dictum: ὡς ανεξιχνιαςα τα κριματα αυτου. *Rom.* 11, 33.

cf. I. G. TOELLNER *die göttlichen Strafen und die göttliche Strafgerechtigkeit, in theol. Vntersuch. T. II. P. I. n.* 6. *p.* 140 *sq. I. D* MICHAELIS *Gedanken über die Lehre der h. Schrift von Sünde* etc. Goett. 1779. p. 202 sqq. Neque poeniteat legisse G. F. SEILER *Veber den Versoehnungstod I. C. Erl.* 778. 8. *p.* 22. *sqq.* et quae sparsim traduntur in EBERHARD *Neue Apol. des Socrates*, inpr. P. II. p. 259. 270. ac quae, modestia saltim commendabilis, eidem opposuit *Carl. Aug.* BEYER *Apologie der h. Schrift oder Vntersuchung der Lehre von den göttlichen Strafen. Halle.* 779. 8.

B) Aliam diximus iustitiam παιδευτικην, cuius cum punitiva par consilium, dispar tamen natura videtur. Nam poenas proprie luunt, qui factis antegressis mala sua meruere: disciplina malis etiam in hominibus haud meritis futura peccata impedire laborat: in iis proprie dolor pro sua iniuria; in hac sensus iniucundi ad virtutis exercitium: in iis legum neglectarum vindicta; in hac commendatio latarum praecipue quaeritur: illis mali, ut corrigantur, hac boni, ut emendatiores fiant caveantque pericula et illecebras vitiorum, coërcentur. Videmus, pios quoque homines interdum gravibus infortuniis corripi, nullo scelere contractis, quale Iobo factum scimus. In his quis poenas sine crimine agnoscat

iustas?

iustas? cui non saepe de iustitia divina graves dubitationes suboriuntur? Sed salva res est. Omnis disciplina, parentum praecipue, duo habet: vel poenas, coërcendis immorigeris: vel alias molestias, ad exercendos pios, ut sensus animis iniiciantur, quibus verae virtutis amor excitetur, foveatur atque officiis constanter et facile servandis adsuefiat, caveantur et deponantur vitia. Eam autem quis neget adversari iustitiae divinae, cuius munus primarium (sit venia verbo) consistit in impedimentis vitiorum obiiciendis et amore virtutis tum demonstrando, tum promovendo? Clara sunt Pauli testimonia *Ebr.* 12, 10. ubi pios alloquitur atque admonet, *ut vitae suae stadium strenue et constanter, seposito omni onere* vel impedimentis fidei constantis, *peccatorum blanditiis, percurrant, et in exemplum Iesu oculos animumque defigant, — neque despondeant mentem: sed paternae admonitionis* Prov. 3, 11. *memores teneant, castigari a patre pio et solicito dilectissimos quosque filios, nec semper benignius*, sed severius interdum *tractari.* Addit: *parentes quidem per paucos annos disciplina severiore in nos utebantur, prout iis visum est,* (κατα το δοκουν, prout quisque proficuum nobis esse, fallaci interdum iudicio, statueret,) *Deus autem severius nos tractat commodo nostro* (επι το συμΦερον; ita, ut semper cedat in nostram utilitatem) *ut ad sanctitatem eius adducamur. Omnis enim disciplina dum exercetur, haud multum gaudii, plurimum contra tristitiae affert: sed fructus salutares* (ειρηνικος ab ειρηνη, felicitas, salus, ex usu hebraeo) *edit* τοις γεγυμνασμενοις, (qui suppeditata a Deo patientiae virtutisque materia, patientiam conservarunt,) *nempe iustitiam,* id est, virtutem. Is enim est καρπος δικαιοσυνης, καρπος, τουτεςι, δικαιοσυνη. vide 1 *Pet.* 4, 2. 3. *Iac.* 1, 2. 3.

§. 94.

Veracitas.

Affinis iustitiae *veracitas* Dei, seu dictorum veritas et cum certissima ac sanctissima animi sui sententia consensus, est, *cum* in doctrina et institutione, qua absit, ut nos in errorem inducat *Ps.* 119, 138. *Ioh.* 17, 17. *tum* in voluntatis suae constantis (§. 91.) significationibus, in quibus nec metuendum est, ne vana promissione nos lactet, *Ps.* 33, 4. *Es.* 40, 8. *Ebr.* 6, 18. 2 *Cor.* 1, 18—20. quae proprie *fides* divina dicitur *Rom.* 3, 3. nec sperari poterit, ut vanis comminationibus terreat. *Ebr.* 4, 12.

Obs. 1. Commune hebraeis nomen אל צדיק et אל אמת *veritatem* Dei metaphysicam, quam vocant, quod sit θεος αληθινος, (v. supra §. 75. Obs. 1. p. 232.) et moralem, quod αληθης, verax sit, significat. cf. *Nehem.* 9, 8. *Es.* 45, 9. 1 *Ioh.* 1, 9. *Fides*, πιςις, praecipue ad veritatem et constantiam promissorum transfertur, *Rom.* 3, 3. *Ps.* 89, 2. interdum tamen πιςος θεος generatim dicitur, ob *amicitiae* constantiam, 1 *Cor.* 10, 13. 1 *Thess.* 5, 24. sic quoque אמת *pietas* divina vel *favor. Ps.* 100, 5.

Obs. 2. Obscurus locus 2 *Cor.* 1, 18 *sq.* sed si consilium Apostoli spectes, pertinet ad veritatem promissionum Evangelii. Cum enim spem fecisset Corinthiis praesentiae suae, (1 *Cor.* 16, 5. 6. et infra 7, 13. 14.) neque adhuc desideria fratrum, his promissis fretorum, explevisset, periculum erat, ne virum divinum levitatis (ελαφρια) arguerent ac dubitarent de adflatu divino: quam suspicionem ut eriperet animis, defendit veritatem doctrinae suae et constantiam dictorum. *Dicta nostra haud fuere ναι και ȣ*, iam affirmantia, iam negantia; res plane ita sese habuit,

sicuti

sicuti promisimus. *Iesus Christus*, i. e. doctrina Christiana *tradita per me Silvanumque et Timotheum*, *minime quidem fuit contraria sibi*, ita ut alter affirmaret, quod alter negavit, *sed vel una omnium vox in Christo*, h. e. ad Christum pertinens. *Namque quot quantasque Deus per et propter Iesum promissiones promulgavit*, *tot tantasque ratas certasque intelligimus*. De comminationibus eiusdem decreta audiamus *Ebr*. 4, 12. *Verbum Dei*, oraculum quodque divinum (comminatorium v. 5.) *vim habet et vitam:* vel ut eleganti formula exposuit MORVS, non est vana sine viribus ira: *atque ense ancipiti acutius penetrat per animum mentemque omniumque membrorum compages ac medullam*, *ut omnia dilaceret*, hoc est, semoto tropo, vulnus lethale infligit mortemque, sicut solet gladius acutus in cor adactus, affert certissimam. Addunt quidam *Es*. 55, 10. ubi negatur, frustra atque sine effectu coelitus demitti, ad recreandos homines, promissiones novi status Iudaeorum: sed ego, quod de uno defenditur oraculo, non ausim ad omnia promiscue transferre.

Obs. 3. Egregia b. HEILMANNI (*Comp. theol*. §. 73.) est observatio, virtutis vim in veracitate tum demum agnosci, cum communicatio consiliorum nostrorum ad felicitatem eorum, quibus ea significamus dictis, diriguntur. *Occurrunt enim*, inquit, *casus aliqui huiuscemodi*, *ut non trahere alio*, *quam quo destinatus erat*, *sermonem divinum homines propter imbecillitatem quandam suam fere non possint eaque ipsa ambiguitas per naturam rerum vitari nequeat*, *quale editum in Isaaci caput atrox in speciem imperium legimus Gen*. 22, 2: *eamque ob causam ita circumscribere visum est*. Sed illa mendacii species, quam non sit aliena a veracitate divina, magis apparebit, cum teneamus, sapientia dicta semper congruere ingenio, captui, indigentiis auditorum. Veritas non est hominum nec temporum omnium, atque in-

considerate patefacta nocuit potius quam profuit. Nos quidem magistros vix laudamus probos ac prudentes, in quibus temperantia in dicendo, usisque formularum, quas capit ingenium iuvenile, ac συγκατάβασις, quam graeci autores commendant, desideratur: nec mendacem hominem facimus, si quid reticet vel verborum involucris paullulum occultat, ne aperta veritas, virili ingenio apta, offendat; si errores ac opiniones praeiudicatas, sed minus noxias, quae, quanto quis eas vehementius eripere tentat animo, tanto sese altius in animum defigunt atque insinuant, fovet tantisper, dum sponte abiiciantur; si per ornatum formulis utitur, quarum proprietati absurdum sit inhaerere; si denique maiora tribuit quam pollicitus est, et mitiores, ac minatus est, poenas sumit. Itaque Deum quoque, qui humano more homines tractat sive docendo, sive monendo, existimem, veritatis pariter ac sapientiae studiosissimum, ἀψευδῆ manere, etiamsi a verborum rigore paullulum remittat. Neminem igitur offendat allegoricum docendi genus, quo utuntur scriptores sacri: formularum usus, in quibus aliquid erroris humani latet, v. c. opticarum et popularium, veritatis ἀπόκρυψις tempestiva et evolutio, atque denuntiatio minarum, quarum severitatem mitigari videmus. Sunt enim in his omnibus συγκαταβάσεως exempla, quae nobis et sapientiam et benignitatem divinam valde commendant. Promissionum imprimis ac minarum eam deprehendimus rationem, ut aliae absolute et sine conditione, aliae cum conditione, sive expressa, sive tacita, sed e rebus ipsis intelligibili, proponantur, quem semper ob oculos habere decet, ne mendacii reum agamus numen, dum vel neglecta conditione spes concepta fallit imprudentes, vel parcitur improbis iraque vana videtur, nempe conditione poenarum semota.

Obs.

Obſ. 4. Hinc omnis certitudo fideique noſtrae conſtantia fluit. Fallere qui non poteſt, ne inſcius quidem, unus omnium eſt ἀξιοπιςότατος eiusque oracula axiomatum loco habenda. Mentiri qui non poteſt, promiſſis ſeſe utcunque exſolvet, nec impunitos dimittet eos, quibus vindictam interminatus eſt. Sed ne vaga incertaque fide feramur, opus eſt interpretatione, (vide ſupra §. 45.) ac ea praecipue cautione, ut promiſſionum ſenſum ac materiam, obiecta, conditiones ad animum adducamus atque ſedulo diſquiramus, num *ad nos* pertineant. Qua in re potiſſimum peccant, qui veteris teſtamenti oracula, Iſraëlitis deſtinata, noſtro quoque tempori auſint applicare. (vide ſupra §. 42. Obſ. 4.) Licet quoque ex his dictis intelligere, quaenam cauſa ſit pretii ſummi, in quo fides, praeſtita divinis teſtimoniis ac promiſſionibus, a Deo ſemper habita fuerit. *Ebr.* 11, 6 ſqq *Rom.* 4, 3. Eſt enim cultus divini primarium exercitium. Απιςιαν igitur vix a blaſphemiae crimine purgabimus.

§. 95.

β) *Benignitas.*

Actuoſum Dei ſtudium, quantam quisque felicitatem capit, tantam cuilibet concedendi ac promovendi, quod *benignitatem* vel *amorem* dicimus, ad omnes pertinet, *Pſ.* 145, 9. atque cuique in oculos incurrit. *Pſ.* 104. Benignitas ad homines relata (φιλανθρωπια, *Tit.* 3, 14. *clementia*) animo ſtatuque diverſos variis cognominibus diſtinguitur: ac *miſericordia* vocatur, ſi miſeris ſubvenit: *patientia*, ſi peccatorum poenas differt: ſi easdem mitigat, *lenitas. Pſ.* 103, 8. *Rom.* 2, 4.

Obs. 1. In Hebraeo est: חסד, חן, graecis χρηστοτης, ἀγαθοσυνη. *Patientia.* ארך אפים μακροθυμια, ἀνοχη.

Obs. 2. Omnem ex animis hominum radicitus extrahit religionem, qui Deo et opem et gratiam tollit. Quid enim est melius aut quid praestantius bonitate et beneficentia? qua si quis carere Deum velit, neminem Deo carum, neminem ab eo amari, neminem diligi velit. — Si maxime talis est Deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat. Sic CICERO *de Nat. Deorum L. I. c.* 44.

Obs. 3. Naturae commodis mirifice a Deo esse provisum, remota disputandi subtilitate, oculis quodammodo licet contemplari, quam in rem elegantissime canit vates *Ps.* 104. et perspicue disserit CICERO *de N. D. L.* 2. *c.* 39. uterque admirabili imaginum consensu, quem non possum non hoc loco ob oculos exponere. CICERO quidem: *Ac principio quidem terra universa cernatur solida, globosa, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur.* (v. *Ps.* 104, 14—16.) *Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas altitudines, saxorum asperitates.* — (*Ps.* 104, 10. 11. 18.) *Quae vero et quam varia genera, bestiarum vel cicurum vel ferarum?* (*v.* 11.) *qui volucrum lapsus atque cantus?* (*v.* 12.) *qui pecudum pastus?* (*v.* 14) — *quid iam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terrae constituti non patiuntur eam nec immanitate beluarum efferari nec stirpium asperitate vastari.* (*v.* 23.) *At vero quanta maris est pulchritudo? quot genera quanquam disparia partim submersarum, partim fluitantium et innantium beluarum?* (*v.* 25. 26.) *Ipsum mare sic terram appetens littoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata*

stata videatur. (v. 6. 7. 8.) *Exinde mari finitimus aër die et nocte distinguitur, isque tum fusus et extenuatus sublime fertur,* (v. 12.) *tum autem concretus in nubes cogitur humoremque colligens terram auget imbribus,* (v. 13.) *tum effluens huc et illuc ventos efficiat,* (v. 4.) *idemque et volatus avium sustinet et spiritu ductus alit et sustentat animantes. — Restat — coeli complexus, in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiunt. —* (v. 2. 3.) *E quibus sol — diem noctemque conficit* (v. 19. 20.) *et s. p. Et c.* 47. *Pastum animantibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit. — Dedit beluis et sensum et appetitum, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. — c.* 53. *Quanta benignitas naturae, quod tam multa ad vescendum, tam varia tamque iucunda gignit: neque ea uno tempore anni, ut semper et novitate delectemur et copia!* (Ps. 65, 10 sq.) — *Multa praetereunda sunt, et tamen multa dicuntur.* (Ps. 104, 24.) *Numerari enim non possunt fluminum opportunitates: montes vestiti atque sylvestres: medicamentorum salutarium plenissimae terrae: artes denique innumerabiles ad victum et ad vitam necessariae. Iam diei noctisque vicissitudo conservat animantes, tribuens aliud agendi tempus: aliud quiescendi. —* (Ps. 104, 20-23). *Facilius intelligitur,* (*a deo immortali*) *hominibus esse provisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta omnisque humanae naturae figura atque perfectio. — Terrenorum commodorum omnis est in homine dominatus.* (Ps. 8.) *nos campis, nos montibus fruimur: nostri sunt amnes, nostri lacus. — Neque vero supra terram, sed etiam in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet utilitas, quae ad usum hominum orta ab hominibus solis invenitur.* — Tantam beneficiorum, in quibus benignitatis certissima significatio cernitur, copiam naturae divitiae

obiiciunt, si terram mariaque omnia perlustres: neque facile reperietur, qui, vitae suae suorumque bonorum memor, conqueri possit de angusta beneficiorum mensura, sibi definita. Quanta ipsius vitae, qua fruimur, dulcedo! quae sensuum oblectamenta! quam admirabilis inter tot pericula corporis animique integritas! Adde varietate fructuum, cantibus ornatis, artium et scientiarum utilitate, hominum commerciis, amicorum colloquiis, somni requie, laborum felici successu, animi nostri praestantia, solertia, ipsaque spe et expectatione futurae felicitatis novam quotidie comparari laetandi materiam: quis tu coecus et sensibus obduratus esse possis, quin benignum et beneficum rerum tuarum autorem profitearis ac celebres? Quid dicam de illustribus amoris exemplis, quae doctrina christiana statuit atque commendat? quam generis humani restituendi curam agat, *Tit.* 2, 11. *Ioh.* 3, 16. *Rom.* 5, 6. 1 *Ioh.* 4, 9. 10. quam facilis sit ad reconciliationem et tardus ad poenam *Ps.* 103, 8 sq. quam imbecillitatibus nostris indulgeat atque succurrat, *Ps.* 145, 14. Sed immensum beneficiorum campum quis percurrat et dimetiatur? Licet tamen lustrare interdum singula, ut benignitatis divinae sensum excitemus, qui nos indies ad venerationem et obsequium, Deo debitum, atque exemplo praestantissimo ad beneficentiam adducat. Multo autem iucundior erit demonstrationis huius pars ea, quae, cum bonorum adfluentia fruimur, simul consilium divinum expendit, quod nonnisi hunc *bonorum* fructum destinavit hominibus. Quidquid igitur videmus, in eo utilitatis et commodi cuiuscunque consilium intelligimus, id felicitatis causa creari, concedi, instrui, regi cognoscimus. Ac de bonis nemo facile dubitaverit; de malis et adversitatibus res ipsa docet, ea utilitatis causa procurari, sive ad praecavenda mala atrociora, sive ad medenda. cf. *Th.* BALGVY *die göttl. Güte gerechtfertiget. mit Anm. von I. A.*

EBER-

EBERHARD *Lipſ.* 782. Recte itaque Iohannes 1 *Ep.* 4, 16. θεος ἡ αγαπη.

Obſ. 4. *Affectiones* benignitatis divinae tenemus a) quod ſit *univerſalis*, neque ullius creaturae anguſtiis contineatur. *Pſ.* 145, 9, 36, 7. Hinc vulgaris diviſio bonitatis divinae in *univerſalem* et *particularem* nulla videtur, ſi rem ex vero aeſtimes. Quanquam enim multiplex ſit varietas beneficiorum et graduum inenarrabilis diverſitas, aliosque maioribus, noſtra quidem aeſtimatione, ac largius, minoribus alios atque tenuius ornari uſus doceat; una tamen et communis beneficentiae regula, ac conſtans et aequalis bonitas, quae tantum tribuit, quantum quisque capit. b) *Immenſitatem* bonitatis divinae *Pſ.* 103, 11. vates eleganti figura deſcribit: *quantum altitudine coelum a terra diſtat, tanta eſt benignitas divina* i. e. quemadmodum diſtantiam coelum inter et terram menſura definire non poſſumus, (vide *Pſ.* 139, 5 ſq. et ſupra §. 85. Obſ. 4.) ita quoque immenſa bonitas Dei cultoribus divinis obtingit. v. et *Pſ.* 36, 7. c) Benignitas ne obſit et iis ipſis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris, *ſapientia* regitur. Turpiter igitur abutuntur bonitate et miſericordia divina, qui indulgentia numinis freti audacius peccant, et, a qua ille retrahere ſtudet beneficiis, in eam temere irruunt perniciem. *Rom.* 2, 4. 5. Deinde d) *iuſtitia*, ut pro dignitate cuique tribuatur, delectus ſit in beneficentia, in quo et mores eius erunt ſpectandi, in quem beneficium conferetur, et animus erga eum, qui confert. Deinde e) *gratuitam* veneramur benignitatem Dei, qui nulla re egens mercaturam utilitatum ſuarum exercere nequaquam exiſtimandus erit, 1 *Cor.* 4, 7. *Rom.* 11, 35. ſed omnia ad commodum noſtrum refert. *Iac.* 1, 17. Poſtremo f) *perennitas* לעולם. *Pſ.* 103, 16. 17.

Obſ. 5. Vſum practicum huius doctrinae docent 1 *Ioh.* 4, 19. 21. *Rom.* 2, 3. 4. 5.

§. 96.

Appendix: *De decretis divinis.*

α) natura.

Huius tam sanctae ac beneficae voluntatis divinae actus, quo aliquid fieri vult, *decretum divinum* dicitur vel *praedestinatio*, eaque vel *absoluta*, quae non pendet ab actu libero hominis, vel *conditionata*, cum de homine decernit, habita actionum humanarum certissime praevisarum ratione. *Rom.* 8, 28. 29. *Eph.* 1, 5.

Obs. 1. Hebraeis decreta divina dicuntur *Ps.* 25, 10. *iudicia*, *mandata Ps.* 33, 9. *viae*, ὁδοι, *Es.* 55, 8. *Ps.* 145, 17. *Rom.* 11, 33. *cogitationes*, *Es* 55, 8. 33, 11. graecis: προθεσις. *Eph.* 1, 11. *Rom.* 9, 11. προγνωσις, *Act.* 2, 23. (ubi vide LOESNERVM *obs. e Philone*) et ευδοκια. Actus ipse οριζειν vel προοριζειν, (unde *praedestinationis* vox, tam barbara, quam lubrica enascebatur,) cuius vocis frequens in N. T. usus vetat nos de significatione, quam diximus, dubitare. *Act.* 11, 29. *Christianorum quisque traditur decrevisse, apud animum destinasse* (ὡρισαν ἑκαςος) *munera levandae paupertati. Act.* 2, 23. *e decreto voluntatis divinae* (ὡρισμενῃ βȣλῃ και προγνωσει) *Iesum traditum*, nempe a Iuda proditore, *acceptumque per manus profanas sustulistis.* vide et *Luc.* 22, 22. *Act.* 17, 26. *Deus laudatur* ὁρισας προτεταγμενους καιρους *ratas periodos et stationes humani generis terminavit vel constituit.* Nec aliter προοριζειν *Act.* 4, 28. coll. 2, 23. dicitur, ubi est *decernere, antequam existat*, diciturque de passione et morte Iesu a Deo definita. Impeditior locus occurrit *Rom.* 8, 28. 29. Agitur de adversitatibus vitae ac persecutionibus, quibus facile succumbit imbecillitas humana atque persuasio de amore divino

vino concutitur in mente pia. Hanc ut Paulus confirmet Christianis, multis rationibus allaborat. Primum itaque gubernationis divinae clementiam ac sapientiam ob oculos ponit, a qua nihil possit expectari, nisi quod congruit Christianis: *Persuasi sumus, quod Dei amicis, Christianis, omnia conducant, iis inquam, qui decreto divino evocati sunt.* (κλητοι, quibus praerogativa conceditur inter homines.) Post urget similitudinem cum Christo, qui et ipse Dei filius adversitatibus suis exemplum dederit exitus beati. *Quoscunque enim dilexit* (προεγνω, ut hebraeum ידע probare, vide c. 11, 2.): *eosdem quoque destinavit, ut exemplo conformarentur filii sui, quo is fratrum suorum sit dux et caput.* Qui Christi asseclae ac filii Dei vocari cupiunt, non possunt ad eum honorem adspirare, nisi quaedam inter eos et Christum, filiorum Dei quasi antesignanum, similitudo intercesserit. Hunc igitur cum Deus primum adversitatibus et morti tradiderit, posthaec ad augustissimam dignitatem effectum: idem consilium eandemque rationem servat in reliquis filiis suis, mala plurima huius vitae ante honores futuros decernendo. *Quos autem cum Christo destinavit* (*ad passiones*), *eos quoque evocavit*, *evocatos beneficiis adfecit*, *beneficiis adfectos* ad δοξαν dignitatem et honores summos evexit. Similiter *Eph.* 1, 5. *decrevit adoptare nos*, et splendidam prae reliquis dignitatem nobis concedere, nempe translatione ad coetum Christianum. coll. v. 11. Patet ex his dictis, προορίζειν *nuspiam* dici de decreto divino *salvandi*, nedum damnandi ad supplicia aeterna homines, sed vel de voluntate divina, quae cum dignitatem quandam coetui Christiano tum adversitates decernit, vel de beneficio et honoribus christianismi. Atque utinam hunc usum semper tenuissent doctores Christiani, qui vel scripturis S. vel dogmatis Christianis explicandis operam dedere! Sed

cum AVGVSTINVS, vir ſane diſertus et ingenioſus, linguarum autem, prout ipſe fatetur, ignarus, hanc praedeſtinationis voculam amplexatus eſſet eamque e linguae latinae conſuetudine explicaret (Lib. de *bono perſeverant.* c. 17. dixit: *in ſua, quae falli mutarique non poteſt praeſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino nec aliud quidquam eſt* PRAEDESTINARE) et ſuper illa philoſophari et argutari inciperet, traheretque ad controverſias pelagianas et rationem ſalutis aeternae, paulatim delapſus eſt in opinionem de praedeſtinatione ex abſoluto decreto, atque pro ea, qua valuit, inter Latinos et Africanos autoritate plurimos in ſocietatem erroris, aucti quoque imperitia ſectatorum, traxit; Praedeſtinatianos poſtea dictos, quorum etſi ſecta nulla, plures tamen fautores fuere, *Proſper Aquitanicus, Lucidus,* aliique, eo delapſi, ut gratiam divinam, qua carere homines non poſſent, neque illi reſiſtere, adeoque ipſam ſalutem aeternam, tribui iis dicerent abſoluto Dei decreto, qui praedeſtinati eſſent ad ſalutem aeternam. Latius inde ſerpſit cum formula barbara error graviſſimus, repullulans *Mingentii* cuiusdam Hiſpani, et *Egilae* dictis (quod praedeſtinatio ad vitam et ad mortem in Dei ſit poteſtate) novisque incrementis auctus fuit a *Godeſchalco, Saxone,* monacho Orbacenſi in Francogallia, *Sec. IX.* et Sec. XVI. poſt multas inanes Thomiſtarum cum Lombardiſtis controverſias revocatus a *Beza,* et *Calvini* primum, poſt *genevenſium* et *belgicorum* coetuum ſuffragiis comprobatus, acerrimas diſputationes excitavit, qua de re inferius exponendi locus dabitur commodior. Vnum hoc monuiſſe ſufficiat, tot diſſidia et altercationes, tot formularum prodigia, tot denique ac tam ſaeva errorum monſtra, quibus caput de praedeſtinatione omnium maxime agitatum ac turbatum fuit, unice orta e liberalium diſciplinarum ignorantia et graecarum litera-

terarum inscitia, prout iam vidit *Ioh.* SCOTVS *l. de praedestinatione*, laudatus SEMLERO *sel. cap. H. E. T. II.* 357. uno quasi praecidi ictu, ubi graecorum consuetudinem teneas, quibus ὁρισμος est qualecunque propositum et sententia ponderatis omnibus argumentis constituta, quae tantum abest, ut coeco feratur arbitrio omnemque ordinis rationem et sapientiam excludat, ut potius, remota hac, insaniae notam sibi contrahat, qua nihil de Deo statui poterit crudelius, v. TITTMANN *diss. de noxis ex inscitia linguarum. Witt.* 776.

Obs. 3. Quae sit decretorum et praedestinationis *absolutae* vel *conditionatae* ratio, e superiore disputatione (v. §. 90. Obs. 1. p. 270.) facile deducetur. *Absolutum* dicimus, cuius fundamentum non intelligitur e re ipsa, quam spectat: *conditionatum*, quod nititur praestituta quadam conditione, cui cum quis satisfaciat satisque facturum Deus certissime praevideat, inest quaedam vis regundae voluntatis divinae. E priori genere fuit decretum de creatione mundi, de mittendo salutis nostrae causa Iesu, de salute per eius mortem acquisita ac per fidem obtinenda, de praedicatione Evangelii eiusque translatione ad gentes varias, de honoribus popularibus, de quibus quanquam non sine gravi ratione et sapienti consilio statuisse Deum pie credamus, (quomodo enim aliter possit?) scimus tamen, ea minime fluxisse ex actionibus meritisque humanis. Alterum genus decretorum, cuius exemplum habemus in decreto de salvandis hominibus, praevisione divina nititur, qua, quid quisque sit acturus, quomodo sese ad conditiones salutis compositurus, videt aeternumque vidit: adeoque nec tollit libertatem humanam vel necessitatem infert, sed eius potius usum supponit. vide supra §. 85. Obs. 4. p. 259. sq.

Obs. 4. *Strictiori* sensu usus ecclesiasticus vocem praedestinationis sic frequentavit, ut unice ad hominum sive felicitatem sive perniciem aeternam referatur: unde praedestinatio duplex, ad vitam (*electio*) et ad mortem (*reprobatio*) vulgo docetur. Sed de his alibi.

§. 97.

β) *Affectiones.*

Cum in decretis divinis quasi motus et actus voluntatis divinae singulares concipiamus: easdem, quas voluntati ipsi, *affectiones* decretis quoque vindicamus. Sunt igitur *aeterna* (*Eph.* 1, 4.) *immutabilia* (§. 91.) *iusta* (§. 93.) *salubria* (§. 94.) ac nostro ingenio *sublimiora*. *Prov.* 25, 2. 1 *Cor.* 2, 10. (βαθη) *Es.* 55, 8. *Rom.* 11, 34.

§. 98.

Omnipraesentia.

Nihil adhuc diximus de *omnipraesentia*, quae tamen omnino non differt ab omniscientia et omnipotentia, iunctim concepta. Praesentiam enim spiritus unice ex intelligentia rerum nostrarum ac memoria, et vi in nos agendi aestimamus. Consentit Vates *Ps.* 139, 7—10. et *Ier.* 23, 23. 24.

Obs. 1. Multa hoc loco disputant, praecipiunt, finiunt subtiles theologi de notione et modo praesentiae, de ἀδιαστασια, de approximatione essentiae divinae (de qua diffusius BAIERVS *compend. theol.* L. I. C. 1. §. 12.) et similibus nugis, stoico potius philosopho dignis, vel fautore Spinozae ac Humii, qui materiam infinitam vel nescio quam *mundi animam* Dei nomine consecrant, quam christiano homine,

mine, quem Deum purum a materia ſpiritum profiteri decet. Ac principio quidem, ut de notione conſtet, ſpiritus praeſentiam concipimus in cogitatione in alios extra ſe defixa. Ita praeſentes abſenti nos amico ſiſtimus, dum memoriam eius recolimus, atque quid iam, quonam loco, agat, divinamus vel quemcunque ſtatum eius animo contuemur. (vide 1 *Cor.* 5, 3.). Loci quoque ratio habetur et efficientiae. Nam ubi nos quidem verſamur, agimus: atque in res nobis praeſentes operamur. Itaque Deum cum praeſentem rebus omnibus fatemur, negamus ab ulla re ſpatio et intervallo ita ſeiungi, ut eo efficientia atque operatio in rem ipſam impediatur; contra docemus: quidquid exiſtit, id ſemper obverſari animo divino ac virtuti eius aperte exponi atque patere. Atque haec notio valde commendatur magnifica deſcriptione, quam Vates divinus inſtruit atque exornat *Pſ.* 139. Nam Deum ubique eſſe ac rerum omnium claras habere notitias ac familiarem cognitionem, hoc eſt, praeſentiam ac ſcientiam naturae divinae arctiſſimo affinitatis nexu coniungi, ipſe dicit. *Ieremias* porro 23, 23. clare docet praeſentiam Dei, cui omnia ita pateant, ut nemo, eum celare poſſe inſtituta ſua, credendus ſit. Quod addit: את השמים ואת הארץ אני מלא *impleo coelum et terram*, palam eſt, id, niſi extenſam et per omnem orbem diffuſam materiam divinam ſtatuas, figurate dici contra eos, qui numen coelo contineri atque a rebus humanis plane ſeiungi ſomniarent. Simile *Salomonis* dictum 1 *Reg.* 8, 27. negat loco quodam circumſcribi Deum, atque gravi refellit ſententia opinionem Iudaeorum, in templo recens ſtructo divinitatis quaſi ſedem configi uniusque aediculi finibus eam includi, ut alio loco fruſtra quaeras. Ampliſſimam enim, inquit, naturam divinam ne terra, ne coelorum quidem ambitu capi atque conſtringi: falli, qui vim divinam ferri ultra terminos

orbis terrarum negaverint, falli itidem, qui coelorum sublimitatem immensam ut domicilium numinis tanti construi credant: multo autem magis aberrare a vero, si quis immensitatem tenuis aediculi cancellis coerceri statuat. vide et *Es.* 66, 1. *Act.* 17, 24. Verba Pauli *Act.* 17, 27. 28. Deum quidem negant remotum ab hominibus, sed satis clarum est, innui praesentiam eam numinis, quae ex operibus et efficientia intelligatur viamque aperiat facilem reperiundi vel cognoscendi Dei. Licet et hoc addere. Fatemur, animam nostram toti corpori praesentem esse, dum, sensuum corporis conscia, illud vicissim agitat atque operatione sua movet, quanquam substantiam animae concedamus non omnibus partibus pari modo fieri praesentem: quare itaque absurdum sit, credere praesentiam operativam tantum, substantiali vel repudiata vel saltim in dubium vocata? Ex his quidem dictis non aliam quam cogitationis et operationis praesentiam profitear. De *substantiali* autem, cuius ego nec notionem ullam animo meo informare possum, nec qua de causa necessaria defendatur intelligo, adhuc subdubitare liceat. Tu eam defendis: recte quidem, si intelligis: equidem subductis rationibus iudicium suspendo, nec cum numinis iniuria, quod mihi praesentissimum sentio atque revereor: nec cum aliorum periculo, quibus difficile videtur, probata illa formula ἀδιαςασίας et praesentiae omnia *implentis*, cerebrum ita purgare, ut omnis materiae cogitatio subsidat.

Obs. 2. Magis firmatur opinio nostra de praesentia, quae efficacia et operatione consistit, formulis sacrorum autorum, quae Deum abesse vel adesse, abire vel propius accedere tradunt. *Ps.* 46, 6. 91, 15. atque non testem tantum actionis ac status cuiuscunque eum arguunt sed vel, ubi secedit, auxilium negari, ubi appropinquare et conversari cum homine dicitur, efficaciam amoris divini sese beneficiis ac adiu-

adiutorio exserere, haud obscure intendunt. Neque est praesentia Dei, quam Christus *Ioh.* 14, 23. 24. promittit, (quomodo enim natura divina, quae sua sponte sit omnibus rebus praesens, possit fieri propior fidelibus atque altius sese animis eorum insinuare, equidem non intelligo, nec a quoquam idonea ratione expositum memini): sed conversatio et familiaritas cultorum Christi cum Deo in vita aeterna. *Nos* (ego et cultores mei) *ad eum* (*patrem*) *veniemus et cum eo commorabimur.* coll. v. 3. sq. in quo omnis felicitatis summa existit.

§. 99.

Maiestas et gloria Dei.

Haec satis exposita sint de attributis divinis, arctissimo nexu coniunctis, ut nullum uspiam separatim a reliquis concipi vel agere queat. Eorum complexus est *maiestas divina* (כבוד יהוה), s. divina natura (θειοτης) *Rom.* 1, 20. quae, quatenus ex operibus divinis cernitur ac, prout dignum est, colitur, *gloria Dei* dicitur. vide *Ps.* 19, 2—11. 29, 1. 9.

Obs. 1. Differunt itaque *maiestas* divina et *gloria* sic, ut illam per se habeat Deus, haec pendeat a iudicio hominum. Illam promovere velle, nefas omnino et absurdum, quasi quis possit immensitatem augere: hanc autem elevari pariter atque evehi ab hominibus posse, sacrarum literarum autoritas demonstrat. Paulus *Col.* 3, 17. omnia *ad Dei gloriam* agere iubet i. e. eo dirigere actiones, ut quanta sit numinis reverentia, quam benevole hominum utilitati provisum a Deo, quam sit erga homines egregie animatus et quanta vi, maiestate, sanctitate ac benignitate polleat, cognoscatur. Eodem sensu *Phil.* 2, 11. omnes ex imperio I. C. agnoscere

 debere

debere et promovere gloriam patris; quia in illa Christi maiestate benignitas divina maxime sit conspicua. Sic *Es.* 42, 8. Deus negat se honorem suum alii concessurum, vel permissurum, ut homines de rebus aliis, imaginibus, idolis tam honorifice sentiant, quam de Iehova.

Obs. 2. Philosophi *maiestatem divinam* ουσιαν (*essentiam*) dixere, qua qui fruitur, *substantia divina* recte vocatur, si substantiam finias *ens, quod vi agendi pollet.* Iam quum nonnisi uni ουσια divinitatis competat, *unam* esse *substantiam* divinam, recte statuitur.

SECTIO TERTIA.

DE TRINITATE IN DEO.

§. 100.

Summa doctrinae.

Tanta est naturae divinae maiestas, nostrique ingenii imbecillitas, ut mens vel capacissima minime queat omnia rescire atque concipere, quae Deo insunt, isque valde tenuiter sentiat de numine, qui nihil in eo reperiri deque eo statui posse existimet, cuius non aliquid sit cum rebus humanis analogon (§ 76) Neminem itaque offendat, si divina declaratione, dummodo perspicua et indubia, doceamur, naturam ac maiestatem divinam tribus ita esse communem, ut indivisa societate et pari dignitate ornati in unam substantiam divinam coëant et Dei unius nomine iungantur. Hanc doctrinam *Trinitatis mysterium* dicimus.

Obs. 1. Trinitatis fides, si rem curatius discutiamus, ad *tria* capita recurrit: *primum* existere *unam* tantum *substan-*

stantiam divinam, vel Deum: (v. §. 99. Obs. 2.) *alterum:* *tres subsistere* in hac una indivisaque substantia, atque, quod *tertium* est, *communem* inter se habere naturam infinitam.

Obs. 2. Nos in universo loco, difficillimo, sic versabimur, ut *primum*, quid cognosci e sacris literis possit, caute ac liberaliter indagemus, *deinde* traditionem ecclesiasticam et variorum coetuum ac doctorum opiniones referamus atque iudicio nostro qualicunque modeste subiiciamus. Erit itaque bipartita tractatio: *biblica* altera et simplex: altera *historica* ac erudita.

§. 101.

A) Pars prior, biblica.

Age igitur, remotis formularum impedimentis vel systematis alicuius finitionibus, ad sacrarum literarum fidem recurramus, quae nobis patrem, filium Dei a patre, et Spiritum sanctum ab utroque diversum laudant atque divinae maiestatis participes faciunt. *Duplex* autem decretorum S. Scr. *classis* in censum venit: *altera* eorum, quibus omnia doctrinae capita per compendium tradi videntur, *altera* eorum, quae patris, filii ac Spiritus S. naturam sigillatim exponunt.

§. 102.

a) Prima classis.

Principio quidem mirari subit, universam de Trinitate in Deo doctrinam nusquam *unius* dicti autoritate clare tradi atque finiri, etsi notitias de Deo, patre, filio et Spiritu Sancto in fundamentis institutionis Christianae non dubitem referre (vide §. 23. Obs. 2.). Laudantur

 qui-

quidem 1 *Ioh.* 5, 7. *Matth.* 28, 18-20. 2 *Cor.* 13, 13. 1 *Pet.* 1, 2. *Matth.* 3, 16. 17. 1 *Cor.* 12, 4. 5. 6. at prius illud cauti critici merito repudiant: reliquis unum tantum doctrinae caput, alium esse patrem, filium alium, spiritum ab utroque differre, confirmatur.

Obs. 1. Si qua adhuc criseos lex valet et autoritas, si qua codicum antiquorum et versionum fides, si qua interpretationis cura ac prudentia: nefas erit afferre Iohanneum, quod volunt, dictum 1 *Ioh.* 5, 7. ut locorum probantium quasi antesignanum, quo repulso, (poterit autem facili opera), saepe Trinitatis adversarii triumphos de prostrata doctrina universa cecinere. Nam si *Codices* plus quam ducentos evolvas: non extat nisi in *Britannico* s. *Montfortiensi*, papyraceo, recentiori ac ad vulgatam versionem reformato, (cuius lectionem genuinam, diversam quidem a *Wetstenii* et *Griesbachii* excerptis, dedit P. I. BRUNS, *in Repertor. für bibl. und morgenl. Literatur* P. II. p. 260. *και το πνα εςι το μαρτυρουν οτι χς εςιν αληθεια. οτι τρεις εισιν οι μαρτυρουντες εν τω ουνω. πτρ, λογος, και πνα αγιον· και ὁυτοι οι τρεις ἑν εισι· και τρεις εισιν οι μαρτυρουντες εν τη γη, πνα, υδωρ και αιμα ει την μαρτ. κ. τ. λ.* quod indicio certissimo est, monente iam *Erasmo*, locum ex latino imperite conversum esse, (linguae enim graecae ingenium postularet ὁ πατηρ, ὁ λογος,) et *Raviano* editionis Complutensis apographo e codicum numero fere delendo. Si *versiones*, quarum antiquior fides magno habetur pretio, evolvas: frustra quaeras in *Syriaca* utraque (ante *Tremellium*, qui editionibus vulgaribus inseruit primus), in *Arabicis*, *Copticis*, *Aethiopicis*

et

et *Armenorum* antiquioribus exemplis: nec *Latina*, e quibus totus locus manavit, Hiſpanis editoribus probatus, ſatis pura atque conſtantia reperiuntur: alia enim omittunt comma, alia transponunt, alia vocum ipſarum varietate fraudis ac interpolationis veſtigia monſtrant, qua de re pauca monuimus in *Literariſch. Muſeum T. II. St. 2. p.* 179 ſq. *Altd.* 1779. Ipſum quoque *Lutherum*, qui locum reperit in verſione vulgata atque vidit in *Eraſmicam* editionem N. T. *tertiam* aliasque inſequentes receptum, nullo modo induci potuiſſe videmus, ut fidem tribueret novae lectioni dictumque temere prius adſutum a *Complutenſibus*, probatum ab Eraſmo, *ne cui ſit cauſa calumniandi*, *editioni tertiae* inſertum, ſuffragio ſuo adprobaret ſeque ſuperſtite in verſionem germanicam cooptaret. Quodſi denique *patres graecos latinosque* conſulas, plerique ſunt, nedum omnes, ex antiquioribus, qui quanquam laudarent in ſcriptis ſuis comma ſextum et octavum, ac ſtudioſe contra Antitrinitariorum impietatem, quaecunque compeſcendis erroribus viderentur idonea, conquirerent, hunc tamen verſum praetereunt. vide WETSTEN. *ad h. l. p.* 721 *ſq. T. II.* ed. N. T. et locupletiores illo teſtes I. S. SEMLER (*hiſtor. und kritiſche Sammlungen über die ſogenannten Beweiſsſtellen, Erſtes St. Helmſt. und Halle* 8. 764.) et I. I. GRIESBACH *N. T. ad h. l.* qui clare demonſtrat, a *Tertulliano adv. Praxeam* c. 25. et *Cypriano ep.* 73. *ad Iulian.* minime ad hunc locum alludi totumque comma niti praecipue teſtimonio, ingenio ac autoritate *Vigilii Tapſenſis*, ſuſpecti ſane autoris Sec. V. ante quem nemo illud excitavit. Atque ille, ut plurimis commendavit gloſſema per pium, quem fundit, ſenſum, tamen non is eſt, qui vel criſeos bonaeque fidei laudem mereatur vel autorem idoneum ſequatur vel interpolationis ſuae conſtantes ac fidos cuſtodes reliquos

habeat.

habeat. Quotquot enim autores ab illo aevo usque ad Sec. IX. laudant illa verba, tot inter se mirum in modum discrepant. v. GRIESBACH p. 235. sq. Iam cum tanta tot codicum concordia, tot versionum suffragia, tot patrum libri, tot criticorum testimonia clament, dictum haud genuinum resecari debere e sacris literis, atque id, si reiiciatur, nullum nec in ipso textu lacunae vestigium post se relinquat, nec systemati christiano ruinam afferat (salva enim manet ex aliis locis adstructa fides): valeant, valeant, quicunque coniecturis suis exornare commatis spurii dignitatem vel de criticorum immodestia conqueri ausint, quasi dignum sit theologo humanas fraudes adiuvare, atque ne quid traditionis fidei detrahatur, ratas artis criticae leges penitus evertere.

v. praeter autores laudatos I. D. MICHAELIS *Einl. in die goettl. Schr. des N. B. T. II. p.* 1245. ed. noviss.

Obs. 2. *Alterum* locum diximus *Matth.* 28, 18—20. in quo monentur Apostoli, ut non iam Iudaeae sese finibus contineant, sed populos quoscunque, nullo habito discrimine, adeant atque, si possint, institutione sua ad coetum Christianum adducant (μαθητευσατε): quo facto iubentur lotione solemni sacris novis initiari: *et baptizate eos* εις το ονομα του πατρος, του ὑιου και του πνευματος ἁγιου. Quo loco primum clarum est usurpari hebraeum dicendi genus in formula בשם, atque εις το ονομα του π. et s. p. pleonastice dici loco εις τον πατερα. v. *Act.* 19, 5. coll. *Gal.* 3, 27. Dein per omnes rationes nullo modo sensus alius exprimi potest, quam hic, ut, si qui per institutionem praeparati adiungi cupiant reipublicae Christianae, baptismi solemnitate inaugurarentur in religione, quae patris, filii et Spiritus sancti autoritate consistit, eamque pie revererentur. Hunc enim sensum formulae: βα-

πτι-

πτισθηναι εις τινα demonſtrat Paulus, cum Iſraelitas olim εις μωυσην βαπτισθεντας laudat 1 *Cor.* 10, 2, nempe immerſos maris tranſitu, ut traditae per Moſen doctrinae addictos ſeſe profiterentur Moſaicisque inſtitutis nomen darent. Similiter 1 *Cor.* 1, 13. negat Corinthios εις παυλον baptizatos, vel ideo imbutos aqua, ut Paulum quaſi ducem et caput eccleſiae ſequerentur. Quae cum careant dubitatione, vix auſim trahere locum ad demonſtrationem divinitatis eorum, quibus per occaſionem ritus ſolemnis nomen dedere novi chriſtiani, (nec enim Moſen ideo Deum facimus, quia Iſraelitas in eius nomen immerſos legimus); ſed univerſam formulam interpretari tantum de tribus religionis novae capitibus et conditoribus, patre ut autore, filio ut domino coetus novi, ſpiritu ſancto ut rectore ac adiutore. Atque ſic exponi video dictum ab *Euſebio de eccleſ. theol. Lib.* 3. (*ap. S.* CLARK. *Schriftlehre v. der Dreieinigkeit p.* 303. *ed. germ.*) Neminem enim horum, a quibus beneficia inſignia derivantur ad Chriſtianos, εκλεκτους κατα προγνωσιν θεου πατρος, εν αγιασμω πνευματος, εις υπακοην και ραντισμον αιματος Ιησου χρ. (*evocatos Deo patre bene cupiente, ac ſanctificante ſpiritu, ut Chriſto, cuius ſanguine initiantur novis ſacris, fidem dent*, ut *Petrus* 1 *Ep.* 1, 1. docet, quocum cf. *Eph.* 1, 3. 7. 13.) fas eſt excludere a profeſſione atque cultu. Ceterum et nominis varietas et beneficiorum diverſitas et ipſa formula εις ονομα, cum in nomine vel in nomen alicuius aliquid fieri, non dicitur niſi de perſona, vetat dubitare, quo minus alius ſit Pater, alius Ieſus, alius denique Spiritus ſanctus, atque cogitationem omnem de modis, facultatibus vel virtutibus (qualitates vocant) ſingulis, nomine tantum diſtinctis, excludit. Neque maior vis eſt voti *Pauli* 2 *Cor.* 13, 13. *Favor I. C. et amor* (beneficentia) *Dei et ſocietas* (*amicitia*) *Spiritus ſancti vobis impertiatur.* Quid enim? Anne beneficia,

niſi

nisi a Deo, precari suis non potuit vir divinus? (cf. 2 *Cor* 8, 4. 1 *Ioh.* 1, 3.) At, inquis, omnis felicitatis summam recenset, quam a divina liberalitate expetit. Recte! nihil enim Christiana religione beatius, nihil exoptatius, quam frui beneficiis a Christo nobis acquisitis ac promissis, propitium sibi sentire numen, denique Spiritus sancti favore et amicitia adiuvari: sed, nisi ex aliis locis constiterit, honorem divinum iure ad Iesum et Sp. S. deferri, illud quidem decretum, quod Deum (non patrem) a Iesu et Sp. S. clare distinguit, divinitatem Iesu et Spiritus S. vix efficiet. v. MOSCHE *Bibelfreund P. V. p.* 76 sq. Sic quoque *Ioh.* 14, 26. 1 *Cor.* 12, 4. 5. 6.

Obs. 4. Laudant veteres prae reliquis *baptismi* historiam *Matth.* 3, 16. 18. sed equidem Iordanem adeundo nihil video praeter trium significationes, patris voce, filii compellatione, spiritus S. symbolo: at, nisi aliorum dictorum luce collustratus, quanam quisque natura emineat, non video.

§. 103.

b) *Altera classis.*

Multo tamen magis valebunt dicta reliqua, quae patris, filii et spiritus sancti maiestatem commemorant, atque, cum patrem et Deum synonymice laudant, filio quoque et spiritui sancto societatem divinae naturae vindicant. De singulis iam sigillatim disquiremus.

§. 104.

α) *De Deo patre.*

Patris dignitatem ac maiestatem summam tanto consensu cum literae sacrae tum coetus christiani docent, ut de ea multis disputare non sit necesse. 1 *Cor.* 8, 4-6. *Ioh.* 10, 29. 17, 1-3. *Gal.* 1, 4. *Eph.* 4, 6.

Obs.

Obſ. Non alienum ab hoc loco, nec contrarium divinis decretis ſit, tenere, patris nomine ſaepius *divinam ſubſtantiam* indiviſam inſigniri, idque repeti a rerum omnium creatione ac provida rerum humanarum cura, ſicut nos patrem vitae noſtrae auctorem ac proviſorem vocamus. Qui unius e tribus, quorum numerus Deum unum efficit, cognomen Patrem eſſe volunt, multis vel difficultatibus vel erroribus impliciti vix ſeſe expedient.

§. 105.

β) *De Filio Dei.*

א) *Nomen Dei.*

Societatem naturae divinae *Chriſto*, *filio Dei*, *Ebr.* 1, 2. 5. *Ioh.* 10, 35. quem et λογον Iohannes 1, 1. vocat, (utrumque autem nomen naturam eius divinam vix perſuadeor deſcribere), vindicamus *tribus* potiſſimum argumentis. *Primum* enim *Dei nomen* auguſtum ſacri autores clare illi tribuunt *Ioh.* 1, 1. 2. *Rom.* 9, 5. [*Ioh.* 20, 28. 1 *Tim.* 3, 16. *Tit.* 2, 13. 1 *Ioh.* 5, 20. *Act.* 20, 28.] et aequalem Deo teſtantur *Phil.* 2, 6. [*Ioh.* 10, 30.]

Obſ. 1. Sunt, qui ipſum nomen *filii Dei* de divina quadam ſervatoris noſtri natura eſſe interpretandum iudicent, atque inprimis urgeant *tum* nominis ipſius rationem, quae nos iubeat, in homine certe, de eadem natura cogitare, *tum Pauli* diſputationem ad *Hebr.* 1, 2. 5. et 4, 14. quae de eminentiore vocis υἱος θεου, ſecundum Paulum ſaltem, ſignificatione dubitare neminem ſinat, cum ex hoc ipſo cognomine angelis multo praeſtantiorem ac eminentiorem Ieſum eſſe efficiat: *tum* formulas additas: μονογενης, *Ioh.* 1, 18. 3, 16. ἰδιος *Rom.* 8, 22. αγαπητος *Matth.*

3, 17. quae nobis merito persuadent, peculiari plane relatione Christum ad patrem ferri. Haec quidem illi, iure usi suo et satis splendide: sunt tamen plurima alia argumenta, quibus commoti vix ausimus filii cognomen a divinae naturae communione repetere. Atque *principio* quidem notandum est hoc: nomen filii Dei Messiae ita proprium et mente oreque Iudaeorum ita vulgatum et solemne fuisse, ut quem Messiam expectabant, eundem υἱον θεου fore certo sibi persuaderent. vid. *Luc.* 4, 41. *Matth.* 26, 63. 27, 40. coll. *Luc.* 23, 35. *Matth.* 16, 16. coll. *Luc.* 9, 20. Origo vero nominis ita proprie et κατ' ἐξοχην de Messia exhibiti haud dubie repetenda est e *Ps.* 2, 7. et 2 *Sam.* 7, 14. Quum enim non inter Iudaeos tantum sed totius orientis omnesque adeo veteres populos reges Deorum filios appellari solemne sit, potuit fieri, ut Messias, summus ille Iudaeorum rex eodem nomine eodemque sensu appellaretur. Inest quoque insignis virtutis et favoris divini significatio, cum Iudaei filios appellare consuescerent, qui sunt alteri per animi similitudinem coniuncti, unde μονογενη, αγαπητον, πρωτοτοκον *Col.* 1, 15. υἱον θεου interpretari liceat eum, qui reliquis longe est Deo per naturam suam Deo simillimam commendatior (απαυγασμα της δοξης και χαρακτηρ της ὑποςασεως *Ebr.* 1, 3. is e quo resplendet maiestas divina et cui impressus est divinitatis character) atque virtutibus eminentissimus reperitur. Itaque cum et nominis ratio et Pauli ad *Ebr.* 1. argumentatio maius humana ac mentium omnium natura fastigium huic filio Dei decernat, tamen ad aeterni numinis infinitam praestantiam id pertingere, tantum abest, ut demonstret, ut aut de praestantia infinita Christi dubitare, cum Socinianis, aut nobiscum negare debeas, formulam υἱον θεου esse divinae naturae

nomen.

nomen. Taceam, patris et filii semper eam reperiri rationem, ut tempore illum priorem et maiorem, hunc posteriorem ac pendentem a patre non possis non cogitare, atque analogiam nimis tenuem et obscuram, detracto illo charactere naturali ac, apud homines quidem, necessario, inter patrem et filium humanum Deumque patrem ac filium Dei superesse; nam respondebunt procul dubio, multa secus in divinitate existere, ac sunt in creaturis, nec argutandum in similitudinibus auquirendis; id tantum monere attinet, promitti Messiae a Deo, se illi pro patre illumque sibi pro filio (εἰς ὑιὸν) futurum. Quisnam his auditis sibi persuadeat, scriptorem hic de naturali illa, aeterna ac necessaria essentiae coniunctione cogitare voluisse? Poteratne eius rei ulla esse pollicitatio, quae est ita necessaria, ut nihil voluntati arbitrioque optantis in illam liceret? Poteratne aeternus ille et per naturam suam filius Dei nomen augustissimum κληρονομεῖν, consequi, ut Paulus inquit, *Ebr.* 1, 4. ac *Deus fieri?* Atque hoc luculentius perspicietur, si quis accesserit ad 1 *Cor.* 15, 28. legatque, fore, ut debellata omni vi hominibus inimica ipsaque morte devicta, imminente iam oeconomiae Christianae fine, αὐτος ὁ ὑιὸς filius *ipse* subiiciatur patri, a quo regnum acceperat. Quid? naturae divinae socium statuas diminui tandem ac socio patri subiici, amissa natura infinita? Sed molestum sibi scrupulum exemtum sentiet, quisquis teneat, non indignum esse Messiae, summi regis, praestantia, olim idem, quod traditum a patre munus tanta cum laude gesserat, reddere Deo ac, quum iam desinat res illa publica Christiana, tanto rectore ad finem usque mundi sustentata, publice ac factis declarare, se traditam fideliter exercuisse potestatem, quo facto divisa olim in plures coetus res publica divina coibit, non iam alio imperatore recta,

quam Deo uno omnium maximo domino. Praeterea Iesus ipse *Ioh.* 10, 35. recte et iure suo se titulum filii Dei usurpare defendit, ea allata causa, quoniam revera ipse sit is, ὁν ὁ πατηρ ἡγιασε και απεςειλεν εις τον κοσμον, *quem Deus ipse, rerum humanarum dux et autor, ad obeundum munus consecratum ablegaverit.* Denique Pauli quoque locus *Rom.* 8, 29. non praeteriri potest, unde, quae mens Apostoli in formula ea adhibenda fuerit, intelligitur liquido et explicatur. Namque non dubitat ὑιους θεου appellare αδελφους χριςου, fratres Christi, e quibus ille primus ac eminentissimus (πρωτοτοκος) sit. Iam si insigne cognomen, ὑιος θεου, pios facit fratres Christi, ὑιου θεου, neque tamen naturae divinae societatem per hunc titulum quisquam sibi arrogabit: sponte consequitur, ut ad divinae maiestatis significationem haud indubio trahi queat. cf. quoque *Ioh.* 5, 18. 19. *Marc.* 13, 32.

vide *I. Dav.* HEILMANN *disquisitio de ratione, qua Iesus sua ex mortuis αναςασει Messias demonstratus est, in Opusc. ed.* DANOV. *T. II. p.* 530. *Ien.* 778. *I. B.* KOPPE *N. T. Excursus* 2. *Ep. ad Gal. p.* 91 *sq. G. G.* LANGE *exegetische Versuche IV. St. p.* 687 sq. et *C. G. Fr.* WALCH *Diss. de Christo filio Dei proprio Gött.* 766. ac *G. T.* ZACHARIAE *diss. de usu dogmatico nominis filii Dei. ib.* 768.

Obs. 2. Pergamus ad vocem λογου, quae unde ducta sit, non adeo facile erit perspicue docere, inprimis cum in N. T. libris uni Iohanni sit propria. Sunt, qui e *Platonis* schola vel *Philone* repetant atque illustrent, satis refutati a BRVCKERO *in Hist. philos. crit. T. I. p.* 635. *et III.* 331. *sq.* obliti sane simplicitatis Iohanneae et temporum rationis, quae permixta cum Platonismo religione christiana demum patres ausos fuisse docet λογον Iohannis cum λογῳ

Pla-

Platonis componere. Alii *Chaldaicam* linguam inprimisque vocabulum מימרא huc referunt, super qua re a multis multa sunt disputata: verum non satis clare demonstratum est, Chaldaeum hac voce sic uti, ut praeter descriptionem et periphrasin Dei summi quidquam insit; v. *I. S.* DEYLING *obs. s. T. I. p.* 221. *I. H.* MICHAELIS *diss. de* מימרא *Chaldaeorum. Tertia* classis e *Ps.* 33, 6. illustrat, vix probabilis, nam ibi דבר יהוה *Dei decretum*, *mandatum*, vel *voluntatem* esse tironibus notum. Alii e *Gnosticorum*, recentiorum puto Iohanne haereticorum, systemate illustrare conati vocis usum, adversarios habuere gravissimos. *C. C.* TITTMANN *de vestigiis gnosticorum in N. T. frustra quaesitis Lips.* 773. et (*I. A. Cramer*) *Ueber den Anfang des Evang. Iohannis, in Beytraegen zur Befoerd. theol. Kenntnisse, T. I. p.* 213 *sq.* quorum ille, WITSIVM *T. II. Miscell. Exerc.* 3. *p.* 102. et DEYLING *l. c.* secutus, origines vocis deducit e 2 *Sam.* 7, 21. ubi omnia beneficia sibi accidisse fatetur *Davides* בעבור דברך, quod 1 *Chr.* 17, 19. repetitum enuntiatur בעבור עבדך, unde in promtu videtur iudicare, esse דבר et עבד verba idem declarantia, iisque appellari Messiam, *Es.* 52, 13. suffragantibus graecis, qui דבר in illo Samuelis loco reddunt δουλος, in quo est argumentum sententiae non leve. Verum utroque loco vereor, ut satis clara Messiae indicia extent. *Cramerus* autem novam plane nuper vocis explicationem proposuit, usu linguae hebraeae et Iohannis, cui familiare est abstractis uti, valde commendabilem, λογον dici *promissum*. Namque דבר promissiones saepe significat, atque eadem ratione, qua alias spes et solatium gentium appellari consuevit, quis neget, promissionem quoque vel promissum a Deo, Messiam dici posse? Liceat unum addere. Quisquis Iohannis

dictioni paululum adſuetus legerit frequenter formulas, ζωη, αληθεια, Φως, ſponte intelliget, eas commode verti, *autor vitae, autor veritatis ac lucis* (vide c. 1, 4. 5. 14, 6. 17, 3.): quomodo itaque alienum videatur λογον vertere: *autorem* λογου 1 *Ioh.* 2, 14. vel doctrinae divinae, qui antiquior mundi originibus, Deo familiaris, ipſeque divina maieſtate clarus, creator omnium, tandem humana forma indutus, nec tamen omni ſplendore divino orbus apparuit. Atque haec in tali genere locorum, cum contextus nullas dat anſas tenendi ſenſus, poſſunt ſufficere Vtcunque tamen exponas λογου titulum: λογω ſuo *Iohannes* ſocietatem naturae divinae tam clare tribuit, ut niſi quis cupiditati nimis indulſerit, quomodo in dubium vocari, nedum negari queat, haud perſpiciam. *Initio* (εν αρχη, *ſub mundi natales Gen.* 1, 1.) *fuit* ὁ λογος, et ὁ λογος *erat apud Deum*, (cum Deo converſabatur) *et Deus erat* ὁ λογος, (ipſius naturae divinae ſocius.) *Hic a mundi natalibus erat apud Deum, omniaque per eum creata ſunt; ſine eo nihil omnino creatum eſt.*

cf. TITTMANN *Progr. de h. l,* 1778. *Witt.*

Obſ. 3. *Pauli* dictum *Rom.* 9, 5. non minus videtur planum ac facile interpreti libero ab opinionibus ac caventi ſibi a fraudibus errorum, quibus hoc loco valde agitatos reperio graves autoritate interpretes. Conſilium Apoſtoli minime obſcurum eſſe poteſt e contextu orationis, quae Iudaeae gentis privilegia ac dignitatem per compendium recenſet, arcam foederis, promiſſiones ampliſſimas, cultum numinis purum, maiorum gloriam atque, quod ſummum eſt, Meſſiae ex hac gente (ἐξ ὧν ſc. Ισραηλιτων) origines, το κατα σαρκα, qua natales, (v. v. 3.) qui ſi Iudaeorum tantum, uti illi volunt, rex beatus exiſteret, ſatis ornaret

naret gentem suam, iam autem eandem ad longe augustissimum fastigium dignitate sua eminentissima evehit; est enim επι παντων, omnium imperator et rex, non Iudaeorum tantum, (vide *Col.* 1, 17. *Eph.* 1, 21.) θεος ευλογητος εις τους αιωνας, *Deus per secula celebrandus.* Atque fatear, quod multi ac Semlerus prae reliquis graviter monuerunt, formulam θεος επι παντων, nuspiam usurpari de filio Dei atque offendere facile posse: verum nec patris ullo loco, quoad memini, titulus est, nec Paulus θεον επι παντων Christum vocat: non enim ille: ὁ ων θεος επι π. sed inversa constructione, ὁ ων επι παντων, *eminentissimus*, idque adiiciens illustrationis causa θεος ευλ. confirmat. Reliquorum ausus, qui lectionem planam ac, quod miror, omnium codicum et versionum autoritate stabilitam concutiunt, cum sint cupidorum hominum, non criticorum cautorum, lubet praeterire.

cf. *I. H.* BENNER *suffragium pro gloria Christi Rom. IX.* 5. *Gies.* 771. et alios, quos HIRT. laudat *bibl. Or. et Exeget. P. II. p.* 227. *III.* 232.

Obs. 4. Satis habebimus paucis his ac integris dictis demonstrasse divini nominis elogio ornari Iesum. Reliquorum parum certa videtur autoritas vel ob lectionis in textu varietatem vel propter interpretationis ambiguitatem. *Primum* locum obtinet 1 *Tim.* 3, 16. θεος εφανερωθη εν σαρκι, *Deus apparuit*, visibilem sese praestitit, *in carne*, vel forma humili humana. Verum lectionis integritas vix satis constat in voce θεος, neque, si constaret, divinitatis testimonium planum ac perspicuum, in quo acquiesci possit, exhibetur. Antiquissimorum enim codicum lectio aut pronomen ὅς exhibet, aut adeo obliterata est, ut in Codice Alexan-

 drino,

drino, Ephraemi et Claromontano, ut nullo modo agnosci vel restitui queat. (v. WOIDII in CRAMER *Beytraeg.* T. III. p. 147.) Versionum tamen, excepta Arabica, autoritas consentit in ὁς vel ὅ, patribus quoque probatum. v. WETSTENII *N. T. ad h. l. et* GRIESBACH *N. T. pag.* 149 sq. et, qui contra disputat s. I. BAVMGARTEN *diss. ad h. l.* ac *G. F.* WEBER *vindiciae vocis ὁ θεος* 1 *Tim.* 3, 16. *Argent.* 777. Concedamus tamen finiri lites de lectione genuina: quid vero? an hic Paulus eadem dignitate Iesum eminere ac Deum summum clare atque indubio testatur? anne nulla exempla φανερωσεως θειας succurrunt, quibus ipsam divinitatis substantiam rebus vel personis inesse, minime intelligitur? *v. c. Exod.* 3, 2. coll. *Act.* 7, 30. Parum certa igitur, nisi alia argumenta accesserint, vel vocula ὅς ad formulam θεου ζωντος referatur, quod ven. I. A. CRAMER tentavit in *Nebenarbeiten.* 1 St. *Dessav.* 782. ex hoc loco demonstratio divinitatis Iesu deducetur. Sed non negaverim, multo aptiorem videri paucorum quidem, verum antiquiorum, codicum lectionem: *Maximi momenti est doctrina religionis Christianae: Is, qui in carne apparuit,* s. vixit inter homines, *missionis suae divinae demonstrationem certissimam obtinuit e statu beatiore* s. vita nova, *Apostolis visus est* etc. cf. Ven. ROSENMVLLERI *Schol. ad h. l. T. V.* p. 278. Neque laudare ausim *Tit.* 2, 13. ac defendere *τον μεγαν θεον* Christum esse: namque commode vertitur: *expectamus, dum appareat gloria summi Dei et servator noster Iesus Christus,* vide *Rom.* 8, 18. 1 *Pet.* 1, 5. 7. Similiter parum praesidii firmi et durabilis in 1 *Ioh.* 5, 20. construitur. Monentur enim Christiani, ut caveant sibi a cultu idolorum, plane contrario institutioni Christianae. *Persuasi sumus, quod filius Dei venerit nobisque hanc men-*

tem

tem dederit, *institutione* et doctrina sua, *ut cognoscamus Deum verum* (*Ioh.* 17, 3. 1 *Cor.* 8, 6.) *et coniungamur vero Deo*, hoc est, colamus eum ac diligamus cf. 2, 24. *per filium suum I. C.*, nempe eo autore ac doctore. *Hic*, (quem Iesus, omnino diversus ab ipso ἀληθινῳ θεῳ, monstrat,) *est Deus verus: haec est felicitatis verae consequendae ratio*. Demonstrativum enim ὁυτος nonnunquam etiam ad sequentia spectat, v. c. 1 *Ioh.* 1, 5. ἁυτη ἑςιν ἡ ἑπαγγελια, vide et 3, 23. 5, 3. *Ioh.* 17, 3. Praeterea urgent nonnulli *Luc.* 1, 17. *Iohannes plurimos adducet ad Dominum Deum suum*, quem ipse CLARKIVS l. c. p. 131. Christum fuisse defendit: at vero nimis ambigua phrasis commode de Deo poterit intelligi, a quo pravis moribus Iudaea gens defecerat, iam Iohannis admonitionibus emendanda. Denique *Act.* 20, 28. eundem, qui δια του ιδιου ἁιματος acquisivit sibi ecclesiam, Iesum, θεον diserte appellari, nostris quidem editionibus facile largior: at vis argumenti valde debilitatur lectionis varietate et inconstantia, quam ego iam non ausim discutere. Reperient, qui cupiunt, apud *Griesbachium* ad h. l. p. 140. copiosam iudicium suum exercendi materiam, quos tamen praemonere liceat, ne ERNESTII crisin Wetstenianam, quanquam severiorem (in *opusc. philol. crit. p.* 335 *sqq. Lugd. B.* 764. 8.) omittant. Mihi quidem nec fautores nec adversarios divinitatis Christi, quamcunque denique lectionem praeferas, habere videntur, de quo tanto animorum fervore depugnent: illi quidem formulae ἁιμα ιδιον θεου, *sanguis Deo proprius*, si ad veritatem diligentius exigatur, minus probabilis insolentiam difficulter excusabunt: hi, etiamsi lectionem θεου ut genuinam agnoverint, poterunt quoque verba δια του ἁιματος του ιδιου (sic enim antiquissimi legunt

codices) exponere: *per sanguinem filii sui* (ιδιου vel αγαπητου nempe ὑιου. coll. *Rom.* 8, 32. *Eph.* 1, 6.) qua interpretatione, omnium, si quid recte arbitror, facillima ac planissima, litis pretium valde minuitur.

Obs. 5. Neque vero ignoro, Dei titulum e more hebraeo creatis quoque rebus concedi atque dignitatis eminentiam tribuere regibus ac magistratibus *Ps.* 82, 6. quorum mandata, ut divina, revereri decebat. Atque hac consuetudine loquendi ipse Iesus a blasphemiae crimine sese satis purgat *Ioh.* 10, 30 *sq.* contra Iudaeos, dicta sua per iniuriam detorquentes. Namque cum ille satis tutos ab omni periculo se regni sui cives praestare defenderet (v. 28), subiungit rationem: *pater enim, qui eos mihi concessit*, demandavitque provinciam regis ac tutoris, *omnium summus est*, vi maxima instructus, *itaque nemo mihi meos eripiet*, ille enim me meosque tutabitur nec ulla vi contraria poterit vinci. *Ego et pater unum sumus*, concordes consilio, animo viribusque. (Sic enim ἑν ειναι est *Ioh.* 17, 21. 22. 1 *Cor.* 3, 8. ubi nemo cogitet de unitate naturae. Similiter *Cicero* de *officiis* L. I. c. 17. p. m. 123. *nihil est amabilius, nihil copulatius quam morum similitudo. In quibus enim eadem studia sunt eaedemque voluntates, in his fit, ut aeque quisque altero delectetur ac seipso, efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat e pluribus*). Offendit dictio Iudaeorum aures: putabant enim Iesum summo in fastigio divinitatis sese collocare. Conantur blasphemum hominem lapidibus obruere atque blasphemiae poenam per tumultum exequi, ὁτι, ανθρωπος ων, ποιεις σεαυτον θεον, *quod cum homo esset, ausit se Deum facere.* Bene quidem illi ac legitime, cum ignorarent et maiestatem Messiae et dictorum v. 30. sensum. Quem ut luci-

dius

dius exponat servator noster, respondet: *Nonne in libris vestris legitis: Ego vos Deos nuncupo?* (*Ps.* 82, 6.). *Quodsi itaque scr. sacra Deos vocat eos, quos Deus adflavit,* (formula εγενετο λογος θεου προς τινα, frequens de *prophetarum* adflatu, non plane aliena est a *regibus* v. *Ps.* 72, 1. quorum decreta, tanquam divina, sequi oportebat et per quos Deus mandata hominibus promulgabat): non est, quod vobis iniurium videatur ac insolens, me eodem nomine uti: *mene, quem Pater consecratum ablegavit, blasphemare dicatis, si me filium Dei profitear?* Verum ut liberalius largiar, divinum titulum ad legatos quoque et ministros divinos transferri, tamen longe insigniorem hac dignitatem et copulatiorem divinitati Iesum tenuisse arguunt Pauli doxologia *Rom.* 9, 5. et diserta confessio *Phil.* 2, 6. Iesum fuisse ισα θεω, Deo aequalem, qui locus infra erit elucidandus.

Obs. 6. Fuere qui *divinam* Christi *naturam*, quam vocant, πνευματος nomine insigniri statuerent e *Rom.* 1, 3. 1 *Tim.* 3, 16. 1 *Pet.* 3, 18. *Ebr.* 9, 14. sed vide, quae disputata sunt in *Repertorium für bibl. und Morgenl. Literatur.* T. *II.* p. 1 *sq*, ac *C. F.* SCHMID *diss. de potestate vocabulis* σαρκος *et* πνευματος *de Christo dictis in* N. T. *subiecta. Witt.* 775.

§. 106.

ב) *Attributa divina.*

Praeterea de filio Dei s. Christo plurima dicuntur, quae fere sine communione divinae naturae esse nequeunt, ut *scientia* cum divinitatis. *Matth.* 11, 27. *Ioh.* 6, 46. tum animi humani absolutissima, *Ioh.* 2, 24. 25. 21, *Act.* 1, 24. coll. *Ioh* 15, 16. 1 *Cor.* 4, 5. coll. *Act.* 17, 31. *Ioh.* 5, 22. 27. *Ier.* 17, 9. 10. vis et *potentia* summa, *Phil.* 3, 21.

 peren-

perennitas, *Ioh.* 1, 1. [17, 5.] *Ebr.* 1, 10 *sq.* denique rerum omnium *creatio*, *Ioh.* 1, 1-3. 10. 5, 26. ac *conservatio*, *Col.* 1, 17. *Ebr.* 1, 3. Frustra additur *Col.* 2, 9.

Obs. 1. Magna argumento vis accedit ex observatione superius (§. 99.) proposita, attributa divina arctissimo copulari vinculo, sic, ut nullum separatim concipi queat adeoque, qui uno pollet, omnibus ornetur. Aliquid tamen scrupuli obiicitur ex aliis scripturae s. testimoniis, quibus *traditam* sibi ac *communicatam* fuisse Iesus profitetur tum *scientiam Matth.* 11, 27. παντα παρεδοθη omnia tradita i. e. docta sunt a patre. v. I. G. ROSENMVLLER *Schol. ad h. l. Ioh.* 8, 26. 12, 49. tum *potentiam Matth.* 28, 18. *Ioh.* 3, 35. 5, 26. *Quemadmodum pater in se habet principium et causam vitae*, ut possit dare vitam, cui velit (ζωην εχειν εν ἑαυτω ex usu Iohannaeo significat *autorem* esse *vitae*,): *ita filio quoque tradidit ius* et potestatem, per se vimque suam vitam largiendi, et mortuos quoque revocandi in vitam. v. 25. Quae verba si quidam de *aseitate*, quam philosophi vocant, audent interpretari, nae ii non tenent, non posse communicari aseitatem, vitamque, quae *datur*, non esse aeternam nec independentem ab autore aliquo. vide et *Ioh.* 17, 2. 1 *Cor.* 15, 17. Gravius igitur argumentum suppeditat locus, qui mundo antiquiorum Christum facit. *Ioh.* 1, 1. *sub initia mundi extitit* ὁ λογος. Namque esse ante mundi initia quid est, si non esse ab aeterno? *Ps.* 90, 2. *Eph.* 1, 4. *Es.* 41, 4. De dicto *Ioh.* 17, 5. v. §. 249. Obs. 3. Atque haec tam limpida et stabilita sunt, ut alia dicta, quae extitisse Iesum ante adventum suum probant, adducere non sit necesse. *Ioh.* 8, 42. 58. 3, 13. 6, 62. frustra enim ex his aeternitatis argumentum petitur. cf. E. I.

DANOV diss. *locorum quorundam scr. S. divinitatem I. C. probantium explanatio. Ien.* 774.

Obs. 2. *Creationem* filio Dei clare tribuunt *Iohannes* 1, 1-3. et *Paulus Col.* 1, 13-17. *Christus est imago Dei invisibilis, omnis creaturae primogenitus* (i. e. nobilissimus, antesignanus, caput, ex usu hebraeo. cf. *Rom.* 8, 29. Sed ne offendamur, si κτισιν Iesum vocat, per naturae humanae origines, addit, eundem alio respectu longe eminere super creaturas:) *per eum enim omnia creata sunt, sive coelestia sive terrestria, sive visibilia, sive invisibilia, quidquid in rerum natura magnum, insigne, potens reperitur,* (id enim vir divinus comprehendit formulis synonymis cumulatis invicem, κυριοτητες, αρχαι, εξουσιαι, i. e. κυριοι, αρχοντες), *omnia per eum et propter eum* (εις αυτον v. *Rom.* 11, ult.) *creata sunt: ille omnibus prior: per eum omnia consistunt.* (συνεςηκεν Ebr. עמד *stare, perdurare.* vide *Ps.* 119, 3. 33, 9. *Eccl.* 1, 14.) *Idem ille,* qui rerum omnium creator ac conservator habetur, *caput est ecclesiae.* Similiter *Ebr.* 1, 1. 2. laudat filium Dei, δι' ού τους αιωνας εποιησε (עשה עולם *tempus effecit,* vel origines rerum omnium *Ebr.* 11, 3.): *qui vi sua omnia sustinet* (φερειν ex usu hebraeo נשא notat *sustinere, conservare,* vide *Es.* 46, 3. 63, 9.) εν ρηματι δυναμεως αυτου, hebraice scripsisset בדבר עזו *verbo maiestatis suae,* vel decreto efficacissimo. cf. ad h. l. PEIRCH *Paraphr.* ed. *Michaelis* p. 68.

Obs. 3. Locus Paulinus *Col.* 2, 9. εν αυτω κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως, quod multi ad normam vulgaris Lexici potius quam ad contextus regulam exponunt: *in eo habitat omnis divinitas vere,* obscurior est, quam ut per eum illustrare doctrinam gravissimam ausimus. Nam primum πληρωμα της θεοτητος non

non differt a πληρωματι του θεου *Eph.* 3, 19. vel πλ. του τα παντα εν πασι πληρωμενου, quod quin sit regnum divinum universum, vel universitas gentium, quae orbem terrarum incolunt, non est dubium. Sic enim πληρωμα εθνων *Rom.* 11, 25. *multitudo* vel universitas *gentium:* πληρωμα της γης *Ps.* 24, 1. *orbis universus:* et πληρωμα θ. *id quod Deus implet*, vel praesentia sua ac vi comprehendit (cf. §. 98. Obs. 1. p. 309.) universitas hominum, qui iam divino imperio subsunt (*das allgemeine goettliche Reich*); *sed illa universitas*, semotis iam partibus, per quas divisa fuit (erant enim Iudaei alii, alii graeci vel profani), *habitat in Christo;* (omnes Dei cives iam sunt incolae reipublicae christianae, vel templi magnifici a Christo instructi *Eph.* 2, 19. non iam παροικοι, sed συμπολιται, neque enim gentem aliquam excludi vult a sodalitate Christi). Idque sit σωματικως, vel ὡς σωμα, *tanquam corpus* q. d. quos iam incolas dixi regni Christiani, ii constituunt corpus Christi, capitis omnium rerum. Atque hunc sensum commendant *Col.* 1, 16. *Pro consilio Dei benigno in Christo* vel Ecclesia *universitas habitat*, omnes recipiuntur. vid. v. 17. et *Eph.* 3, 19. quem recte cum nostro loco contulit G. A. TELLER, *Woerterbuch des N. T. Zusaeze p. m.* 34. Sensus itaque videtur: omnes imperii divini amplissimi cives iam cogi posse in rempubl. Christianam, et in unum quasi corpus componi, e consilio divino: non itaque esse, quod vanis Iudaeorum studiis ac argutiis abripi sese patiantur quidam, ut repudient gentiles ac civitate christiana excludant.

§. 107.

§. 107.

) *Cultus divinus.*

Denique cultum religiosum, quem nefarium esset praestare creaturis, precibus et spei ac fiduciae sensibus, tribuere iubemur Christo non tantum per consilium mandatumque divinum *Ioh.* 5, 23. *Ebr.* 1, 6. *Phil.* 2, 10. *Ps.* 2, *ult.* sed etiam exemplis Apostolorum. *Act.* 1, 24. 7, 59. 2 *Cor.* 12, 8. 2 *Tim.* 4, 18.

Obs. 1. *Iesu uerba apud Iohannem* 5, 23. (*Filium pariter omnes colant atque patrem. Itaque qui filium non colit, is nec patrem colit,*) *tantam habent perspicuitatem, nihil ut desiderari ultra possit. Nam si eadem, qua pater, et filius religione venerandus est, isque qui filio cultum* (τιμην) *denegauit, nec patrem colit, consequens est, filio parem cum patre cultum deberi, atque eum cum patre esse coniunctissimum. Etenim ipse Deus diserte testatur, se honorem sibi debitum nulli alii concedere, neque concedere posse. Es.* 42, 8. 48, 11. *atque Christus alio tempore impudenti diaboli tentatoris postulato haec opponit e Deut.* 6, 13. *Dominum, Deum tuum adores. Quid igitur? Nonne sibi repugnet Christus et quod maius est iniuriam maximam faciat Patri, si inferior illo, sibi parem tamen reverentiam hominum vindicet? quod de eo vel cogitare summae impietatis fuerit.* Verba sunt C. GVIL. THALEMANNI *Progr. Iesum Christum eodem, quo Patrem, modo colendum atque adorandum demonstrat ex Ioh.* 5, 17 - 23. *Lips.* 1776.

Obs. 2. In cultu vere religioso duo requiri, inter omnes constat. Primum adoratio, quae fit precibus: alterum sensus spei ac fiduciae, qua Deum bonorum nostrorum ac salutis autorem veneramur atque mandatis eius paremus. Vtrumque Christo deberi ac praestari intelligimus. Nam a coetibus Chri-

Christianis invocari Christum, non tantum exemplo patet, *Act.* 1, 24. coll. *Ioh.* 15, 16. et 2 *Cor.* 12, 8. sed inter omnes sub initio rei Christianae vulgatum quoque ac solemne fuit, nec PLINIO ignotum, qui *Ep. ad Traianum L.* 10. *Ep.* 97. *affirmari,* inquit, *quod carmen Christo, quasi Deo, soliti essent dicere secum invicem.* vid. et *Phil.* 2, 10. *Rom.* 14, 11: spem autem in Christum collocari atque vel beneficia ab eo ac per eum expeti vel favorem eius summo studio ac obsequio quaeri ab Apostolis et civibus novae reipublicae: quis tam hospes sit in sacris literis ac peregrinus, ut ignoret? *Ps.* 2, *ult.* coll. *Ier.* 17, 5. 2 *Cor.* 5, 8. 9. 1 *Thess.* 3, 12. 2 *Tim.* 4, 18. Ex hoc cultus genere sunt quoque tum formulae solemnes, quibus Apostoli, cum miracula edunt, utuntur, ut se eius autoritate atque in eius gloriam res tam insolitas patrasse profiteantur, *Act.* 3, 6. tum iurisiurandi religio, qua se per Christum obstringunt, *Rom.* 9, 1. εν χριστω, *per Christum.* 1 *Tim.* 2, 7.

Plurimi sunt gravissimi dogmatis defensores e quibus laudasse sufficiat: SPENER *von der ewigen Gottheit Christi.* *Iac.* ABBADIE *de la divinité de notre Seigneur I. C. Roterd.* 689. 12. *Fr.* V. CALIXTUS *assertio divinitatis Christi ex scriptura et antiquitate. Helmst.* 662. *Theodor le* BLANC *principes contre les Sociniens. Hamb.* 719. *Dan.* WITHBY *Tract. de vera Christi Deitate. Oxon.* 691. *Herm.* VENEMA *de divinitate I. C. Leovard.* 755. G. F. SEILER *über die Gottheit Christi. Leipz.* 775. WATERLAND *vindications of Christ's divinity. Cantabr.* 724.

§. 108.

Summa.

His convicti Christum, qui homo vixit inter homines, non tantum in eminentiore dignitatis

tatis fastigio collocari, verum etiam ut divinitatis socium coli a nobis debere, pie profitemur.

Obs. Reliquae quaestiones, de generatione, de modo, quo Christo societas cum natura divina competat, et aliae, theologorum ingenio, subtilitate ac audacia excogitatae, infra tangendae sunt.

§. 109.

γ) *De Spiritu Sancto.*

Sacrae quidem literae saepe *Spiritus Dei* vel Spiritus Sancti mentionem iniiciunt, sed per varium vocis usum paucis tantum locis, quae ambiguitatis nihil nihilque dubitationis relinquunt, uti oportet, sive cum demonstremus, Spiritum Sanctum diversum esse a patre et filio, sive cum societatem divinitatis eidem vindicemus.

Obs. Magnopere, sicut egregie monuit HEILMANNVS §. 88. *providendum est, ne in tanta vominum* πνευμα *et* רוח πολυσημασια *loca cumulentur, in quibus horum nominum vel dubia potestas est, vel etiam minus, quam ceterae, probabilis ista, quae singularem legenti personam obiiciat*, inprimis in libris V. T. Nos postquam superius (§. 81. Obs. 1.) varium vocis πνευμα usum exponere tentavimus, iam varios significatus familiaris formulae רוח אלהים, a quo non differt πνευμα ἁγιον, namque ἁγιον ex usu hebraeo est *venerabile*, *divinum*,) vel πνευμα δοξης, 1 *Pet.* 4, 4. per classes distribuere tentabimus. *Primum* igitur spiritum divinum plerumque dicunt hebraei actuosum rerum creatarum principium, vim divinam, omneque id, a quo vis, motus, agitatio, vehementior maxime ac insperata, repetenda sit. Ex hoc genere *Genes.* 1, 2. *spiritus Dei demissus* est (ex usu Syriaco רחף) *super aquam*, orbi terrarum circum-

circumfusam. h. e. vis divina ad segnes olim aquas iam propius accessit. Similiter *Iob.* 33, 4. *Es.* 44, 2. (ubi vox ברכה synonymam vim habet). Sic in historiis heroum poetarumque et regum, qui se iam dotibus eximiis vel insolita quadam vi instructos sentirent atque tanta effecisse dicuntur, quanta ab iis vix expectari poterant, omnis impetus ad virtutem divinam vel, ut illi loquuntur, ad spiritum divinum refertur. cf. 1 *Sam.* 10, 10. 2 *Sam.* 23, 2. Inprimis *Iudic.* 14, 6. 3, 10. 6, 34. *Exod.* 31, 2. Quis autem sibi persuadeat, singulari quadam ac vera Spiritus Sancti agitatione excitatos alios iam bella gessisse, iam caedes edidisse, iam discerpsisse leones, iam artes didicisse? Estque hoc dicendi genus antiquae simplicitatis, quae, virium naturae ignara, Deum semper vocaret in subsidium. (vide omnino I. A. DATHII *notam* ad *Glassii Philol. S. p.* 319.) Sic et in N. T. *Luc.* 1, 67. *Act.* 7, 55. et al. πληρεις πν. ἁγιου dicuntur, qui facundia oris, egregia dictionis vi, rerum gerendarum prudentia pollerent, atque insigniori adfectu agerentur. *Post* hebraei ipsas *dotes* eximias, quibus praestare quosdam ceteros intelligerent, רוח dixere, velut רוח משפט *iustitia praeclara Es.* 11, 2. רוח חכמה *animus sapientia praecellens*, et plura similia, unde in N. T. fluxit usus vocis frequentissimus, quo singulari quadam ratione πνευμα ἁγιον christianis obtingere dicitur. Nempe supra communem sortem hominum se evehi, et viribus, dotibus, dignitate eximia instrui, christiani gloriabantur, atque quidquid homo christianus pie, et sapienter et feliciter agit, id huius πνευματος beneficio tribuendum videri, inprimis est Pauli doctrina 1 *Cor.* 12, 3. Ceterum illa vis vario utique modo in variis Christianis sese exserere poterat, in vulgaribus propensione in religionem et constantia, (hinc πνευμα θεου animus

animus divinus, πνευμ χριϛου vel ὑιου θεου, animus Christianus i. e. qui decet hominem divinae religioni initiatum. cf. *Rom.* 8, 9.): in viris gravioribus acumine rerum dignoscendarum, in tradenda doctrina δεινοτητι et eloquentia: sensu atque fervore inter docendum et precandum, denique miraculis edendis. Huc pertinent, quae vulgo dici solent, *dona Spiritus S. miraculosa*, non, quod haec reliquis, quae diximus, diviniora existimata fuissent, quod profecto non est, sed quod haec rariora et insigniora et ad animum percellendum aptiora videbantur. v. 1 *Cor.* 14, 12. 1 *Thess.* 5, 19. *Matth.* 3, 4. *Ioh.* 7, 30. unde qui doctoribus et christianis noceret, tristitiam afferret vel iniurias, ac resisteret, is ipsum Spiritum divinum laedere, contristare, criminari ac infestare dicitur *Act.* 7, 51. *Eph.* 4, 30. *Es.* 63, 10. Nec aliter interpretari ausim *Davidis* votum *Ps.* 51, 13. *ne me, deprecor, reiicias a facie tua*, extorrem regno ac orbum facias, *nec spiritum tuum sanctum*, venerabilem, *mihi auferas*, retrahas a me insignes, quibus me ornasti, virtutes, nempe civiles, quibus regnum feliciter administratur. *Tertio* πνευμα θεου, animum divinum, vel scientiam ac consilia Dei significat *Es.* 40, 13. ubi graeci vertunt νους κυριου. *Ps.* 139, 7. *Denique* non desunt loca, quae omnem merae facultatis vel virtutis cogitationem excludunt, de quibus statim plura.

cf. C. G. LANGE *exegetische Versuche*, 4 *St. p.* 461 *sq.* KOPPE *N. T. excursus* 5. *Ep. ad Galat. p.* 107. et multo magis G. H. LANG *zur Befoerderung des richtigen Gebrauchs des Teller. Woerterb.* sub voce *Geist* P. II. p. 41. sq.

§. 110.

ℵ) *Personalitas Spiritus Sancti.*

Primum itaque sic praecipiunt Apostoli de Spiritu Sancto, ut diversum eundem a Patre et Christo profiteri oporteat. *Matth.* 28, 28. 2 *Cor.* 13, 13. (vid. §. 102. Obs. 2.) *Ioh.* 14, 26. 16, 8. 13. 1 *Cor.* 12, 4—11.

Obs. 1. Primum genus locorum, quae personalitatem Sp. S. adstruunt, eorum est, quae Spiritum S. adiungunt aliis personis de eoque idem commemorant, quod de ceteris. *Matth.* 28, 19. in quo patris filiique nominibus personas distingui quia non est dubium, Spiritus Sancti nomine in eadem causa et ratione addito, non personam sed virtutem s. qualitatem indicari, aperte repugnat: neque ullius scriptoris accurati et probi autoritate similis formulae, quae personarum nomina cum virtutibus vel qualitate iungat, exemplum prolatum legimus: nec valde aptum videtur illud, quod in libro *zur Befoerder. des rechten Gebrauchs des Teller. Woerterbuchs* p. 44 sq. propositum fuit. v. §. 102. cf. ZACHARIAE *bibl. Theol. P. I p.* 402. et *I. F.* IACOBI *Abh. über vvichtige Gegenstaende der Religion P. II. p.* 62. Illustre prae ceteris dictum *Ioh.* 14, 26. *monitor ille*, (παρακλητος cf. supra §. 18. Obs. 2. p. 36.) *quem meo nomine pater missurus est*, (vides, alium esse mittentem, patrem, alium Iesum, in cuius locum venit, alium ablegatum iam Spiritum S.) *docebit vos*. Similiter 15, 26. *Quum autem*, me iam abituro, *venerit monitor*, quem dixi, et *quem ego vobis missurus sum* a *patre*, cuius ego ad patrem revocatus ab his terris e coelo ad vos ablegandi autor ero ac intercessor, vide *Ioh.* 14 16.) *spiritus ille verissimus, qui a patre abiturus est* (εκπορευεσθαι παρα του πατρος idem valet, ac *Deo ablegante prodire.* vide *Ioh.* 16, 28.

16, 28. Argutiae enim eorum, qui, ut processionem Sp. S internam, nescio quam, stabiliant, ἐξέρχεσθαι et ἐκπορευεσθαι iubent distinguere, non sunt audiendae, repugnante loquendi usu: utrumque enim est hebraeum יצא, usurpatum de ministro, qui mandata executurus iam abit e conspectu regis in provinciam sibi delatam) *ille de me docebit*. Iterum patet, minime esse eundem, Patrem, qui mittit, filium, de quo argumentum docendi sumitur atque cuius vices novus interpres ac doctor explebit, denique πνευμα αγιον, doctorem et ministrum, cui munus instituendi Apostolos committitur. Plane suffragatur Paulus 1 *Cor*. 12, 3. sq. qui χαρισματα, *varia Christianorum beneficia ac virtutum distributionem venire*, inquit, *ab uno eodemque Spiritu*, diverso a κυριω (v. 6.) et θεω (v. 7.) Deus quidem est παντα εν πασιν ενεργων omnia virtute sua comprehendit et ubique operatur: at το ἑν πνευμα unus indivisusque spiritus praecipue autor est singularium virtutum, quibus christianae ecclesiae novi cives instruuntur, comm. 12. ac pro suo arbitrio cuique alias decernit. vide quoque 1 *Cor*. 2, 10.

Obs. 2. Alterum genus locorum ea complectitur, in quibus affectiones commemorantur, quae in nullam rem aliam, quam in personam, convenire et naturam intelligentem possunt. *Ioh*. 16, 13—15. λαλειν, ακουειν, λαμβανειν sunt evidentissima personae documenta, quae quantum sciam, de rebus aliis in dictione plana et simplici nuspiam in scripturis dicuntur. cf. et *Act*. 13, 2. 4. 17, 10. 20, 28. *Rom*. 8, 26. 27.

Obs. 3. Ex his igitur dictis patet, Spiritum Sanctum cum a patre, ut solet minister ac ablegatus a rege, tum a Christo, ut solet successor a praedecessore, distingui atque in hac provincia pendere a patre (*Ioh*. 14, 16.) unde

πνευμα ἐκ του θεου dicitur 1 *Cor.* 2, 11. 12.: et Iesu (12, 26. 16, 14.) atque *hoc sensu* ab utroque procedere.

cf. *I. Frid.* REHKOPF *argumenta personalitatis Sp. S. clarissima et certissima. Progr. Helmst.* 1777.

§. III.

ב) *Natura Spiritus Sancti.*

Sed in maiestatis divinae societatem venire Spiritum Sanctum, etsi haud tam clare pateat, quam de Filio, nec satis certo intelligatur e titulo divino, tamen affectiones, quibus eminere dicitur, haud ambigue produnt, scientia familiaris consiliorum divinorum 1 *Cor.* 2, 10. miraculorumque edendorum potestas, 1 *Cor.* 12, 6—11. [*Rom.* 8, 11.] ac rerum futurarum praedictio. 2 *Pet.* 1, 21. [aeternitas *Ebr* 9, 14.] Cultus quoque religiosi exemplum offert *Rom* 9, 1. *Matth.* 12, 31. [Quidam laudant 2 *Cor.* 3, 17. *Matth.* 28, 28. *Es.* 6, 3—9. coll. *Act.* 28, 25. 26.]

Obs. 1. Si Dei elogio Spiritum S. exornari non sine specie ostendunt vulgo ex *Act* 5, 3. 4. et 1 *Cor.* 3, 16. haud diffitear, mihi non adeo tutam solidamque videri demonstrationem, ut omnis dubitatio tollatur. Petrus quidem, tum rerum christianarum arbiter, altero loco Ananiam iniuriae et falsi commissi reum agit, qui destinatum et traditum communitati christianae agrum iam se minoris vendidisse mentiretur atque duplicem fraudem admitteret, alteram mendacio, alteram, multo etiam nocentiorem, diminuta pretii numerati summa, qua indigentiis Christianorum consulendum erat. Sed criminis magnitudinem ut demonstraret homini callido et fraudibus suis felici, *cur*, inquit, *eo te malo genio induci passus es*, *ut spiritum divinum falleres*, vel fallere conare-

pareris? Hoc, quod vulgo exponunt, *ut me, virum divinum, auderes mendaciis fallere*, sive verborum sive consilii Petri rationem sequar, ad ecclesiae christianae defraudationem, pecunia publica subrepta, aptius pertinere videtur. Namque ψευδεσθαι τινα ex usu vulgari graecorum vim *fallendi dolose* ac fraudes per iniuriam exercendi, rarius autem notionem *mendacii* habet subiectam. Hinc comm. 9. permutatur cum formula πειρασαι το πνευμα Κυριου *spiritum divinum tentare, offendere* (*Act.* 15, 10.) vel *male efficere*, in varia discrimina adducere. Praeterea cum mentio criminis iniicitur, non hoc urgetur, quod ausit contra veritatem dicere coram viro divino, sed quod interverterit aliquid ex agelli pretio. Denique si mendacii tantum crimen commissum est, quomodo vindictam tam gravem ac illustrem exercere Petrus potuerit, vix ulla ratione indubia constat. Sed cum supra moneremus, quidquid pertinet ad Christianos ac rem Christianam, id ad Sp. S. ut conditorem novi status referri, exploratum habeo, Petri sententiam eo redire, ut non homines tantum, non rempublicam christianam, non pauperes, cupiditatibus ac fraudibus Ananiae iniuria affectos fuisse admoneat, sed ipsum Spiritum divinum, tutorem ac praesidem coetus christiani, ipsumque adeo Deum, sive quia Spiritus divina natura praeditus sit, sive quia concessus a Deo christianis ac in hac republica praesens Dei legatus (§. 109. Obs. 2.) non possit offendi, nisi cum summa ipsius Dei, a quo legatus venit, iniuria. Similis ratio videtur loci Paulini 1 *Cor.* 3, 16.

Obs. 2 Salva tamen, missis minus certis argumentis, res est ex affectionibus divinis, quibus inclarescere Spiritum illum, quo Apostoli rectore ac monitore uterentur, haud obscuro iudicio intelligitur. Si divina est institutio christiana, certe Spiritus S. a quo omnis eius origo deducitur, Deo fa-

miliaris erit ac adsociatus. Si miraculorum edendorum potestas non venit nisi a Deo, Spiritum S. cuius virtute adiuti Evangelii praecones mira facta plurima patrarunt, merito Deum profitemur. Si futurarum rerum caligines sola Dei scientia dissipantur vatumque animus Spiritu S. actus clare vidit, quid sit futurum ac praedixit: 1 *Pet.* 1, 21. iterum colligitur, Spiritum divina maiestate eminere. Denique cum nemo capax sit του βαθους θεου, et profunda Dei consilia exhaurire scientia sua valeat, cum amplissima rerum cognitio ad Deum relata in creaturis tenuitate semper ac paupertate laboret: concedatur oportet, nos το πνευμα quod βαθη θεου (*arcana Dei consilia Rom* 11, 33. sq.) εξευνα (Ebr. חקר *Ps.* 139, 1. *intime scit et explorata habet*) ut divinitatis socium, iure nostro colere atque venerari.

Obs. 3. Non nimis urgeam exemplum cultus religiosi; non omnino tamen praeteriri poterit, Paulum iurare per Spiritum Sanctum *Rom.* 9, 1. εν πνευματι ἁγιω, ברוח הקודש autem solemne in formula iuramenti. v. *Es.* 45, 24. et alibi. *Matth.* 5, 24 sq. Deinde βλασφημιας vox in sacris literis frequentissime usurpatur de iniuria erga numen commissa, *Marc.* 2, 7. 14, 64. unde colligimus, Dei socium esse, quem qui criminatur, βλασφημιας reum sese facit.

Obs. 4. Multa quidem adhuc congerit doctorum nimis sedulum studium, ut argumentorum suorum adaugeant numerum: sed vel alieno sensu adficto locis Scr. S. vel interpretationis incertae, quae adversariorum vim minime infringit. Itaque praeteream locum *Pauli*, illustrem sed valde obscurum 2 *Cor.* 3, 17. ὁ δε κυριος το πνευμα εςι. Quae verba si, posthabito orationis consilio ac contextu, vertere liceat, Spiritus autem Dominus, Iehova, est; sane nihil divinitate Sp. S. clarius. At haud adeo magna interpreta-

pretationis species reliqua erit, si seriem orationis persequamur. Per totam enim lectionem pertractat caput de dignitate doctrinae Christianae, cui multo inferior sit disciplina Mosaica. (vide supra §. 4. Obs. 4. b. p. 12.) Hanc postquam varie demonstrasset, novo confirmat argumento, v. 12. a παρρησια ducto, qua doctores Evangelii et novae oeconomiae cives fruantur. *Moses quidem*, inquit, *velamen obduxit vultui, ne Israelitae eum intuerentur, usque dum cessaret periturus ille splendor.* q. d. Tantum abest, ut libertate olim fruerentur Israelitae, ut ne interpretem quidem voluntatis divinae post colloquia cum Deo, nedum ipsum numen, coram intueri liceret. *Neque tamen nunc Iudaei Mosis faciem apertam vident*, doctrinae Mosaicae sententiam veram ac propriam intelligunt. (v. 15) Quodsi enim intelligerent, persuasum sibi haberent, olim finem instare dignitati legis ac oeconomiae. (v. 14). Addit: *si conversi fuerint ad Dominum* (Iesum, eiusque doctrinam amplecti vellent, *futurum est, ut removeatur velamen.* q. d. quemadmodum Mosen, cum a populi colloquiis rediret ad divina, aperto vultu et libero licuit numen intueri: ita Iudaei, si ad christianae religionis adyta penetrabunt, haud amplius per transennam et nebulas, sed apertius cernent veritatem, nec novae religionis interpretes velamine quasi obvolutos coram visuri sunt, sed ius cum παρρησια ad hos Deumque ipsum accedendi obtinebunt. Subiungitur explicatio: *Ille Dominus*, ad quem confugere deberent Iudaei, *spiritus est*, ubi Dominus, ibi divinum alloquium, quotiescunque numen adiit Moses, toties spiritu divino adflatus rediit: *ubi autem oracula edit numen, ibi libertas* (παρρησια) q. d. Inspirati ac spiritu divino acti propius accedimus ad Deum et clarius intelligimus res divinas, unde fit, ut maius indies decus per nostrum cum Domino (Iesu), qui nos inspirat

(απο Κυριου πνευματος i. e. απο Κυρ. ὁς εστι πνευμα) consortium consequamur. *Alterum Pauli* dictum laudant *Rom.* 8, 11. in quo haud obscura quaerunt indicia, e quibus intelligi possit, Spiritui Sancto ex mente Apostoli primum resuscitationem Christi a mortuis, dein nostrorum quoque corporum aeque esse tribuendam ac Deo patri. Verum valde minuitur vis probandi, si ad locum ipsum procedamus. *Quod si spiritus eius, qui Christum e mortuis revocavit* (Spiritus Dei, vid. *Rom.* 4, 17. 6, 4.) *in vobis habitat*, vobiscum versatur: *ille, qui Christum e mortuis revocavit, vestra quoque corpora mortalia vitae reddet per* (vel propter?) *spiritum nobis familiarem. Primo* iam illud ζωοποιησαι, si vel maxime de corporis emortui resuscitatione explices, clare tribuitur illi, qui Iesum vitae restituit, hoc est, Deo, omnino diverso ab illo spiritu, qui Christianis familiaris est et amicus. Non enim dicit πνευμα εγειραν, sed πνευμα του εγειρ. *Verum* nec valde commendabilis videtur explicatio eorum, qui de mortuorum restitutione proprie interpretantur. Quomodo enim ad ultimum illud beneficium transeat oratio Pauli, vix patet: sed in promtu est observare, quam saepe Apostolus per similitudinem Christi mortem comparet cum tropica fidelium morte, eiusque vitam novam cum meliore ac beatiore vitae genere, cuius nos doctrinae christianae institutio ac Spiritus divini adiumentum facit participes. vide *Rom.* 4, 17. 24. 6, 4. 11. 7, 4. *Eph.* 2, 5. 6. 7. Veram igitur verborum vim hanc tenemus: *Quemadmodum Iesus in vitam revocatus est per vim divinam: ita quoque nos, emortui ac vi bene agendi destituti* (Cap. 7, 4.), *novae vitae reddemur, si Spiritus S. fruimur consortio, per eandem vim divinam.* Subiungit modum, quo vis divina sese exseret: δια του ενοικουντος

ἡμιν

ἡμιν πνευματος: (hanc enim lectionem praecipue per suffragia patrum alteri, δια το ενοικουν πνευμα, praeferendam iudico) *per spiritum illum* emendatiores nos et beatiores efficiet.

vide *I. Fr.* STEIN *diss. deitatem Sp. S. vindicans. Erlang.* 1744. *F. S.* ZICKLER *de divinitate Sp. S. Ien.* 1768. *Progr. Lips. quo vindicatur divinitas Sp. S.* 1779.

§. 112.

B) *Pars historica.*

A fide simplici ac populari ad *historiam* dogmatis pergamus, quam ad *tria* potissimum capita reducemus: *primum* de notitiis Trinitatis in V. T. et Iudaeorum scriptis: *alterum* de formulis et systematis, quae ad illustrandam ac defendendam fidem Trinitatis. sive orthodoxorum sive haereticorum ingenio, varia per varias occasiones ac periodos inventa ac decreta sunt: *tertium* de necessitate fidei Trinitatis ad salutem, quam Athanasianum, quod vocant, symbolum adserere videtur.

§. 113.

I. *De vestigiis notitiarum Trinitatis in V. T. et Iudaeorum libris.*

Veteris testamenti dicta trinitatem haud ostendunt, *nec illa*, in quibus pluralitatis aliquod indicium deprehendi videtur, sive nominibus divinis אלהים, קדשים et similibus *Gen.* 1, 1. sive cum plura in Deo supposita innui *Gen.* 1, 26. 11, 7. *Es.* 41, 22. 23. sive cum diserte plures videntur commemorari *Gen.* 19, 24. *nec illa.* quae filii et Spiritus Sancti mentionem iniiciunt *Ps.* 2, 7. *Prov.* 30, 4. *Es.* 48, 16. *nec* denique *illa*, in quibus trium

 signi-

significatio inesse defenditur *Num.* 6, 24. *Es.* 6, 3. *Ps.* 33, 6. *Iudaicorum* autem *librorum* incerta non minus interpretatio quam fides est.

Obs. 1. Grave superiori seculo crimen congestum in G. CALIXTVM, theologum nemini coaevorum comparandum, ex opinione de dogmate Trinitatis, veteris testamenti tempore minus aperte cognito, quam duabus dissertationibus, altera 1645. *de Trinitate*, altera 1649. *de mysterio Trinitatis an ex solius V. T. libris possit demonstrari?* defendit: offendebat enim non minus nominis Calixtini celebritas, quam rei novitas. Nostra aetas, etsi adhuc multos Calovianis ingeniis et artibus arbitros ferat, spero tamen, fore, ut clementius iudicatura sit in quaestione plane historica, atque, si notitias de Trinitate ipsi Filio Dei, qui primus eas tradidit atque doctrinam de Deo novo hoc capite illustravit, velimus acceptas ferre, inque beneficiis religionis Christianae, augustioris ac melioris, censere, haud iniquius de nobis pronuntiet, nisi decretum Athanasianum, quod summam fidei Trinitatis necessitatem omnibus temporibus ac hominibus, nescio qua autoritate, statuit, obvertat malitque diem satis lucidum accensa candela obscura collustrare. (vide supra §. 42. Obs. 2.)

Obs. 2. Vix itaque morabitur studium nostrum sedulitas illa molesta, quae olim amplissimam argumentorum, minime, ut in omni copia solet, exquisitorum, congeriem struxit, ut praesidia haberet fidei trinitatis, tam facili opera destruendam ac avertendam, quam strenua coacta fuit. *Principio* quidem provocari solet a confessoribus trinitatis ad nomina pluralia בעלים, קדשים, אלהים, אדני de Deo usurpata. *Gen.* 20, 13. 2 *Sam.* 7, 23. *Ios.* 24, 19. sed causas nominum supra tetigimus §. 72. Obs. 4. p. 217. vide et G. C. STORR *obs. ad analog. et syntaxin hebr. spectan-*

tes.

tes. Tub 779. *p.* 98. Affines his loci ſunt, in quibus plures *creatores* laudari exiſtimantur, ut בוראיך, עשיך *Eccleſ.* 12, 1. *Eſ.* 44, 2. *Iob.* 35, 10 *Pſ.* 149, 2. ſed in his omnibus lectionis vitium ſubeſſe patet e verſionibus antiquis, quae formam ſingularem conſtanter exhibent, codicum quoque autoritate confirmatam. Alia dicta, quibus Deus de ſe ipſo, tanquam de pluribus loquitur, poeticam rationem habent ac terminationis אלהים ratione habita formam pluralem conſervant, in qua vitioſum eſſet argutari. *Gen.* 1, 26. 11, 7. coll. *Gen.* 20, 13. *Eſaiae* 41, 22. 23. ne Dei quidem verba ſunt, ſed verorum Dei cultorum, qui Deaſtros contemtim provocant. Vocabulum לנו *Eſ.* 6, 8. ſuſpicionem quidem facit pluralitatis in Deo, in quam is dicendi modus conveniat: verum nec huius loci magna vis eſt, ſi teneas, quaeſtionem proponi ab illuſtri concilio Numinis et magnatum. Sunt *denique* dicta, in quibus *diſerte* commemorantur plures et *Dominus a Domino*, *Deus a Deo*, diſtingui videntur. v. g. *Geneſ.* 19, 24. *Iehova pluviam ſulphuream demiſiſſe* dicitur *a Iehova*, *Pſ.* 45. 8. coll. *Hebr.* 1, 9. *Deus Deum unxiſſe*, *Dan.* 9, 17. *Deus precibus annuere propter Dominum*, in quibus formulis nomen alterum plane ſuperfluum atque otioſum eſſe, plurimi exiſtimant, niſi haberet hanc vim, ut ſignificaret alium a priori diverſum. Ita quidem arbitri docent, hebraeae ſimplicitatis, praecipue in narrando, parum periti, qui ſi tenerent conſuetudinem dictionis hebraeae, ſtatim intelligerent, antecedens nomen ſaepius repeti loco pronominis in carmine praecipue, quale *Geneſ.* 19, 24. non dubitamus a Moſe excerpi. cf. *Exod.* 16, 28. 29. *Pſ.* 61, 7. 8. 50, 16. coll. 22. 23. *Hoſ.* 1, 7. 2 *Tim.* 1, 18. Alter locus *Pſ.* 45, 8. haud incommode vertitur: *quia iuſtitiam colis: — Deus, Deus inquam tuus* (ἐπεξηγητικῶς

ut

ut est *Ps.* 67, 7.) *te unxit.* Danielis denique verba quis non arbitretur cum mutata formula למען שמך, *per te*, eadem potestate pollere, recteque verti a DATHIO: *propter temetipsum*? Davides *Ps.* 110, 1. Iehovam et Dominum suum, (in voce אדני enim suffixum agnoscimus, ut vis argumenti *Matth.* 22, 43. constet) clare distinguit, neque tamen ideo hunc Deum facit, sed divini imperii consortem. Nullo denique iure huc referuntur *Ierem.* 23, 5. 6. 33, 15. 16. quibus Iehova pollicetur, se producturum esse Davidi sobolem iustam, cui nomen imponendum sit יהוה צדקנו *Iehova iustitia nostra.* Quid vero? an homini nomen Dei essentiale possit imponi? Minime quidem. (vide §. 75. Obs. 2.) Sed nec simpliciter titulo insigniori Iehovae ornatur Messias vel proles Davidica, verum συμβολικῶς. Atque quemadmodum Moses altare, quod inscripsit יהוה נסי, divina natura pollere nec existimavit nec alios docuit, virosque, quos יהוה נתן, יהוה צדק, vel *Ionathan*, *Iozedek* appellamus, nemo per nomen suum maiestatis divinae participes faciat: ita, qui *Iehova zidkenu* dicitur, ut hoc nomine moneantur Israelitae de Deo propitio, summi Dei elogio minime insignitur.

Obs. 2. Ex *altera* classe argumentorum pro demonstranda pluralitate in Deo e V. T. *primo* loco commemorandum est oraculum, quod *filii* mentionem facit, *Ps.* 2, 7. multis multorum disputationibus frequentatum. Principio quidem ut de consilio carminis quaeramus, omnia conspirant, ut persuadeamur, natales imperii celebrari ac novi regis (quem Messiam iubet augustum carminis argumentum) maiestatem contra rebellium nisus atque audaciam confirmari. Rex divinitus constitutus orditur imperium a promulgatione legis et decreti divini, quo nova regis provincia sibi demandatur. *Promulgo decretum divinum* (אספרה

אל

אל חק *Ps.* 50, 16.) significo sancitam a Deo legem: *Iehova dixit de me: Tu es filius meus. Ego hodie te gigno*, vel genitum a me demonstro. vide *Act.* 13, 33. et *Rom.* 1, 3. 4. Perspicuum est, unum idemque ex more poeseos hebraeorum bis pronuntiari adeoque frustra facere, qui cum explicare student, *quomodo* Christus filius *Dei* sit, obscuriore formula *aeternam generationem* laudant, dupliciter peccantes, primum cum phrasi ἅπαξ λεγομένη, (*genui te*) utuntur, ut illustrent aliam, cuius frequentior usus est, quasi clara ab obscuris lucem possint sperare, vel idem dictum per idem explicare, boni sit interpretis, dein, cum היום callide interpretantur, *ab aeterno*, plane repugnante loquendi usu carminisque consilio. Denique si totum locum excutias: quid vero efficitur? Tune putas declarari divinae naturae socium, cui per beneficium munifici regis amplissimae tribuuntur provinciae? nec agnoscis, omnem novi regis autoritatem deduci a summi omnium imperatoris voluntate ac decretis? Quae cum ita sint, valde ambigo de sententia eorum, qui Iudaeos ex hoc loco divinam Messiae naturam vel cognovisse vel cognoscere quoque potuisse, nostras notitias Israelitis vindicantes, defendunt. Plura diximus in *scholiis in L. Vet. T. poeticos ad h. l.* Multo tamen minus testimonium *Aguris Prov.* 30, 4. ab omnibus paene interpretibus laudatum ad hanc causam valebit Nam quaestio vatis: *Quod est nomen eius?* si de Deo exponatur, valde ieiuna videtur; facile enim et sine cunctatione respondebitur, hunc, qui omnia amplectatur, Iehovam dici, adeoque rescindetur aculeus orationis. Deinde apte, ut iudico, nec sine calculo eruditorum, locum miserrime vexatum exposuimus (in *versione Proverbiorum* vernacula) de tenuitate scientiae ac virium humanarum, quae, cum iam incapaces reperiantur rerum creatarum, multo minus valeant

com-

comprehendere immensitatem, sensumque verborum tradidimus: *Quis est hominum, qui id possit?* (coelum emetiri, maria comprehendere et s. p.) *Quis filius hominis*, vel, ex more hebraeo, magistri alicuius discipulus et alumnus? Filii enim eruditorum sunt, qui pendent ab ore et institutione magistri. *Nostine aliquem?* Atque hac interpretatione probata vel umbra divinitatis filii ex hoc loco disparebit. De *spiritu divino* quasnam notitias habuerint Iudaei, et quid statuendum sit ex oraculis V. T. difficile est iudicatu. Pleraque enim dicta, in quibus vestigia fidei spiritus divini impressa videntur, cogitationem facultatis potius (unde δυναμις θεου et πνευμα αγιον synonymam vim habent) et affectionis, quae Deo insit atque effectu intelligitur, quam entis, cui divinitas adsocietur, excitant. (vide §. 81. Obs. 1. 2.) Clarum plurimis interpretibus prae ceteris videtur oraculum *Esaiae* 48, 16. *Iehova mittit me et spiritus eius*, vel, ut alii reddunt: *et spiritum suum*. Variae tamen, nec leves difficultates hoc, quod maximum existimatur, argumentum premunt. Sive enim vertas casu primo, *et spiritus eius*: sensus proous erit: Iehovae spiritus me misit, legatus divinus sum, coll. *Cap.* 61, 1. sive casu quarto: *et spiritum eius*, interpretatio clara postulat, ut vertamus: Iehova misit me spiritu suo adflatum: Quomodocunque denique sentiamus, nihil plane pro divinitate Spiritus s. exinde cogitur, si casu primo: habes spiritum a Iehova diversum: si quarto, num spiritus ideo Deus salutetur, quia mittitur a Deo? Minime putem. De his, quanquam nobiscum haud semper consentientem cf. I. F. REHKOPF *de Trinitate. Diss.* 1. *Helmst.* 770.

Obs. 3. *Trium* significatio illustris quaeritur in doxologia, quam per visionem Esaias audivit, ac voti publici formula mittendo populi concilio praescripta, in quibus sub

trina

trina compellatione insoliti aliquid atque reconditi et μυςε-
ριωδες latere communi ore profitentur. Lateat, non repu-
gnem: reconditum esto: concedam. Tu igitur consentis me-
cum, haud *aperte* significari per eiusmodi formulas, et, si
qua doctrinae vestigia aliunde detecta sunt, eiusdem tenues
lineas posse quodammodo ex his dictis erui. Quid vero?
Statuam tres dari (sit venia verbo) Iehovas, numina tria?
atque hanc fidem quavis concione commendari per repetitas
formulas Israelitis, neque praecaveri, quo minus gens, ad
polytheismum proclivior et ingenio rudis, ad foedum tri-
theismum prolabatur? denique fundamentum religionis Iudai-
cae, unum esse Iehovam, per publica et solemnia vota con-
cuti ac prosterni? — At vero miraris trinam compellatio-
nem votivam eiusque causam quaeris? Cur vero abscondi-
tam scrutaris et mysteriosam, repudiata facili, obvia ac pla-
na? Nempe tribus tum gens Iudaea indiguit beneficiis: tu-
tela, (ישמרך): adiutorio divino (יחן לך): pace et al-
ma post tot discrimina rerum fortunarumque vicissitudines
quiete (ישלים). Quum igitur his rebus omnis populi
beatitudo perficiatur, quomodo insolens sit, ab uno omnium
autore Iehova singulas precari? *Trina* exclamatio *magnatum*
(*Seraphim* vocant) posset suspicionem facere Trinitatis,
aliunde demonstratae, neque tamen erraverint, qui summae
maiestatis encomium ter cumulato nomine קדוש audire sibi
videntur. Vt enim nominis, rem, in quam totus animus
defigitur, significantis, repetitio universe consentanea est lo-
quentium adfectui, ita ex usu orientis inprimis convenit
multitudinis et magnitudinis admirationi. v. *Ez.* 21, 32. Re-
cte itaque vertitur: *Omnium maxime venerandus est Iehova.*
Loca *Ps.* 33, 6. *Esaiae* 64, 9. 10. *Deut.* 6, 4. nemo idoneus
interpres hodie laudabit.

Obs.

Obſ. 4. Reſtat, ut e *Iudaeorum* antiquiorum libris pauca ſeligamus capita, e quibus notitias trinitatis inter eos viguiſſe, colligitur. Ordiamur ab *apocryphis*, in quibus praeter apertiſſimam ſummi Dei profeſſionem filii quoque Dei et Spiritus Sancti mentio ſit, in libro *ſapientiae* ac *eccleſiaſtico*, ex quo homines Chriſtiani ſuam de trinitate doctrinam Iudaeo ſcriptori affinxerunt, obliti, diverſarum ſectarum ſermoni ſimili diverſiſſimam ſaepiſſime poteſtatem ſubeſſe et rectam verborum interpretationem e tempore et conſilio ſcriptoris cuiusque indagandam eſſe. Ac *primum de filio Dei Sap.* 2, 13—20. multa dicit, eumque *iuſtum* vocat ac Deo patre gloriari aſſerit, iis verbis, quae multis, *Grotio* quoque, ſuſpicionem moverunt, digito quaſi commonſtrari Ieſum. Sed ſatis clarum fit e *Cap.* 12, 7. 19. 21. 2, 21. 18, 13. coll. *Hoſ.* 11, 1. filium Dei eſſe totam gentem Iudaicam. Praeterea λογον cum commemorat *Cap.* 9, 1. 16, 12. 18, 15. (ὁ λογος θεου παντοδυναμος) quis cautus interpres poteſtatem vocis Iohanneam ſtatim inferat, neque conſentaneum potius iudicet, id ex uſu hebraeo, *verbum tuum* i. e. mandatum, exponere? *Spiritus ſancti* appellationem reperimus *Sap.* 9, 17. 18. ſed ea virtutes eximias prudentiae ac caſtitatis inſigniri, intellectu non eſt difficile. coll. 1, 4. et 5. 9, 4. 10. cum 17. 18.

vide *I. Melch.* FABER *ſuper libro ſapientiae. Progr. II. Onold.* 776.

Similiter *Siracides* 1, 5. λογου θεου laudat oracula divina, religionem revelatam, et 43, 28. εν λογω αυτου συγκειται παντα, decreto divino, inquit, omnia conſervantur. coll. 16. 11. Praeteream reliqua, quae ſi vel maxime de virtute vel affectione exponi non poſſent, (poterunt tamen omnia, praeſertim ex more hebraeorum, qui proſo-

prosopopoeias frequentant ac sapientiam, stultitiam, mortem, et s. p. persona induunt) tamen divinae naturae plures socios nuspiam ostendunt.

Addendus his *Philo*, qui magnifice satis sentit ac disserit de λογῳ, disciplinam Platonicam potius secutus, quam popularem et domesticam, verum ita sentit, ut λογον suum primarium Dei ministrum, δευτερον θεον, appellans, eundem a summi Dei natura excludat. Sed hanc rem felicissime expedivit CARPZOV. *Philoniana. Lib.* 7. Sequuntur *Targumim*, quibus ממרא אלהים et שכינה familiare est, ac filius Dei, mundo antiquior, interdum commemoratur: *Liber Sohar*, quem Sec. II. compositum esse volunt, et Cabbalistarum monumenta, quae Patris, filii, Spiritus sancti nomina, haud sine elogio repetunt. At neque ex his fides Trinitatis valde munitur: namque et aetatis incertae sunt et magnam a Iudaica et orientali sapientia non obscuritatem tantum, verum etiam ieiunitatem ac insaniam contraxerunt. Ceterum TERTVLLIANVS (*adv. Prax. c.* 31.) iam Sec. II. *Iudaicae*, inquit, *fidei est, sic unum Deum credere, ut filium adnumerare ei nolis, et post filium spiritum. Quid enim erit inter nos et illos nisi differentia illa. — Sic Deus voluit novare sacramentum, ut coram iam Deus in suis propriis nominibus et personis cognosceretur, qui et retro per filium et Sp. S. praedicatus intelligebatur. Similiter* COSMAS *Indicopleustes christ. opin. de mundo L. V. in T. II. Collectionis novae Montefalc.* p. 258. ἐξ αρχης ὁ θεος εδοκιμασε μη παραδουναι ἡμιν την της ἁγιας τριαδος ὁμολογιαν, ἱνα μη ὡς σωματα σωματικωτερον αυτα νοησωμεν και ὑποπτευσωμεν, τρεις ειναι θεους. Επι της δημιουργιας του ανθρωπου ελθων τοτε αινιγματωδως πληθυντικην φωνην εξεφωνησεν. — εσησε την φωνην παλιν αινιγματωδως επι της τριαδος δια Ησαιου (Cap. 6.) επι δε του δεσποτου χριστου φανερως εδιδαξε.

Dignum hoc argumentum, quod liberalius tractetur. Ceterum cf. I. MEYER *diss. de mysterio S. Trinitatis ex solius V. test. libris et rabbinorum, praesertim cabbalistarum monumentis illustrato.* P. ALLIX *iudicium ecclesiae veteris iudaicae contra unitarios.* KNORR v. *Rosenroth Kabbala denudata. Phosphorus orthodoxus fidei veterum cabbalistarum s. testimonia de SS. trinitate — ex vetusto libro* Sohar *depromta — edidit Andr.* NORRELIVS Amst. 720. 8. Multa quoque tradit I. S. SEMLER *Beantvvortung der Fragmente etc. Hal.* 779. p. 59. sqq. et *Ueber die Bevveisstellen in der Dogm.* 1. *u.* 2. *Samml. Hal.* 1764. *et* 68.

§. 114.

II. *Historia inter Christianos.*

a) *Historia Antenicaena.*

Ab institutione et professione Christiana nunquam absuit doctrina de patre, filio et spiritu sancto (tribus *personis* vel ὑποςασεσι, quas communi nomine antiquissimi doctores *trinitatem* vel τϱιαδα vocant): non enim decebat, ignorare eos, quibus fides in solemnitate baptismi, iubente religionis nostrae conditore, daretur. Ceterum doctores, quorum scripta supersunt, ita loquuntur de filio et spiritu sancto, (cuius rarior occurrit mentio,) ut saepe subdubites, num eos eadem cum patre vel summo Deo natura ac essentia frui statuerint professique sint doctrinam, post per Concilii Nicaeni decreta definitam.

Obs. 1. Quanquam, quod valde dolemus, antiquae fidei, qua novi disciplinae Christianae alumni, cum baptismo mergerentur, obstringere sese solebant, nullum superstes sit exemplum, notitias tamen de patre, filio et spiritu sancto

publice

publice traditas fuisse, primum res ipsa postulat. Omnis enim professio Deo digna requirit, ut, dum formulis utimur, praeter sonos, vis quoque et potestas vocibus subiecta teneatur. Fieri igitur non potuit, quin docerentur quoque Christiani, quis pater, quis filius, quis spiritus sanctus sit, quanam quisque natura excellat, quonam beneficio inclarescat, et quomodo pie de singulis sentiendum sit. At haec formularum fidei, quae a seculo secundo et tertio ad nos venerunt, constantissimus in summa capitum ac forma consensus antiquissimae traditionis lineas conservat has: *Credo in Deum unum patrem — in Iesum Christum filium eius unigenitum — in Spiritum sanctum*, de quibus v. C. G. Fr. WALCH *Bibliotheca symbolica vetus. Lemg.* 770. Clarum denique exstat in hanc rem IVSTINI MARTYRIS testimonium, *Apol. I.* 61. *p. m.* 82. επ' ονοματι του πατρος των ολων και δεσποτου θεου, και του σωτηρος ἡμων Ιησου χριςου (inferius addit του ςαυρωθεντος επι ποντιου πιλατου) και πνευματος ἁγιου (ὁ δια των προφητων προεκυρηξε τα κατα τον Ιησουν παντα) λατρον ποιανται. — Mutata posthaec per occasiones haeresium, a quibus cavere sibi neophyti debuerunt, et novis identidem accessionibus adaucta formula fidem Dei patris, et filii et Sp. S. semper conservavit atque adhuc conservat. Sed illa fides quam sancta Christiano populo, quam familiaris doctoribus fuerit, multis aliis locis efficitur. CLEMENS ROMANVS *Epist.* I. *ad Cor.* §. 46. ουχι ἑνα θεον εχομεν, και ἑνα χριςον, και ἑν πνευμα της χαριτος εκχυθεν εφ' ἡμας. (fere ut Paulus *Eph.* 4, 4.) IVSTINVS MARTYR *Apol.* I. §. 6. *p. m.* 47. θεον — και τον παρ' αυτου ὑιον ελθοντα — και τον των αλλων ἑπομενων και ἐξομοιουμενων αγαθων αγγελων ςρατον (recte Grunerus ςρατηγον legere

gere iubet, nam *dial. c. Tryph.* p. 165. Christus quoque dicitur αρχιστρατηγος,) πνευμα τε το προφητικον σεβομεθα και προσκυνουμεν. et *c.* 13. *p.* 51. τον δημιεργον τεδε του παντος σεβομενοι — τον διδασκαλον τε τουτων Ιησουν χριστον — ὑιον αυτου του οντως θεου μαθοντες και εν δευτερα χωρα εχοντες, πνευμα τε προφητικον εν τριτη ταξει, ὁτι μετα λογου τιμωμεν, αποδειξομεν. IRENAEVS communem ecclesiae doctrinam traditam ab Apostolis profitetur *adv. haer.* L. *l.* c. 10. p. 48. *Massuet.* πιστιν εις ἑνα θεον πατερα παντοκρατορα, τον πεποιηκοτα τον ουρανον και την γην κ. τας θαλασσας και παντα τα εν αυτοις. — και εις ἑνα χριστον Ιησουν τον ὑιον του θεου, τον σαρκωθεντα ὑπερ της ἡμετερας σωτηριας και εις πνευμα ἁγιον το δια των προφητων κεκηρυχως τας οικονομιας και τας ελευσεις, και την εκ παρθενου γεννησιν — του ηγαπημενου Ιησου Χρ. του Κυριου ἡμων, και την παρουσιαν αυτου — να χριστω Ιησου τω Κυριω ἡμων και θεω και σωτηρι και βασιλει κατα την ευδοκιαν του πατρος του αορατου παν γονυ καμψη. ORIGENES summa traditionis ecclesiasticae vel publicae capita, etiam his tradita, *qui pigriores erga inquisitionem divinae scientiae viderentur*, recensset *praefat.* L. περι αρχων: *Primo, quod unus Deus est, qui omnia creavit atque composuit, quique, cum nihil esset, esse fecit universa. — Tum deinde, quia Iesus Cvristus ipse, qui venit, ante omnem creaturam natus ex patre, qui cum in omnium conditione patri ministrasset, (per ipsum enim omnia facta sunt): novissimis temporibus seipsum exinaniens homo factus, incarnatus est, quum Deus esset et homo (factus) mansit, quod Deus erat. Tum deinde honore ac dignitate patri ac filio sociatum tradiderunt Spiritum Sanctum. In hoc non iam manifeste discernitur, utrum natus an innatus.* — TERTVLLIANVS *Praxeae,*

qui

qui unam tantum, patris, filii et Spiritus Sancti personam esse docuit, fidem ecclesiae, nullo non tempore servatam, opponit (*adv. Prax. c. 2.* T. II. p. 191. *Semler.*) *Nos vero semper et nunc magis instructiores per paracletum, unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam oeconomiam dicimus, ut unici Dei sit et filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt et sine quo factum est nihil. Hunc missum a patre in virginem et ex ea natum, hominem et Deum, filium hominis et filium Dei — passum, mortuum — resuscitatum — Qui exinde miserit secundum promissionem suam a patre Spiritum S. paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in patrem et filium et Sp. S. Hanc regulam,* inquit, *ab initio fidei decucurrisse ante priores quosque haereticos.* Atque haec publicae fidei testimonia supersunt, quae satis puto demonstrant, notitias potius historicas operumque oeconomicorum et beneficiorum, quibus de genere humano pater et f. et Sp. S. meriti sunt, quam naturae aequalis, traditas fuisse populo christiano, omninoque provisum, ut is tres a se diversos profiteretur.

Obs. 2. Sed postquam in scholis doctorum coepissent philosophari de rebus christianis atque componere cum sapientiae humanae placitis decreta fidei rationesque ac modum rerum exquirere ac definire, suo quisque ingenio fretus atque abusus, paulatim a simplicitate dictionis et fidei defecit atque vix secum constans, nedum cum aliis concors, miras turbas excitavit. Gnosticorum familiis Aeonum nomen placuit, e quorum genere, abusae formulis Iohanneis, λογον, δημιεργον, ζωην, μονογενη, χειςον, παρακλητον, esse voluerunt, a patre per emanationem exortos. Philosophis, Platonicae disciplinae adsuetis, λογου nomen familiare, novum systema, commixtum e biblicis et plato-

 nicis

nicis ideis, confingendi ansam dedit, cuius praecipua capita eo redeunt: λογον ante mundum conditum extitisse, sed a Deo genitum et procedentem; semper fuisse quidem in Deo quoad facultatem, verum Deo sic volente (βȣληματι θεου) processisse atque extra Deum existere coepisse, omnino diversum ab autore suo, Deo tamen summo haud mutato, sicut lumen accenditur a lumine voxque editur ab homine, sine mutatione luminis hominisque autoris. Vnum omnium instar laudare liceat IVSTINI MARTYRIS locum, *dial. cum Tryph. c.* 61. p. m. 165. θεος αρχην προ παντων κτισματων γεγεννηκε δυναμιν τινα εξ εαυτου λογικην, ἡτις και δοξα κυριου ὑπο του πνευματος ἁγιου καλειται, ποτε δε αγγελος, ποτε δε θεος, ποτε δε κυριος κ. λογος, ποτε δε αρχιστρατηγον ἑαυτον λεγει, εχει γαρ παντα προσονομαζεσθαι εκ τε του ὑπηρετειν τω πατρικω βȣληματι και εκ του απο του πατρος θελησει γεγεννησθαι. Sequitur magistrum TATIANVS, *or. ad graec* 7. p. m. 19. ed. *Oxen. Worth.* —— ὁ δεσποτης των ὁλων αυτος ὑπαρχων των παντων ἡ ὑποςασις κατα μεν την μηδεπω γεγεννημενην ποιησιν μονος ην· καθο δε πασα δυναμις ὁρατων τε και αορατων αυτος ὑποςασις ην, συν αυτω τα παντα. συν αυτω γαρ δια λογικης δυναμεως αυτος και ὁ λογος, ὁς ην εν αυτω, ὑπεςησε θεληματι δε της ἁπλοτητος αυτου προπηδα λογος. ὁ δε λογος ȣ κατα κενου χωρησας, εργον πρωτοτοκον του πατρος — γεγονε δε κατα μερισμον ου κατα αποκοπην. vid. et ATHENAGORAS *Apol. c.* 9. p. m. 37. qui et ἑνωσιν (trium) εν δυναμει, και εν τη ταξει διαιρεσιν (l. c. c. 10. p. 40.) profitetur. Secutus hos TERTVLLIANVS, cum sese Praxeae opponeret, qui unum eundemque (utrum persona an natura?) patrem filiumque et Sp. S. defendit, *libro adv. Prax.* c. 2. sqq. p. 194. primus, puto, *Trinitatis unitatem*, unam *substantiam*, per-

personas tres, professus est. Cuius disputationem, quamvis prolixiorem, hoc loco excerpendi veniam dabunt lectores, vel ut formularum origines, ab hoc autore fere deducendae, pateant, vel ut intelligatur, quid antiquior orthodoxorum sententia in hoc argumento decreverit. *Perversitas haec (Praxeae) se existimat meram veritatem possidere, dum unicum Deum non alias putat credendum, quam si ipsum eundemque et patrem et filium et Sp. Sanctum dicat, quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per* substantiae *scilicet* unitatem, *et nihilominus custodiatur* οικονομιας *sacramentum, quae unitatem in* TRINITATEM *disponit, tres dirigens patrem, filium et Spiritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu: nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie: unius autem substantiae et status et potestatis, quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formae et species in nomine patris et filii et Sp S. deputantur. Filium non aliunde deduco sed de substantia patris, nihil facientem sine patris voluntate, omnem a patre consecutum potestatem: monarchiam a patre filio traditam servo. — Spiritum non aliunde puto, quam a patre per filium. Adeo manet Deus in suo statu* (i. e. *in republica sua, ut* κυριος παντων) *licet trinitas inferatur, ut etiam restitui habeat patri a filio. — Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia. — ceterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semet ipso, rationem suam* (λογον) *scilicet, et in ratione sermonem, quem secundum a se faceret agitando intra se. — Vt primum Deus voluit ea, quae cum sophia, ratione et sermone* (Trinitate interna) *disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit sermonem* (λογον), *habentem in se individuas suas rationes Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata et disposita, imo et facta iam,*

 quan-

quantum in Dei sensu. Tunc igitur ipse sermo speciem et ornatum suum sumit, sonum et vocem, cum dicit Deus: Fiat lux. Haec est nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit; conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiae, dein generatus ad effectum, exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo filius factus est. Dico non carere substantia, quod de tanta substantia processit, (*non esse inane quid et vacuum i. e.* non ens) — *quaecunque ergo substantia sermonis* (του λογου) *sit; illum dico* PERSONAM *et illi* nomen *vindico et dum filium agnosco* secundum *a patre defendo.* — Tertius *est* spiritus *a Deo et filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice, a fonte rivus ex flumine, a sole apex ex radio. Ita trinitas per consertos et connexos gradus a patre decurrit.* (*Cap.* 9.) *Inseparati tamen ab alterutro, etsi dicatur alium esse patrem, alium filium et sp. Pater* tota *substantia est, filius vero* derivatio *totius et* portio, *sicut ipse profitetur: Pater maior me.* — *Ad singula nomina, in personas singulas tingimur.* Ab his ideis hypotheses ORIGENIS et NOVATIANI (cuius nomen libris *de Trinitate* inscribitur valde antiquis) parum differunt, quae unitatem trium ὑποςασεων vix aliam, quam animi, consilii et charitatis agnoscunt, minus probantes doctrinam quorundam, qui *effrenatius et effusius* (ut est apud NOVATIAN. *cap.* 18.) *in Christo divinitatem confitentur.* Ceterum haud pauci, Platonicis ideis innutriti, quae νουν, λογον et σοφιαν in trinitatem quandam cogebant, docuere filium in Deo id esse, quod ratio est in homine, et Spiritum Sanctum nihil aliud, quam vim agendi et operandi divinam. Repudiati sunt, praeter *Praxeam,* quem diximus, *Theodotus* Byzantius coriarius, qui Romae αρνησιθεου αποςασιας auctor fuit et Christum ψιλον hominem fuisse, negata sublimiori, praeexistente et divina eius natura, statuit: *Noëtus,* qui Smyrna oriundus post *Epigonum* et

Cleo-

Cleomenem Praxeae vestigia pressit, ac Dei patris virtutem quandam, filii nomine distinctam, in Iesu habitasse docuit; et *Artemon*, qui et ipse divinitatem Iesu negavit. *Beryllum* EVSEBIVS *H. E. L.* 6. *c.* 33. narrat tenuisse, Christum μη προυφεςαναι κατα την ιδιαν ϰσιας περιγραφην προ της εις ανθρωπους επιδημιας μη δε μην θεοτητα ιδιαν εχειν, αλλ᾽ εμπολιτευομενην αυτω μονην την πατρικην Sequitur *Sabellius*, qui non novi erroris autor, sed veteris doctrinae, Origenianae tamen scholae, quae ιδιαν λογου ὑποςασιν et aeternam invenit, parum probatae, et antiquioris orthodoxae hypotheseos defensor, docuit eundem patrem, quasi se ad tempus *extendentem* et filium esse et Spiritum Sanctum, diversarum virtutum nominibus diversis distinctos. Parum differt a Sabelliana haeresi *Pauli Samosateni*, cuius controversia causas et rationes potius nominis filii Dei, quam naturam videtur attingere. Negavit enim Christum λογον et ὑιον θεου vocari φυσει vel eo sensu, ut iam ante Mariam in propria a patre distincta persona substiterit; λογον personam esse; contra προκοπῃ, *merito*, defendit Christum ὑιον θεου dici, propter miraculum conceptionis; λογον autem esse insitam Dei virtutem, quae in Christo homine operabatur, ὁμοουσιον vel συνϰσιον τω πατρι i. e. *unum idemque cum patre* (quam igitur formulam patres antiocheni reiecerunt). *Manichaei* denique τρεις ταξεις personarum confinxere, nisi potius antiquae traditionis reliquias agnoscere velis: primo loco Deum posuerunt, qui inde ab aeterno e se edidit infinitas αιωνας, *substantias*, patris nomen inde consecutus, inaccessam, summam et principalem lucem habitans: altero post eum loco constituerunt filium, qui in secunda et visibili luce consistat: tertia dicitur maiestas Spiritus Sancti. Horum qui historias, opiniones, formulas, plerumque obscuras, expenderit, mirabitur sane, quomodo

Seculo tertio magno ſtrepitu impugnari atque haereſeos vocabulo invido damnari potuerint placita, quorum defenſores antiquior aetas, orthodoxa puto, audivit ſine ſuſpicione ac temere philoſophantes laudavit. Sed ea ſcholarum fata ſunt. Ceterum dubitari nequit, quin filium quoque antiqui patres θεου ἡμων (*Domini noſtri*) nomine inſigniverint; utrum tamen vel conſortem eum eſſentiae divinae, et ſummo Deo aequalem (ὁμοουσιον) unquam agnoverint, vel Spiritus Sancti maieſtatem tenuerint: de eo etiam poſt BVLLI ſtudia (*in defenſione fidei Nicaenae T. II. Opp. Lond.* 1703.) magnus dubitationi locus relinquitur. Vnum adhuc laudem Symbolum, quod LVCIANI *martyris* nomen praefert, ap. ATHANAS. *Opp. T. I.* p. 892. et prolixius paulo, quam ſolebat a reliquis, hoc argumentum exponit. In eo igitur Pater univerſorum Demiurgus et factor dicitur, ſed et filius *ante ſecula natus ex patre, Deus ex Deo, totus ex toto, ſolus ex ſolo* — ατρεπτος και αναλλοιωτος της θεοτητος εσιας τε και βελης και δυναμεως κ. δοξης του πατρος απαραλλακτος εικων. Additur: nomina patris, filii et Sp. S. ουχ ἁπλως ουδ' αργως, αλλ' ακριβως την οικειαν ἑκαςω των ονομαζομενων ὑποςασιν τε και ταξιν κ. δοξην ſignificare ac eſſe, τη μεν ὑποςασει τρια, τη δε συμφωνα ἑν. Sed vereor, ut genuinum ſit ſymbolum, quod iisdem verbis habetur in Synodo Sirmienſi.

cf. PETAVII *dogm. theol. T. II. tot.* I. FORBESIVS *inſtructiones hiſtorico theol.* L. I. Amſt. 1645. I. S. SEMLERI *Praefatt. ad Baumgarten. theologiſche Moral* per Tomos III. et *über die Bewveiſsſtellen in der Dogmatik. P. II. Halle.* 768. pag. 1—239 (*Souverain*) *le Platoniſme devoilé.* Col. 1700. überſezt b. t. *Veber den Platoniſmus der Kirchenvaeter* 1782. *Gilb.* CLARKE tract. tres, quorum prior,

qui antenicaenismus dicitur, exhibet testimonia antenicaenorum &c. 1695. *Sam.* CLARK *Schriftlehre von der Dreyeinigkeit mit Semlers Vorr. deutsch. Hal.* 776. ROESLER *Lehrbegriff der vier ersten Iahrhunderte, und Bibl. der Kirchenv.* passim. P. WESSELING *Probabilium liber singularis. Franeq.* 1731. qui antiquorum testimonia de filii divinitate diligenter eruit. I. LAMI *de recta Christianorum in eo quod mysterium trinitatis div. attinet sententia. Florent.* 1723. GAZZANIGA *diss. de S. S. Trinitate. Venet.* 770.

Obs. 3. In haec itaque tempora incidunt origines formularum, quibus utimur vel brevitatis vel orthodoxiae causa, utamurque licet, dummodo et recte definiantur voces, in quo saepe videmus peccari, et reserventur scholis eruditorum, arceanturque ab institutione populi, qui humanae sapientiae formulas et metaphysicorum sublimitatem humili ingenio haud facile attingit, atque, cum vocum sonos pie tenet, fidem ipsam firmiter tenere sibi persuadet. Sed e scholis non video, qua ratione Socinianorum familia expellere magno impetu tentet terminos, quorum frequens per tot secula usus plura accurate, breviter ac definite loquendi subsidia exhibet omniumque artium et disciplinarum consuetudine facile commendatur. Atque cur de verbis disceptemus, si de re constiterit atque conventum sit? cur obscuritatis accusemus vitium, quod non a formulis venit sed ab hominibus abusuque vocum, alieno loco usurpatarum? cur controversias, ob vocabula subortas, urgeamus invidiose, cum raro a vocabulis ansa rixarum sit arrepta, nisi res ipsa, vocibus significata ac definita, displicuerit animosque, qui se iam a latebris suis excludi sentirent, diviserit? Haec quidem non in eum finem dicta sunt, ut omnem omnium formularum apparatum, minus caute saepe delectum,

laudem, vel *necessariam* earum usum defendam accusandosque censeam reliquos, pios quoque et prudentes theologos, qui omittendarum formularum autores sunt. Namque posset omissis iis non minus clare ac definite tradi mysterium trinitatis, faciliusque, puto, intelligi, si simplicibus verbis uti maluissent doctores, quam abstractis et sublimibus, neque in doctrina ardua scopulos formularum obiicere. Ne dicam *Synodum Alexandrinam* egregium praeivisse exemplum, quae in *Ep. ad Antiochenos* (T. I. Concil. *Harduin. p.* 735.) hortatur, *ut nolint de locutionibus istis* λογομαχειν επ' ουδεν χρησιμον, μηδε ταις τοιαυταις λεξεσι διαμαχεσθαι, αλλα τω φρονηματι της ευσεβειας συμφωνειν et addit, *morosos homines* επι τοις λεξειδιοις φιλονεικουντας *non ob aliud rixari, nisi quod ecclesiae pacem invideant ipsique schismate delectentur.* Sed postquam admissas eas usuque dominante receptas ac probatas video, non temere ausim, ab erudita institutione et historica excludere. Prima occurrit vox *trinitas*, cuius antiquitatem TERTVLLIANI autoritate supra munivimus. Graeci τριαδα vocant, e quibus THEOPHILVS *ad Autolycum L.* 2. *c.* 15. *p.* 360. ed. *Moran. tres dies ante festum luminum sunt typi* της τριαδος, του θεου και του λογου αυτου και της σοφιας αυτου. ORIGENES *in Matth.* p. 401. laudat αρχικην τριαδα. Quod forsan optime vertas: *triumviratus.* Tres enim, quos nomine ac, si quid iudico, essentia diversos arbitrarentur, uno vocabulo *ternionem*, trinitatem, dixere, cui si quidam unitatis, quasi trium in uno, notionem inhaerere putant vertuntque: *Dreyeinigkeit*, vel *Dreyfaltigkeit* (quod Lutherus damnavit), falluntur. Altera vox *substantia*, quae graecis antiquis scriptoribus vel ουσια dicitur vel ὑποστασις (nec enim satis distinguunt), veram existentiam innuit, cui opponitur idealis, quam vocant, et conficta. Sequior tamen aetas

Chri-

Christiana loquendi usum immutavit. *Personae* nomen *Tertullianus* primus, ut videtur, adhibuit, pro *individuo*, vel *ente singulari*, qualitatibus, relationibus ac conditionibus suis distincto, atque hac voce excludit opinionem Praxeae, unum eundemque esse patrem filiumque et Sp. S. Secutus eum ORIGENES (*Comment. in Scr. S. T. II.* p. 56. Huet.) τρεις ὑποϛασεις, inquit, *nos patrem et f. et Sp. S. esse credimus.* Plura vide ad §. 115. Obs. 3.

§. 115.

b) *Fides Nicaeno-Constantinopolitana.*

Sed postquam Arianorum familia occasionem dedisset cogendi concilii *Nicaeni*, nova decreta novaeque formulae praeceptae sunt atque fidei catholicae capita constituta: *tres esse in una indivisaque substantia personas, patrem ingenitum* (αγεννητον): *filium unigenitum, patri consubstantialem* (ὁμοουσιον): *et Spiritum Sanctum*, quem post Macedonianas lites *a patre* (serior aetas addidit, *filioque*) *procedere*, patres *Constantinopolitani* docuere. His igitur catholicorum finitionibus ac decretis nititur, quidquid orthodoxi scholastici de personarum *differentia, characteribus* et *proprietatibus* disputarunt. Pauci enim sequiori aevo fuerunt, qui contra fidem catholicam publice sentire vel docere tentarent.

Obs. 1. Saepius quidem superiori seculo contra *Sabellium* et *Paulum Samosatenum* decretum erat, vere patrem a filio et Spiritum S. ab utroque differre: at de mutua personarum relatione et discriminis, quod eos disiungit, natura nec disputatum nec idcirco ab ecclesia praeceptum erat aliquid. Illa tamen fidei libertas ac simplicitas, quam studiose prior aetas christiana intemeratam conservavit, studio humanae sapientiae et φιλοτιμια θεολογιας, ut SOCRATES ait, *H. E.* 2, 5. corrupta, post con-

concordiam et quietem foecunda rixarum atque magnae, nostro quoque tempore, erga religionem ipsam invidiae multarumque querelarum et offensionum mater fuit. Obliti enim beneficiorum trinitatis, quod caput doctrinae recte habetur, dum in id incubuere, ut ingenii sui acumine, quod ignorare nos Deus et celare voluit, eruerent atque, personarum naturam, quasi hac non perspecta nequeas fidem dare munificentissimae τϱιαδι, temere auderent definire, formularumque apparatu ornare veritatem ac obvolvere, et alias obscuras nimis, atque priusquam de genuino sensu vocum conventum esset, probare, alias in aliis damnare, acres ad disputandum, subtiles distinctionibus, ad defendendum pertinaces, doctores illi ac episcopi, unam omnibus normam praescripsere, atque *catholicam* i. e. dominantem esse voluere. Sed ne quid statuam temere, atque hanc ipsam trinitatis fidem, quam me tenere e supra dictis constabit, aut deserere aut reprehendere videar, *primum* capita doctrinae Sec. IV. decreta, *deinde formulas*, quarum usus vicit, exponamus. *Primum* itaque ab *Origeniana* ac *Anti-Sabelliana* disciplina τϱεις ὑποςασεις *tres personas* constanter defendit fides publica. Conservata quoque antiqua formula: *unius substantiae*, tribus communis, diverso tamen, ut videtur, sensu. Nam cum veteres fere omnes filium Dei patre inferiorem docerent, eundem iam patri *penitus* aequalem, sublata omni differentia decreverunt. Patrem solum αναϱχον, αγεννητον, non tamen solum aeternum, sed filium ab aeterno genitum ac patri cum Sp. S. *coaeternum* (ipsa cognominis natura refragante,) Athanasio, viro subtilius atque arrogantius pugnante, antesignano, tradiderunt, Sabellii, qui trium unam ȣσιαν, et Antisabellianorum, qui tres personas professi sunt, hypothesibus in unam conflatis. Pauca adhuc, praeter beneficium

neficium sanctificationis et resurrectionis *Spiritui Sancto* vindicata, nisi quod eum *a patre per filium procedere*, formula haud penitus ἀβιβλω Novatianus statueret. Neque Nicaena fides, cuius exemplum non pigebit hoc loco repetere, de eo quidquam definite praecepit, nec Constantinopolitanum concilium plene ac perfecte iubet, eundem patri aequalem essentia ac substantia, propria tamen persona distinctum, profiteri.

Obs. 2. Fuit tamen haud exiguus christianorum coetuum ac doctorum numerus, qui ab hac hypothesi diffideret, e quibus *Ariana* familia, celebrior reliquis vel per numerum vel per fata sua, primo loco nominanda erit. Arius igitur Alexandrinus, cum Alexandrum, episcopum suum, de unitate in trinitate philosophantem (εν τριαδι μοναδα ειναι φιλοσοφωντα iuxta SOCR. *H. E.* 1, 5.) audiisset, veritusque ne ad Sabellianismum devergeret, admonuisset, presbyter nempe episcopum, invidiam effugere non potuit, atque ipse erroris accusatus est. Cuius etsi paululum obscura adhuc ratio videtur, patet tamen Arium filium dixisse γεννημα του πατρος προ χρονων αιωνιων θεληματι του πατρος εκ ουκ οντων (hinc Exucontiani) originem habuisse, patrem αναρχον fuisse αρχην του υιου. Sed eae formulae omnes e disciplina superioris seculi supersunt, quae genitum aliquando filium, creaturis tamen omnibus antiquiorem, defendit. Divisa Arii familia a formulis nova nomina accepit: nam alii filium κατα παντα ανομοιον (hinc *Anomoeani*, qui et *Eunomiani*, ab Eunomio, quo nemo subtilius gravìusque catholicorum hypotheses discussit, v. et EVNOMII *Expos. fidei* in FABRICII *bibl. Graeca vol.* 8. p. 253.) και αλλοτριον την του πατρος ουσιας και ιδιοτητος; alii ὁμοιουσιον filium, i. e. Patri similem, (hinc *homoeusiani*, qui et *Semiariani* dicti) statuebant, repudiato vocabulo ὁμοουσιας,

σιας, ne ταυτοτητα filii cum patre statuere viderentur. v. *Concil. Ancyr.* (A. 358.) et FVCHS *Biblioth. der Kirchenversamml.* T. II. p. 230. Sequitur *Marcellus*, Ancyranus, qui cum contra *Asterii* Ariani libellum insurgeret, in sententiam Sabellii delapsus esse videtur. BASILIO enim *Epist.* 74. *ad Eustathium* et al. autore, *Marcelli* dogma ουδε ὑιον εν ιδια ὑποστασει ὁμολογουν, αλλα προσενεχθεντα και παλιν ὑποστρεψαντα εις τον, ὁθεν προηλθεν, ουδε τον παρακλητον ιδιας ὑφεστηκεναι συγχωρουν, Iudaismum corruptum olebat. Si THEODORETVM audiamus *haer. fabul. L.* 2. *extensionem* (εκτασιν) *quandam Deitatis Patris in Christum venisse* dixit, *quam* θεον λογον *appellavit*, *reversuram aliquando finita oeconomia in Deum, ex quo extensa fuit: Spiritum S. extensionem extensionis* (παρεκτασιν εκτασεως) dixit. Confer MONTFAVCON *de causa Marcelli in Collect. nova T. II. p. LI. sq.* Quae fere ad hypotheses *Tertulliani* (v. §. 114. Obs. 3. p. 358.) reduci possunt. *Photinus* nomen *Dei* Christo, ψιλω ανθρωπω, non per naturam sed propter coniunctionem cum eo verbi divini concedi posse, docuit, Ario erga Christum multo iniuriosior, nam post mundum coepisse eum, contra sacrarum literarum fidem, fingit. Denique *Macedonius*, vir disertus, de Spiritu Sancto molestius requirens, eum εις την θεολογιαν της τριαδος συναναλαβειν εξεκλινε, ac pro virtute fere divina habendum esse contendit. Horum omnium dogmata, non nova, obsoleta tamen hoc seculo et, ut sunt fata ac vicissitudines opinionum humanarum, profligata privatis primum, deinde publicis iudiciis damnata sunt. Ignorari tamen nequeunt, ut symbolorum et formularum, quae iam publico charactere ορθοδοξιας signantur, sensus constet ac consilium. Praeteream, cum de publica fide, nempe *Alexandrinorum*, quo-

rum

rum tum maxime frequens florensque schola fuit ac autoritas subinde increvit, quaeritur, *Alexandrini Concilii* (A. C. 321.) placita, quae Arianos reprehendunt, *de suprema ac sempiterna Christi divinitate multum detrahentes, oblitosque verborum, quibus naturalis eius gloria, nobilitas ac maiestas, et aeterna cum patre mansio significantur.* Primum omnium laudanda fides NICAENA, A. C. 325. composita ac post annos sexaginta sex repetita atque adaucta a patribus *Constantinopoli* congregatis. Eius formula, quae trinitatis dogma finit, haec est: *) Πιςευομεν εις ἑνα θεον, πατερα, παντοκρατορα, ποιητην [ουρανου και γης,] ὁρατων τε παντων και αορατων· και εις ἑνα κυριον Ιησ. Χρ. τον ὑιον του θεου, τον γεννηθεντα εκ του πατρος μονογενη, τουτεςι εκ της ȣσιας του πατρος [Const. μον. τον εκ του π. γεν. προ παντων των αιωνων] (θεον εκ θεου), Φως εκ Φωτος, θεον αληθινον εκ θεου αληθινου, γεννηθεντα, ȣ ποιηθεντα, ὁμοουσιον τω πατρι, δἰ ού τα παντα εγενετο — και εις το (ἁγιον αυτου πνευμα) [πνευμα το ἁγιον. το κυριον, το ζωοποιȣν, το εκ του πατρος εκπορευομενον, το συν πατρι και ὑιω συμπροσκυνȣμενον και συνδοξαζομενον, το λαλησαν δια των προΦητων.] (τους δε λεγοντας ην ποτε, ὁτε ȣκ ην, και πριν γεννηθηναι ουκ ην, και ὁτι εξ ȣκ οντων εγενετο, η εξ ἑτερας ὑποςασεως η ουσιας φασκοντας ειναι, η τρεπτον η αλλοιωτον τον ὑιον του θεου, τους τοιουτους αναθεματιζει ἡ καθολικη — εκκλησια.) Similia decernit *Concilium Sirmiense* contra *Photinum*, anathematismis feriens: (T. I. *Concil. Harduin.* p. 703.) *si quis dicat filium de nullis extantibus* (εξ ȣκ οντων, *vel*

*) Quae semicirculis ( ) inclusa sunt, leguntur tantum in Symb. Nic. quae uncis [ ], addunt patres CPolit.

vel de altera substantia (ἐξ ἑτερας ὑποςασεως) *et non ex Deo, et quod erat tempus vel seculum, cum non erat: si quis patrem et f. duos Deos dicat: si quis dicat Deum Christum ante secula* (θεον χριςον προαιωνιον), *neget autem filium Dei patri ministrasse in creatione universi — si quis ausit dicere* αγεννητον *aut partem eius e Maria natam esse — si quis secundum praescientiam* (προγνωσιν) *eum, qui e Maria natus est, filium esse, nec ante secula e patre genitum fuisse apud Deum — si quis* ȣσιαν θεου πλατυνομενην *dicat filium facere, aut* πλατυσμον της ȣσιας *filium appellaverit — si quis* λογον ενδιαθετον *aut* προφορικον *dicat filium: — Si quis audiens Dominum patrem et dominum filium,* (κυριον *sine articulo*) *et* τον κυριον τον πατερα κ. τον ὑιον *duos dicat Deos, anathema sit. Non enim exaequamus* (συντασσομεν) *filium patri, sed subiectum* (ὑποτεταγμενον) *intelligimus. — Si quis patrem et f. et Sp. S. unam personam* (προσωπον) *dicat: — si quis Spiritum S.* αγεννητον θεον *dicat — vel* μερος *patris et filii — si patrem f. et sp. tres Deos — si factum* (γεγονεναι) *voluntate Dei, sicut res creatae, filium Dei — si nolente patre genitum* (γεγεννησθαι) *filium — (non enim necessitate naturali* βιασθεις *genuit pater sed simulac voluit* αχρονως και απαθως εξ ἑαυτου γεννητας απεδειξε. —) *Si quis* αγεννητον και αναρχον *dicat filium —* δυο αγεννητα, δυο θεους ποιων — (*caput enim et* αρχη *omnium est Christus, caput autem Christi Deus*) *Constantinopolitani* patres praeter symbolum *epistolam* quoque *Synodicam* in lucem edidere, qua fidem antiquissimam tradunt: πιςευειν εις το ονομα του π. τ. ὑιου κ. τ. ἁγιου πν. δηλαδη θεοτητος τε και δυναμεως και ουσιας μιας του π. κ. του ὑ. κ. του ἁγ. πν.

πιςευο-

πιςευομενης, ὁμοτιμου τε της αξιας κ. συναϊδιου της βασιλειας εν τρισι τελειοταταις ὑποςασεσιν ηγουν τρισι τελειοις προσωποις, ὡς μητε την σαβελλιου νοσον χωραν λαβειν συγχεομενων των ὑποςασεων, ηγουν των ιδιοτητων αναιρουμενων, μητε μην την ευνομιανων — βλασφημιαν ισχυειν, της ουσιας η της φυσεως η της θεοτητος τεμνομενης και τη ακτιςω κ. ὁμοουσιω κ. συναϊδιω τριαδι μεταγενεςερας τινος η κτισης η ετεροουσιου φυσεως επαγομενης. Sed haec definitio, tot conciliorum vocibus repetita, ut statim offendit multos ac ad *tritheismum* deducere Arianis visa est, non dubito quin a paucis vel capiatur propter subtilitatem, vel sic possit proponi ac declarari in institutione populari, ut periculum tritheismi propagandi praecaveatur ac evertatur. Quod haud vana suspicione metui, statim intelligit, qui explorare studia ac sententias populares, et exigere vocum frequentium sensum atque sic tradere mysterium tentaverit, ut nec publica doctrina deseratur, nec impietatis semina, invito quoque doctore, spargantur. Equidem ex quo coepi verborum ideas secernere a sonis vocum, atque in institutione puerili in id maxime incubui, ut in ea non tam memoriae in vocabulis addiscendis, quam iudicii in rebus tenendis ipsaque veritate cognoscenda exercitium quaererem, frequentibus exemplis edoctus sum, vix posse, quacunque demum cautione utaris, opinionem de concilio quodam trium Deorum penitus ab animis prohiberi, iis maxime, qui audita intelligere, ac trium personarum certam ideam informare apud se allaborant. Neque id mirum, cum viros quoque subtilitate claros videamus seculo sexto in eundem errorem *tritheismi* incidisse. Ex quibus primus notatur *Iohannes Ascosnages*, qui in trinitate *secundum numerum personarum naturas, es*

ſentias ac deitates tres ſe ſupputare profeſſus eſt, (iuxta GREGOR. ABVLPHARAGIVM ap. ASSEMANN *bibl.or. T.II. p.*328.) aſſeclam ac defenſorem, multo celebriorem, nactus, *Iohannem Philoponum*, a quo utrum re an verbis tantum peccatum ſit ambigo: docuit enim, *patrem. f. et Sp. S. eſſe* μερικας ουσιας, και ιδικας θεοτητας και ιδικας φυσεις ομοουσιους quidem. (vid. I. G. SCHARFENBERG *diſſ. de Philopono tritheiſmi defenſore. Lipſ.* 1768. et VENEMA *H. E* N.T. T.II. p 742. ſq.) Succeſſit poſt tot controverſias aetas *ſcholaſtica*, quae tamen in materia iam praeciſa artem ac ſubtilitatem parum exercuit, ſymbolorum autoritatem reverenter habuit, ac nec immutare quidquam nec multa declarare tentavit, praeter *Roſcelinum*, (Sec.XI.) dialecticum Compendienſem, ſubtilem ac novarum rerum cupidum, h. e. traditionis eccleſiaſticae minus, ac ſua aetas eſſe conſueuit, tenacem. Is enim communi ſyſtemati lapidem moleſtum obmovit, atque libere, nec ſine probabili ratione, confeſſus eſt, *vix patris quoque et Spiritus S. incarnationem poſſe negari, niſi quis perſonas ſtatuat realiter diſtinctas et tres res* (entia tria) *ſicut tres angeli tresve animae, una* tamen potentia et voluntate praeditas (v. *Hiſt. liter. de la France T. IX. p.* 358. et GHLADENIVS *diſſ. de Roſcelino.*) cui *Anſelmus Cantuarienſis librum de Trinitate* oppoſuit. Commemoratur adhuc *Abaelardi* et *Ioachimi Abbatis* haereſis, reprobata in Concilio Lateran. IV. verum illum invidia haereſeos arguit, huius obſcurior res eſt. Haud tamen praeteream *Felicis Vrgelitani* et *Elipandi*, Hiſpanorum, ſententiam, quos filium Dei non ita dici *per naturam* ſed *per adoptionem* (inde *Adoptiani*) contendiſſe conſtat, vix ſatis audita vel explorata cauſa damnatos in Conciliis *Reginoburg.* A. C. 792. et *Francofurt* An. 794. vid. WALCH *Hiſt. der Kezereyen T. IX. p.*667. *ſq.* et I. B. ENHVEBER *Diſſ. in*

ALCVINI

ALCVINI *opp. ab Abb. Forstero editis, ap. S. Emeran* 1778. *T. I. P. II. p.* 944.)

Obs. 3. Formulas igitur iam probatas ac definitas legimus ουσια, (*substantia*) ὑποςασις, προσωπον (*persona*), ὁμοουσιος, (*consubstantialis*,) quarum vim et rationem brevissimis exponemus. Ουσια igitur, (cui apprime respondet *substantia*) frequentius signat το ον, id quod revera extitit, cui opponitur confictum, possibile et, quod nostri vocant, ideale. Sic ATHANASIVS: ουσια του ὑιου εςι γεννημα της ουσιας του πατρος. Post per abusum ουσιαν dixere *rerum naturam*, τα οντα, mundum, unde Deum ανουσιον *Maximus de eccles. mystagogia c.* 5. et *Damascenus* dicere haud sunt veriti. Ουσια quoque id, quod per se ac *separatim* existit (το μηδ' αλλο, μηδ' εν ἑτερω εχον την ὑπαρξιν, αλλ' εν ἑαυτω ον (I. DAMASCENVS *dialect. c.* 39.), quo sensu τρεις ουσιας, τρια πραγματα quidam statuebant contra Sabellium, tria unius entis nomina confingentem. Porro ουσιαν *qualitates*, quae pertinent ad naturam rei, ipsamque *naturam*, quam ab *accidentibus* solent seiungere. (*Damascenus*: ουσια, φυσις, μορφη κατα τους πατερας ταυτον εςι). Quum autem naturae divinae hoc privum sit, ut ad plures transferri nequeat, illum quoque, cui inest ουσια vel natura divina, ουσιας elogio appellarunt, quem nos *substantiam* divinam (πραγμα αυθυπαρκτον.) maluimus dicere §. 99. Obs. 2. In tam frequenti tamque vario vocis usu, fieri non potuit, quin et verborum contentiones orirentur, ubi de potestate vocabuli inter partes haud esset conventum, et viris pacis ac concordiae studiosis displiceret formula, qua obscuratum potius et impeditum, quam compositum et illustratum dogma intelligerent. Itaque in conventu *Sirmiensi* (circa *A.* 359. *Concil. T. I. Harduin.* p. 710.) decernunt: το δε ονομα

της ουσιας δια το ἁπλουστερον ὑπο των πατερων τεθεισθαι, αγνοουμενον δε ὑπο των λαων σκανδαλον φερειν δια το μηδε τας γραφας τουτο περιεχειν, ηρεσε τουτο περιαιρεθηναι, και παντελως μηδεμιαν μνημην ουσιας επι του θεου ειναι του λοιπου, δια το τας θειας γραφας μηδαμου περι πνευματος (legendum videtur πατρος, sic enim est in formula repetita in conventu apud *Nicen Thraciae l. c. p.* 722. *et Constantinop. p.* 726.) και ὑιου ουσιας μεμνησθαι.

b) *Altera* vox ὑποστασις, magis adhuc ambigua et frequentior, maiores turbas ac pugnas dedit, aliis μιαν ὑποστασιν, aliis τρεις ὑποστασεις defendentibus. Paulus quidem dum χαρακτηρα ὑποστασεως filium dicit *Ebr.* 1, 3. vix existimandus erit, vim vocis e scholis philosophorum repetere, sed ὑποστασιν θεου, sicut ante δοξαν θεου dixerat, per periphrasin laudare, pro Deo. Patres antenicaeni ὑποστασιν et ουσιαν promiscue frequentarunt. Sic DIONYSIVS *Romanus*, *I. adv. Sabell.* laudatus ab ATHANASIO *decr. Synod. Nic.* p. 230. reprobat τους κατατεμνοντας — την μοναρχιαν (Deum unum) εις τρεις δυναμεις τινας και μεμερισμενας ὑποστασεις και θεοτητας τρεις, Sabellio e diametro contrarios, — οἱ δε τρεις θεους τροπον τινα κηρυττουσι εις τρεις ὑποστασεις ξενας αλληλων παντπασιν κεχωρισμενας διαιρουντες την ἁγιαν μοναδα. Eodem sensu in formula Concilii Nicaeni occurrit ουσια η ὑποστασις et eodem HIERONYMVS quoque *ep. ad Damasum* (*Ep. XV. T. I. opp. Venet.* 1766. p. 39.) *unam hypostasin* defendit, ac monet: *tota secularium literarum schola nihil aliud hypostasin nisi usiam novit. et quisquam, rogo, ore sacrilego tres substantias praedicabit.* Interdum tamen ουσιαν (*naturam*) ab ὑποστασει (*existen-*

(*existentia separata* vel *subsistentia*) distinguunt, velut ORIGENES *Comm. in Ioann.* p. 24. reprehendit eos, qui λογω ὑποςασιν non tribuunt, nec ϰσιαν αυτου σαφηνιζϰσι. Atque hoc sensu statim, ἡμεις, inquit, τρεις ὑποςασεις πειθομενοι τυγχανειν, τον Πατ. ϰ. υ. ϰαι πν. αγ. BASILIVS quoque epist. 38. ϰσιαν vocat, quod est commune cum aliis, ὑποςασιν autem την εννοιαν, το ϰοινον τε ϰαι απεριγραπτον εν τω τινι πραγματι δια των επιφαινομενων ιδιωματων παριςωσαν ϰαι περιγραφουσαν. Hinc infinita bella, cum simili verbo dissimili sensu ac consilio uterentur aut orthodoxi contra Sabellianos, ut alium patrem, alium filium esse ostenderent, aut Ariani adversus catholicos, ut opinionem suam de inaequali patris ac filii dignitate antiquae formulae obtentu tuerentur. cf. WALCH *Geschichte der Kezereyen T. IV. p.* 492. *sq.* Denique in Synodo *Alexandrina* (A. 362.) *liberum esse* definitur, *vel unam hypostasin dicere, dum trium distinctio servetur, vel tres hypostases profiteri, dum una tantum substantia dicatur.* (Digna est, quae conferatur relatio de *Concil. Alexand.* ap. *Harduin. T. I. p.* 734.) Quam diu autem ambiguitas vocis ὑποςασεως lites excitaverit, ex HIERONYMI epistola superius laudata patet, in qua Damasum rogat, utrum tres hypostases an una tantum profitendae sint? Posthaec graeci, Latinos imitati, προσωπου vocabulo usi sunt, ambiguo primum, nam a scenicis ludis petitum Sabellio quoque favere videbatur (*tres Deum personas sustinuisse, triplici forma apparuisse*), post tamen familiari ac haud suspecto. *Persona autem significat* (ut verbis utat *Augustanae Conf. Art.* 1.) *non partem aut qualitatem in alio, sed quod proprie consistit.* Vere tamen Anastasius Sinaita: περι φυσεως εδογματιζον, ϰαι τι εςι φυσεως ὁρος, ϰαι

επιςαντο περι ὑποςασεως εφιλονικουν, και τι εςιν ὑποςασις, ϰκ εγινωσκον.

c) Omnium maxime obſcura ac certaminibus celebrata vox ὁμοουσιος (*conſubſtantialis*), tum apud profanos ſcriptores, tum in hac cauſa a patribus antenicaenis, etſi nonnulli negarint, uſurpata, reperitur. Quodſi antiquum uſum conſulas, non erraverim, ſi ὁμοϰσια dicta exiſtimem, quae pertinent ad eandem ſpeciem, ac, cum ſeparatim exiſtant, communi fruuntur natura. Sic *Ariſtoteles:* παντα τα αςρα ὁμοϰσια, *Plato* ψυχας ὁμοϰσιϰς θεω vocat: et *Pſeudo-Iuſtinus in euerſione dogmatum quorundam Ariſtotelicorum:* λογικης ψυξης ὁμοϰσιους ειναι Φαμεν τους τε αγγελους και τους δαιμονας. Ipſe CHRYSOSTOMVS *hom.* 3. *de poenitentia* virum dicit ὁμοουσιου ὑλης *cum foemina:* et hom. 16. in Geneſ. *Evam* ὁμοϰσιον *Adamo* vocat. Simili ratione patres *Chalcedonenſes* Chriſtum nobis ὁμοϰσιον, communi nobiſcum natura praeditum, profeſſi ſunt, negavit autem Synodus *Antiochena* (A. 265.) Chriſtum κατα σαρκα ὁμοϰσιον τω θεω (cf. I. W. FEVERLEIN, *Dei filium patri eſſe* ὁμοϰσιον, *antiqui eccleſiae doctores in Conc. Antiocheno utrum negaverint? Goett.* 1755.) Atque hac notione deceptus ſine dubio *Philoponus* (vid. Obſ. 2. p. 366.) tria individua, quibus ϰσια communis eſſet, docuit, *tritheiſmum* inducens. Verum non ea conſtans fuit et perpetua vocis poteſtas, quam ad *identitatem eſſentiae* (ταυτοτητα, ut *Baſilius hom.* 23. *contra Sabellium* loquitur) tranſtulere. Sicut enim ὁμοπατριος, ὁμοεθνος, ὁμοζυγος eſt, *qui eodem patre, eadem gente natus* eſt, *eodem iugo nititur:* ita vox ὁμοϰσιας *de unitate* ουσιας *numerica* uſu venit: aut reprobata, cum Sabellius ea uſus tolleret ὑποςασεων differentiam, aut revocata et albo calculo nota-

notata, cum adversus Arianos pugnaretur, vid. BASIL. *Ep.* 9. *ad Maximum*, qui Dionysium Alexandrinum refert voculam iam repudiasse, iam in libris suis ipsum usurpasse. Nempe ὀσιας variae aderant interpretationes. Denique concilium Nicaenum publicam honoris autoritatem vocabulo sanxit. Cuius rei causam ac consilium, autor est AMBROSIVS *de fide* L. III. c. 7. p. m. 91. T. II. opp. hoc fuisse, quod patres Nicaeni praelecta *Eusebii Nicomediensis*, Arii adseclae, *epistola* intelligerent, eum scripsisse: *si verum Dei filium et increatum dicimus,* ὁμοουσιον (ut Sabellius nempe voluit) *cum patre incipimus confiteri.* Quibus cognitis cupide arreptam vocem, *quod viderent eam adversariis esse formidini*, in symbolum retulerunt, *ut tanquam evaginato ab ipsis gladio ipsorum nefandae caput haeresis amputarent.* Quodsi tamen PHILOSTORGIO (*Hist. Eccl. L. I. 7. p. 6. ed. Godofr.*) fides habetur, Nicomediae Alexandro, Alexandriae Episc. privato colloquio ante concil. Nicaenum, cum Hosio, viro gravi ac primario, convenit de voce ὁμοουσιος, quam post Constantinus, Hosio autore, publicae formulae inseri voluit. Ne tamen obscurus obscurae ac ambiguae dictionis sensus rursus aut impediret subscribentes episcopos, aut novas lites pareret, cautum est, ut, nescio an felici satis successu, potestas vocis finiretur, (vid. EVSEBII *Caesar. ep. ap. Theodoret. H. E. L. I. c.* 12.) filium *non ex corporum affectione* (κατα σωματων παθη) *dici* ὁμοουσιον, *neque per divisionem* (κατα διαιρεσιν) *neque per dissectionem quandam* (αποτομην) *filium ex patre subsistere. Fieri enim non posse, ut materiae expers et intelligibilis atque incorporea natura corpoream illam affectionem admitteret, sed divinis, et ineffabilibus rationibus* (αποῤῥητοις λογοις) *id esse intelligendum.* O egregie, dummodo sane, philosophantes episcopos! Nempe hoc summum artis opus, finire formulam, cuius sensum αποῤῥητον nec humana

imbecillitas, nec episcoporum sapientia capit. Ceterum nisi me omnia fallunt, haec formula, quam invidia, desperans de Arianorum condemnatione, invenit ac commendavit, si qua eius vis, si quod consilium probabile cognosci potest, eo valet, ut εκ της ουσιας του πατρος, non eiusdem cum patre essentiae, sed *ex essentia patris*, ratione plane singulari, non εξ ουκ οντων nec εξ ἑτερας ουσιας, filii Dei originem decernat. Sic certe Eusebius Caesar. l. c. παραςατικον ειναι το ὁμοουσιον τω πατρι το μηδεμιαν εμφερειαν προς τα γενητα κτισματα τον ὑιον του θεου φερειν, μονω δε τω πατρι τω γεγεννηκοτι κατα παντα τροπον αφομοιουσθαι και μη ειναι εξ ἑτερας τινος ὑποςασεως τε και ουσιας αλλ' ἐκ του πατρος. Consentit ATHANASIVS *Ep. de Conc. Arimin. et Seleuc. T. I. opp. p.* 708. Nicaenos hac voce usos, cognoscentes: non creaturam sed genitum quiddam ex substantia patris filium, substantiamque patris filii esse originem et radicem: veram undique similitudinem intercedere genitorem inter ac genitum, et nequaquam eum, uti nos, diversae naturae esse, ac proinde separari a patre et s. p. v. et G. D. FVCHS *Bibl. der Kirchenversamml.* T. II. p. 469. Quas iam lites, odia, bella concitaverit formula novitate, quot artibus aut declinata fuerit ab Arianis, aut detorta, qua denique pietate graves arbitri, *Lutherus* quoque, *Melanchthon* ac plurimi doctores Christiani ab ea abstineri posse iudicarint, non est huius loci exponere.

vid. PETAVIVS *dogm theol. T. II. L. IV. tot l. l.* RAVIVS *in historia vocis ὁμοουσιου, annexa diatr. hist. philol. de Philos Lactantii p.* 161. 16 . BVLLVS *defensio fidei Nic.* cum supplem. Grabii *in opp. Lond.* 1703. *fol. p.* 26. *sq.*

Obs. 4. Ab his finitionibus pendet moleste sedula ac subtilis disputatio de *differentia trium hypostaseon* s. perso-

narum.

narum. Iam omnis differentia quia evanescit, nisi in uno sit, quod non est in altero, facile est ad iudicandum, debere cogitari de characteribus, quibus personae a se invicem distinguuntur, (graeci γνωρισματα et ιδιωματα σχετικα dicunt) et peculiari quadam ratione, e qua intelligamus, non esse tres unius substantiae infinitae virtutes, sed ὑποϛασεις realiter diversas. Iam has notas, cum eas aliunde a rebus creatis petere, periculosum videatur atque incertum (nec enim probatur character, qui non sit perpetuus), personis ipsis inesse arbitrantur atque a nominibus praecipue et phrasi biblica desumunt: *patris* esse *generare*, non generari (αγεννησια); *spirare*, non spirari, (alii αὐτοθεον αυτοτελη, αναρχον, dixere): *filii* esse *generari*, (γεννησια in sensu passivo) non generare, spirare, non spirari: *Spiritus Sancti*, nec generare, nec generari (αγεννητον tamen dicere Spiritum S. vetant v. BASILIVS *adv. Eunomium L. III*) nec spirare, sed *procedere*. Hinc *generationem activam* patri, filio *generationem passivam*, Spiritui Sancto *spirationem*, verbo ducto e nomine spiritus, h. e. ex etymologia nominis, vel *processionem*, vocabulo e *Ioh.* 15, 26. petito, vindicant. Sic GREG. NAZIANZ. *Orat.* 31. ιδιον του πατρος ἡ αγεννησια, του ὑιου δε ἡ γεννησις, πνευματος δε ἡ εκπεμψις. (alii προβολην vocant). Ει δε τον τροπον ὑποζητεις — γινωσκειν αλληλα και γινωσκεσθαι ὑπ᾽ αλληλων. Vtantur licet pro suo quisque ingenio formulis, dummodo nec imperiosius iubeant sonos inanes i. e. tales, quorum ad intelligentiam nemo ullus interpres deduxit, persequi, nec ad autoritatem literarum sacrarum provocent, quae hos characteres, hos actus tradat. Frustra enim ad hanc causam *Ps.* 2, 7 et *Ioh.* 15, 26. detorqueri, supra vidimus. §. 113. Obs. 2. p. 348. et §. 110. Obs. 1. p. 338. *Michae* quoque locus *Cap.* 5, 2. non magis huc pertinet. Propheta enim promisso magno duce ac liberatore patriam

eius

eius significat, Bethlehemum: *te haud incelebrem, haud ignobilem, salutare licet civitatem Iudaeae: nam ex te* יצא (εκπορευεται, *surgit, nascitur, oriri solet*) *princeps Israelitarum,* (tu patria regum:) et מוצאותיו *origines eius* (nempe cuiusque ducis Israelitarum) *ex te fuerunt* מקדם *inde ab antiquissimo aevo.* Primos duces Bethlehemo oriundos veneramur: ultimos eadem patria editos postrema aetas suscipiet. Quis iam acutus augur *aeternam generationem* ex his dictis demonstrabit? Non minus vanum videtur laudare *Ps.* 110, 2. *Apoc.* 22, 1. Nolo denique plura loca congerere, quae persuadere cuique possint, totam illam disputationem de *filii* ad patrem relatione ignoratam patribus antiquissimis, seculo demum tertio ac quarto instructam fuisse ac compositam. Multo tamen minus per tria secula priora de *Spiritus Sancti* natura interna ac charactere publice finitum aliquid intelligimus. Clare ORIGENES, dum summam doctrinae publicae recenset: (*Praefat. libri περι αρχων*): *honore ac dignitate patri ac filio sociatum tradiderunt Spiritum S. In hoc non iam manifeste decernitur, utrum natus* (γεννητος) *an innatus sit.* Eadem ambiguitate disputat de Spiritu S. in *Commentar. in Ioh. p.* 56. *ed Huet. Quaerendum est et illud, an ipse etiam Sp. S. per ipsum* (λογον(*sit factus, quum verum sit, omnia per λογον facta fuisse. Ac meo quidem iudicio, si quis dicat factum esse* (en primam hypothesin!) *Spiritum Sanctum, et admittat, omnia per λογον facta fuisse, is etiam fateatur necesse est, Spiritum ipsum a λογω factum, nimirum λογω ipso antiquiore existente ipso Spiritu. Si quis* (haec altera hypothesis) *nolit, Sp. S. per Christum factum esse, sequitur, ut αγενητον asserat. Erit autem aliquis tertius praeter hos duos, quorum alter sumit factum Spiritum Sanctum, alter αγενητον existimat, statuens* (δογματιζων) *nullam*

nullam essentiam constare Spiritui S. propriam (μηδε ϰσιαν τινα ιδιαν ὑφεςαναι του ἁγ. π. ἑτεϱαν παϱα τον πατεϱα ϰαι τον ὑιον.) Addit denique sententiam suam: *Nos autem, qui* τϱεις ὑποςασεις *esse nobis persuademus et* αγεννητον *nihil praeter patrem credimus, ut pium et verum concedimus* (ὡς ευσεβεςεϱον—πϱοϊεμεθα), *cum omnia per* λογον *facta sint, Spiritum Sanctum omnibus esse praestantiorem,* παντων ειναι τιμιωτεϱον ϰαι ταξει παντων των ὑπο του πατϱος δια χϱιςου γεγεννημενων. Haec ille. BASILIVS *L. V. adv. Eunom. Dei verbum filius est, filii Verbum spiritus.* — *Cur autem Spiritus filii non dicitur? Non quia non est ex Deo per filium, sed ne trinitas filios ex filiis habere suspecta—infinita putetur multitudo.* Et statim addit: *ad blasphemiam festinas, quoniam processio* (πϱοοδος εϰ θεου) *Sp. S. ex Deo generatio vocata non est. idcirco nec ipsum spiritum oris Dei credis, sed manuum Dei opus.* GREGORIVS *Nazianzenus Orat.* 20. p. 382. *ed. Paris. Audis spiritum ex patre procedere* (πϱοιον εϰ του πατϱος): *id quomodo fiat, ne anxio studio perscruteris.* Sed tota Nazianzeni oratio huc pertinet. v. et *ej. Orat.* 31. (*alias* 37.) quae multa historica continet. EPIPHANIVS *Haeres. LXIX.* (T. I. opp. ed. Colon. p. 742.) *Spiritus S. eo modo, quem pater et unigenitus cognoscunt, neque genitus neque creatus a patre et filio, sed a patre procedens* (εϰ πατϱος εϰποϱευομενον) *et de filio accipiens* (του ὑιου λαμβανον). CYRILLVS *Alexandr. ep. ad Nestorium* (*in actis Concil. Ephes. T. I. Concil. Harduin.* p. 1291.) *Sp. S. dicitur spiritus veritatis. Veritas Christus est,* ϰαι πϱοχειται παϱ' αυτου ϰαθοπεϱ αμελει ϰαι εϰ του θεου ϰαι πατϱος *Idem in Ioh.* 16 ϰϰ αλλοτϱιον της ϰσιας του μονογενους το αγιον νοειται πνευμα, πϱοεισι γαϱ φυσιϰως εξ αυτης. Addam DAMASC. sententiam, de *F. O. L.* I. c. 12. Pater est λογου genitor et δια λογου πϱοβολευς

βολευς εκφαντορικου πνευματος. — *Spiritus filii quoque dicitur*, ουκ ὡς εξ αυτου, αλλ᾽ ὡς δι᾽ αυτου πατρος εκπορευομενον μονος γαρ αιτιος ὁ πατηρ. Ad hunc locum pertinet disputatio Graecos inter et Latinos, a septimo inde seculo multo fervore, multis inanibus verbis agitata, *de processione Sp. S. a filio.* Concilium quidem Constantinopolitanum simpliciter statuit: πνευμα εκ του πατρος εκπορευομενον: non tamen defuere, qui privatis placitis eundem a filio procedere statuerent: Latini maxime, quorum loca PETAVIVS coegit *dogm. th. T. II. L.* 7. *c.* 3. *sq. p.* 367. *sq.* et alii. Martino tamen Pontifice iam lis commota est (circa A. 660.) a Byzantinis, postquam in *literis synodicis Sp. a filio procedere* assereret. Denique publica bella exarserunt, infarcta nescio quo autore Latino, vel Hispano vel Italo, in symbolum publicum formula *filioque*, atque a Latinis defensa. Exinde primum de corruptione formulae publicae querelae a Graecis commotae, post de re ipsa certatum, atque haereseos nomen mutuis criminationibus proiectum, schismati inter Graecos et Latinos temporis successu irreparabili occasionem dedit. v. I. G. WALCH *historia controversiae Graecorum Latinorumque de processione Sp. S. Ien.* 1751 Equidem in his nihil magis doleo, quam animorum dissidia in argumento, de quo disputare plane otiosum sit. Nam utraque profecto pars uno velut ore profitetur, a nemine mortalium intelligi posse, quid sit *processio.* Atqui si ne subtilissimis quidem disputationibus ostenditur quaedam vocis idea ac potestas certa et clara, atque ignoratur plane rei, de qua disputamus, natura; si nescis, quid statuas, cum a patre Spiritum S. procedere asseris: quomodo non deploremus vanitatem hominum et rixas, quibus a filio procedere Spiritum S. aeque nescii, quid formula sua significent, defendunt?

fendunt? Vere ſapienter et chriſtiane vir ſummus MELANCHTHON *in locis theologicis: Excitare animum ad timorem, fidem, invocationem, multo rectius et melius eſt, quam ocioſas ſpeculationes agitare et rixari de ſcholaſticis argutiis, quae tamen non explicant arcanam naturam Dei: et quia pleraeque ſunt inextricabiles, haud dubie multorum conſcientias everterunt, non erudierunt. Quare modum eſſe harum diſputationum magnopere prodeſt.*

§. 116.

c) *Hiſtoria recentior.*

Ex quo reſtauratis literarum ſtudiis atque revocatis ab autoritate traditionum, quibus tarda ac timida ingenia ſubſcripſerunt, ad libertatem animis, multi ingenium acumenque ſuum exercuere, varias legimus excogitatas hypotheſes, quibus Patris et Filii et Spiritus Sancti naturam ac dignitatem declarare tentarunt: alii, ut catholicam ſententiam haud deſererent, alii ſic, ut placitis ſuis ingenii quidem, non item orthodoxiae laudem mererentur, e quibus Socinorum Clarkiique ſtudia plus profuerunt, quam Maty et Vrlſpergeri placita.

Obſ. 1. Fidei Nicaenae decretum Confeſſores noſtri *Art. I. Aug. Conf.* pie repetunt, ſimulque, quid perſona ſit, finiunt, repudiatis Arianis, Samoſatenis veteribus et neotericis (Serveto) et aliis.

Obſ. 2. Memoratu digna videtur a) *Melanchthonis de Filio Dei* hypotheſis, non nova quidem (antiquiſſimos enim patres haud diſſimilem ſententiam produnt) ſed ſingularis. Namque *Pater*, inquit, (in LI.. theol.) *intelligens ſeſe gignit cogitationem quandam, quae eſt ipſius imago. Sicut et cogitationes noſtrae ſunt rerum imagines, ſed nos non transfundimus eſſentiam in imagines illas. Pater autem transfundit eſſentiam*

tiam suam in illam imaginem. Haec cogitatio est imago et απαυγασμα patris et vocatur verbum. Ideo filium Iohannes nominat λογον. Quod etsi valde obscurum sit ac a communi τροπω longe recedat, nunquam tamen a tot viri gravissimi adversariis, nec popularibus nec exteris, ante Flacium in vitium vel haeresin conversum fuisse legimus. (vid. G. T. STROBEL *Litteraturgesch. von Melanchth. LL. theol, p.* 82, *et* 237. Adeo liberum fuit, ingenio suo indulgere atque in hoc argumento de arcana natura divina disserere. *b*) Aliam illustrationem mysterii tentatam legimus a *Solino* et CLERICO (in *Liberii de S. Amore opp. theol. Irenop.* 1679. 8.) cuius ratio eo redit: (p. 19.) *Cum Deus de variis uno eodemque tempore propter infinitatem cogitare possit, in Deo potest concipi pater, sive natura divina, certo quodam modo cogitans, filius et Spiritus S. seu eadem natura duobus aliis modis cogitationes efformans.* Acuta quidem, verum ad Sabellianas opiniones proclivior disputatio. *c*) Eodem vitio laborat *Steph.* NYE, qui (*l. the doctrine of the holy trinity, Lond.* 1701. 8.) Deum mentem esse putat, quae ab aeterno se ipsam intellexerit atque amaverit: intellectum esse filium, amorem Spiritum Sanctum. *d*) Neque ab hac hypothesi valde differt *Grotiana* declaratio in sylvis sacris proposita:

Aeterna tua mens hoc quod est intelligens
Sapientiam progenuit aequalem sibi
Se mensa quanta est compari imagine,
Ac hinc videntem colligans visumque amor
Processit, in se vim repercutiens suam,
Vnumque tria sunt: nam quod es, scis, vis, idem est:

cui fere consona sunt, quae nuper Anonymus in libro: *Theorie des vveisen Spottes* 1781. proponere conatus est, ut occurreret hominum malevolorum studiis et derisui, quo christianum

stianum dogma excipiunt. Sumit enim in Numine primum vim semetipsum contuendi (h. e. patrem,) sed eandem minime otiosam, verum actuosam, unde nascatur imago entis infiniti, s. idea, quam numen de se ipso habet (filius), quae non possit existere sine amore sui ipsius beatissimo (Spiritus S.). Quibus rebus quomodo vel evanescant difficultates, vel vestigia fidei ecclesiasticae conserventur possintve agnosci, haud video. *e*). Novam interpretationem tentavit I. P. REVSCH *Introd. in theol. revelatam* §. 418. p. 805. cui nuper expoliendae ac declarandae multam impendit operam GRVNERVS, Reuschii discipulus ac interpres. Sumit, quod facile omnes largientur, spiritum infinitum, Deum, existere cum intellectu ac voluntate, nec facultates meras in his laudari sed actus aeternos simultaneos. Verum addit: immensitatem rerum omnium, in quibus voluntas ac intellectus divinus versatur, quodsi intueamur: primum Deus agitat ideas rerum omnium, quae cogitari possunt, porro easdem ideas tanquam fines et media inter se connectit, atque systemata mundi in se possibilia omnia quasi delineat; denique quodnam ex his optimum sit iudicat. Hos igitur *tres actus* divini intellectus, quibus semper peculiaris voluntatis agitatio respondet, quum non modo in puncto rationis, sed realiter differre, nihil tamen successivi admittere statuat, hypostaticos iure vocari posse defendit, ac peculiari nomine distingui. Prioris nec mentionem facit nec nomen docet scriptura sacra, quae Deum tantum ut conditorem ac effectorem rerum omnium describit: alterius nomen חכמה *sapientia Prov.* 8. et λογος *Ioh.* 1, 1. tertium vocat Spiritum S. vel δυναμιν του ὑψιςου. Mira profecto philosophemata que virtutem quamlibet actuosam in personam transformant, nec valde adducunt ad intelligentiam mysterii, nec e scripturae locis perspicuis, quibus unice fidendum in hoc argumento

 dedu-

deducuntur. *f*) Addam adhuc nuperas G. F. SEILERI declarationes in *theol. dogmat.* et *l. von der Gottheit Christi* ulterius propositas: (quarum semina iecisse videtur I. I. G. DARIES in *tr. Philosophico, in quo pluralitas personarum in Deitate, qua omnes conditiones, ex solis rationis principiis methodo mathematicorum demonstratur. Leovard.* 1735. 8.): *unicam esse substantiam divinam* i. e. ens unum, cui insit maiestas divina: *sed in hac substantia iungi tria subiecta seu supposita, quae eandem numero essentiam modo nobis incomprehensibili communem habeant, atque unum ens s. substantiam singularem mutuo iuncta vinculo constituant.* Verum illa philosophia et subtilitas, digna acumine viri celebris, utut deleat contradictionis, quam antitrinitarii reformidant, speciem et mysterii βαθος ab horrore ad intelligentiam ac admirationem hominum propius adducat, vereor tamen, ut multum adiuvetur scripturae dictis, atque ita perspici possit, ut ingenii humani imbecillitati satisfiat. Nam primum distinctio substantiae vel entis subsistentis et suppositorum, qua in unam substantiam coëant, valde arbitraria ac minime perspicua videtur, et subtilius magis quam vere disputatur, a pluralitate suppositorum non valere consequentiam ad pluralitatem substantiarum. Praeter ea sive separatim agere praesumam (faventibus literis sacris) tria unius substantiae subiecta, sive unam omnium actionem, diverso tamen in singulis cooperationis modo, concipiam: magnae undique difficultates obiiciuntur, neque iis tantum, qui similis coniunctionis exemplum frustra quaerunt in rebus creatis, et temere negant, quidquam in Deo reconditum atque singulare cogitari posse, verum apud eos quoque, qui divinitatis mysteria pie reverentur, sed in argumento tam sublimi tamque intricato, quod quia plane abhorret ab analogia rerum creatarum, nonnisi ipsius

Dei

Dei institutione innotescit, clara sperant sacrorum auctorum testimonia. Scilicet ut *Hilarius de Trinit. L. I.* inquit, *similitudines humanae divinis non satisfaciunt exemplis.* Sed haec aliud liberius ampliusque spatium postulant ut exponantur. Praetereo portenta ac somnia reliquorum, qui *vel* e rebus sensibilibus petiere exempla ac illustrationes trinitatis, (v. supra p. 359.) *vel* e natura necessitatem quandam trinitatis in Deo adstruere magna licentia, ac luxurie ingenii ausi sunt, e quo genere *Kekermannum* MVSAEVS (*in libro de usu principiorum rationis in theologia*) *Poiretum* NEVMANNVS refutavit, nuperumque medicum Berolinensem, C. C. BERGERVM (in l. *Das System der Evvigkeit zur Erkenntniss Gottes. Berol.* 777. 8.) nemo, cui sanum est cerebrum, sequetur.

Obs. 3. Maiori autem proh dolor! agmine prorupit Seculo XVI. ex Italia *Antitrinitariorum* familia multiceps, quae communi ausu, diverso tamen παιδειας τροπω *unius Dei* confessione (hinc *Vnitarii* dicti) filii et Sp. S. dignitatem divinam elevare ac prosternere tentarunt. Primas turbas excitavit *Mich. Servetus* Hispanus, editis *libris VII. de trinitatis erroribus* (1531) et *dialog. de trinitate* 1532. ad Sabellianas hypotheses accedens, cum, *personarum differentia*, inquit, *in personarum apparitionibus est iudicanda, non in ipsa rerum unius naturae metaphysica pluralitate.* (vid. *Ioh. Laur.* MOSHEIM *historia Serveti Helmst.* 735 *und neue Nachr. von M. Serveto.* 750. 8.) *Ioh. Campanus* Arianismum repetiisse videtur (v. I. G. SCHELHORN *de Campano in amoenitat. literar.*. T. XI. Erf. et Lips. 1729. p. 1—92.) Opinionem eandem *Valentinus Gentilis* recoxit. *Matthaeus Gribaldus*, ICtus Patavinus, naturam divinam in tres spiritus aeternos numero graduque distinctos divisit. Sed horum disciplinam et propagines aut vis magistratuum repressit, aut

Sociniana schola extinxit. Iam enim *Laelius* et *Faustus*, Laelii ex fratre nepos, *Socinus*, uterque stirpe et eruditione nobilissimus, animis imparatis novum virus instillarunt, ac *Photini* decreta (de quibus supra exposuimus §. 115. Obs. 2. p. 367.) magno et doctrinae et librorum et fautorum copia palam repetere, praesertim per Poloniam, haud erubuerunt. His igitur *Deus unus*, *Christus* ανθρωπος ψιλος, *e Maria oriundus, propter insignes virtutes ac conceptionis miracula Deus dictus, ac post mortem ad divinam gloriam evectus, Spiritus Sanctus vis aliqua diniva*, non persona, creditur. In quo quam artificiose diligentes alias interpretes detorqueant literas sacras in alienum plane sensum, quam impie detrahant honori filii atque spiritus divini, non attinet exponere. c. I. *Crellii tr. de Deo uno patre.* Racov. 1631. et *de Sp. S.* 1650. *G. G. Eniedeni explicatio locorum difficilium V. et N. T. ex quibus trinitatis dogma stabiliri solet. s. a. Artemonius s. Sam, Crellius initium Evangelii S. Iohannis Apostoli restitutum et illustratum.* 1727. Divisa eorum familia in *duas* partes abiit, *adorantium*: qui Christum, etsi careat divina natura, tamen adorandum esse defenderunt. *G. Blandrata* et *Franc. Davidis* autore ac *non adorantium*, quorum amplissimus numerus ne hunc quidem honorem Christo praestare vult, contra apostolorum et antiquitatis, nedum angelorum, exemplum. v. *Disputatio de adoratione Christi, habita inter F. Socinum et Chr. Franken. Racov.* 1618. 8. Adstipulatos his praesertim *Sonerum* et *Dammium*, Germania, *Emlynum* Anglia damnavit.

cf. *Fr. Sam.* BOCK *historia antitrinitariorum. Regiomont.* 1774.

Obs. 4. Praeter *Ariana* placita, quorum restauratorem ac defensorem acerrimum *Guil. Whistonus* et *Harvvood vier Abhandlungen* Germ. c. Praef. *Telleri Berl.* 1774.) per

per Angliam sese praestiterunt, ad quae *Wetstenius*, N. T. editor, ac nuper quoque C. F. *Bahrdius* edita confessione publica, accessit, *Clarkianae* hypotheses, Arianis subtiliores ac leniores, a plurimis cupide exceptae sunt. Has ut breviter recenseamus, tum instituti ratio, tum autoris, *Sam.* CLARKII eruditio acumenque, denique autoritas, qua viri eruditi sententia per Angliam invaluit, postulat. Tradit igitur in libro: *die Schriftlehre von der Dreyeinigkeit*, Anglice 1712. Germ. 1774. Fr. et Lips. 8. editio: *Vnam esse rerum omnium causam, Deum summum, quacum ab initio* (formula parum definita) *extiterit* λογος *et spiritus patris, uterque Personae nomine dignus. Quorum omnium natura quidem et essentia latet, quaedam tamen ratio e literis sacris cognoscitur, dum docent, patrem solum esse* αυτοεσιον (*selbstständig*) *omnisque et essentiae et maiestatis, qua filius fruitur, et actionum, quibus Sp. S. eminet, autorem primarium. Filii absurdum esset, cum tacent autores sacri, vel essentiam vel modum, quo eandem ante mundi origines acceperit, velle definire, negari tamen non posse, filium quoque non tantum omnium adfectionum Dei, quae possunt communicari, participem, creationis instrumentum, patri subordinatum, Deique nomine per illam societatem insignitum esse, verum etiam honore cultuque a nobis prosequendum. Spiritus Sancti origines venire a patre, eumque medium inter* λογον *et angelos, illo inferiorem, his superiorem, dignitate collocari ac pendere a Deo, cuius voluntatem exsequatur, ac filio, quo autore agat.* Habns igitur filium patri, Spiritum S. utrique *subordinatum*, unde quidam Clarkii asseclas *Subordinatianos* dixere. Haec placita, quae a dictionis simplicitate ac modestia, a facilitate interpretationis, a suffragiis christianae antiquitatis tantam commendationem tar-

tamque speciam habent, haud miror magnis placuisse viris, *Whitbyo*, *Bensono*, *Claytono*, *Guil. Iones*, *Pristleyo*, ac his nominibus praemunita ipsam doctrinam Angliae publicam velut ariete quodam concussisse. Hinc vehementius contra formulam Athanasianam audimus insurgere plurimos atque optare, ut illa fidei suae impedimenta diruantur. Sed, ut verum fatear, hypothesis illa, utut speciosa ac Clarkiano ingenio digna, et reliquis multo sit facilior atque honorem Iesu Christo conservet atque stabiliat, tamen valde impeditur, sive teneas, vix cultus Deo debiti honorem transferri posse, ne Dei quidem lege, in creaturas; sive, qua ratione immensitas rerum creatarum vi spiritus, Deo inferioris, possit produci, sustineri ac disponi exquiras. Vid. omnino I. G. TOELLNER *theol. Untersuch. T I. S.* 1. *p.* 81. *sq.* et G. F. SEILER *Progr. de difficultatibus arianismi subtilioris, inprimis Clarkiani*, *Erlang.* 1775.

Obs. 5. Novam dogmatis de S. Trinitate explicationem *Paulus Maty*, Belga, vir nec iudicii exasciati nec mentis piae laudibus carens, nemine autore, assecla, quoad sciam, nemine proposuit. *Nempe tres*, ut arbitratur, *in divina trinitate* personae sunt, reapse inter se distinctae. *Prima divinitas tota est, nihilque alieni admixtum habet patrisque ideo nomine gaudet. Unicus hic vero Deus duas, easque finitas, intelligentias conditum ante orbem produxit, quarum utramque arctissima prorsus ratione secum coniunxit, ita ut tres una cum illis personas constituat, fere ut scholastici unionem Iesu personalem cum divina natura defendunt. Esse igitur personalem inter Deum ac filium et Sp. S. unionem, cuius rei consequens sit trium personarum in una divina natura existere societatem.* Ac nescio utrum omnino nova dici possit hypothesis ac novitate suspecta, an vetustate quoque commendabilis. *Formula* quidem *Antiochena*

tiochena (A. 343.) propius ad eam accedit: ουδε τον ὑιον καθ ἑαυτον ειναι, ζην τε κ. ὑπαρχειν ὁμοιως τω πατρι λεγοντες, δια τουτο χωριζομεν αυτον του πατρος, τοπους κ. διαστηματα τινα μεταξυ της συναφειας αυτων σωματικως επινοουντες πεπιστευκαμεν γαρ αμεσιτευτως αυτους κ. αδιαστατως αλληλοις επισυνηφθαι, κ. αχωριστους ὑπαρχειν ἑαυτων, ὁλου μεν του πατρος εστερνισμενου τον ὑιον, ὁλου δε ὑιου εξηρτημενου κ. προσπεφυκοτος τω πατρι — ου δυο τουτους θεους, αλλ᾽ ἑν ὁμολογουμεν της θεοτητος αξιωμα κ. μιαν ακριβη της βασιλειας την συμφωνιαν, πανταρχουντος μεν καθ᾽ ὁλου του πατρος παντων, κ. αυτου του ὑιου, του τε ὑιου ὑποτεταγμενου τω πατρι, εκτος δε αυτου παντων των μετ᾽ αυτον βασιλευοντος των δι᾽ αυτου γενομενων και την του ἁγιου πνευματος χαριν αφθονως τοις ἁγιοις δωρουμενου πατρικω βουληματι. Esset igitur unitas moralis, sed arctissima, operationum consensione. Fatear, hanc explicandi mysterii methodum facillimam omnium ac difficultatibus expediendis reliquis multo aptiorem reperiri, nihilque statuere, quod vel erga Deum vel erga Iesum iniurium vel rationi adversum sit: sed si autoritatem sacrarum literarum quaeras, si rationes modumque et consilium unionis naturae divinae cum intelligentiis creatis indagare velis ac reddere, si coniunctionis, quae filium Dei inter ac Spiritum Sanctum intercedit, modum exponere: eandem obscuritatem idemque μυστηριωδες, quod in doctrina catholica multos offendit, superesse intelligo.

cf. I. L. MOSHEIM *modesta inquisitio in novam dogmatis de S. Trinitate explicationem, quam Cl. P. Maty nuper proposuit. Helmst.* 1735.

Obs. 6. Haud denique praeteream *I. Aug.* VRLSPERGERI, Augustani, sententiam, nostra aetate excogitatam atque, quod est sedulum acuti viri studium, plurimis scriptis ornatam ac declaratam. Summam opinionis tradit libellus: *Kurzgefasstes System seines Vortrags von Gottes Dreieinigkeit.* Augsp. 1777. 8. quae fere ad duo capita redit: *aliam esse trinitatem oeconomicam* (*Offenbarungs Dreyeinigkeit*) patrem filium et Sp. S. *aliam essentialem* (*Wesens Dreyeinigkeit*) tribus personis in Deo uno subsistentibus, quarum tamen et differentias et nomina ignoramus. In *oeconomica* laudat personam divinam, quae (utar ipsius autoris verbis) e Deo egressa (*Ioh.* 16, 28. *Mich.* 5, 1) ut solent e parentibus liberi, in novum statum et relationem, qualis est filii erga patrem, *transierit*, iam, qua filius, extra Deum subsistens, patre inferior, atque ad Φανερωσιν apta. Diversum ab hac sumit spiritum, vel personam s. intelligentiam, quae cum divinae essentiae consortio, αρρητω nomine, fruatur, εκπορευσει *prodierit* atque extra divinitatem constituta, vitae conservandae autor, divinam vim manifestam faciat. De his rogas, quid sentiam? Ego vero video virum satis acutum: nec tamen habet explicatas earum rerum, quas agitat, cogitationes, nec interpretationis legem, quam sequitur, vocibus generationis, exitus a patre, progressus, et aliis vi sensibili ac σαρκικη subiecta, satis certam ac probabilem cautus aliquis interpres comprobabit: denique tantum abest, ut difficultatibus tollendis removendaeque offensioni inserviat nova hypothesis, Marcellianae tamen, de qua supra diximus, affinis, ut potius novo mysterio doctrinam Christianam, hoc est, novis scrupulis augere videatur. Recte vidit vir doctus, vix sustineri posse traditionem de filio in divinitate, et de Spiritu Sancto, tertia divinitatis persona, cum utrumque a divinitate pendere haud obscu-

obſcura ſit ſacrarum literarum fides: ſed nec ego ſatis adhuc intelligo, quomodo perſona divina poſſit ex ipſo divinitatis ſinu quaſi prodire, deſerere ſtatum aeternum ac in novam ſubire relationem, ſi quidem neges, immutari poſſe divinitatem. Namque aut illud, quod egreſſum e Deo filii munus nomenque accepit, fatear adhuc manſiſſe partem divinitatis; ſed ea contraria ſunt, immanentem perſonam erupiſſe e divinitate: aut ſeorſim iam ſubſiſtere dicam; quomodo autem amiſiſſe divinam ſubſtantiam, tribus olim perſonis ſubſiſtentem, perſonarum aliquam, inde defendas? Verum omnis magno ſtudio viri acuti exaſciata ac commendata hypotheſis non dubito, quin minus arriſiſſet auctori, ſi vel a novitatis ſpecie, quae facile imponit nobis, vel ab argutiis interpretationis nimioque literae, quam vocant, inhaerendi ſtudio ſibi caviſſet.

Obſ. 7. Sed hae tam contrariae multorum opiniones, tam obſcurae hypotheſes, tam portentoſa quorundam commenta, quibus inde a ſecundo ſeculo laboravit ingenium hominum, quibus tot querelarum ac litium excitatae occaſiones, quibus vel illuſtria ingenia fatigata vel tenuia proſtrata ſunt, utinam admoneant animos pios, quam temerarium, quam vanum ſit et periculoſum, in hunc campum deſcendere ac naturam patris, filii et Spiritus S. certius definire velle. Quanto igitur laudabilius erit ac cautius, profiteri ignorantiam atque omiſſa ſublimiori acocioſa ſpeculatione, unam Deum cognoſcendi viam, beneficiis eius pio animo conſideratis, perſequi. Hoc enim eſt tenere fidem Trinitatis, ſi patris imperium ſummum, Ieſu Chriſti autoritatem ac dignitatem, Spiritus denique Sancti vim agnoſcas ac verearis, atque invocatione et obſequio te colere profitearis patris creatoris, filii redemtoris, Spiritus S. adiutoris beneficentiam. Si qui his omiſſis ſublimiora ſcrutantur,

nae peregrinantibus similes sunt, qui, per astra vagati, proxima sibi bona negligunt, turpiterque labuntur. Tuto ignoratur natura divina, dummodo domesticis significationibus animum Dei erga nos cognoscamus, quod omnium et saluberrimum et pietatis instillandae ac alendae efficacissimum existimem.

cf. PETAV *dogm. theol. T. II. I.* FORBESIVS *instr. hist. theol. L. I c. 2 sq.* I. Fr. COTTA *hist. doctrinae de S. Trinitate insert. Gerhardi LL. Theol. T. III. pag.* 324. *Tub.* 1764.

§. 117.

III. *Necessitas fidei Trinitatis.*

Quisquis nostrae religionis sacris baptismo semel suscepto est initiatus, non potest non patrem, filium et Spiritum Sanctum pie profiteri ac colere. *Matth.* 28, 19. verum ratam quandam huius doctrinae illustrandae hypothesin debere omnes tenere ac, quidquid praeter Nicaenum ac Athanasianum systema creditur, id cum periculo ac detrimento salutis aeternae statui, equidem non ausim defendere. Nec enim rei ipsius natura, quia arcana est et interpretatione nititur, patitur, ut omnes in unam sententiam consentiant, nec antiquitas Christiana hanc fidei trinitatis necessitatem agnovit, nec a symboli Athanasiani decreto salutem hominum pendere existimem.

Obs. 1. Primum constat inter eruditos, per priora secula fidem Athanasianam haud omnino professos fuisse doctores atque ecclesias universas, divisis Christianorum sententiis, nondum proposita norma publica ac libertate ingenii concessa interpretibus, quacunque velint ratione dicta de patre, filio et Sp. S. componere. Atque vel ipse *Constan-*

tinus

tinus Magnus in *epist. ad Arium* ap. SOCRATEM *H. E.* I, 7. monet, abstinendum esse a quaestionibus ac definitionibus, in causa, quae tutius ignoratur neque ad populum Christianum pertinet. Etenim, ϰϰ ερωταν, inquit, ὑπερ των τοιϰτων εξ αρχης προσηϰον ην, ϰτε ερωτωμενον αποϰρινασθαι. τας γαρ τοιαυτας ζητησεις πασας ϰ νομου τινος αναγϰη προσταττει, αλλα ανωφελους αργιας ερεσχελια προστιθησι — μη δει προχειρως εις δημοσιας συνοδους εϰφερειν, μηδε ταις παντων αϰοαις απρονοητως πιϛευειν. Deinde nemo sane catholicus inficias ibit, orthodoxam hypothesin plurimis implicari difficultatibus, quae in reliquis quoque systematis offendunt, ac plures e populo ad tritheismum devergere, quos ideo religione ac spe salutis carere, nolim pronuntiare. Quomodo igitur non aequum sit, concedere hoc vel ingenio vel imbecillitati hominum, ut diversas formulas profiteantur, dummodo ratam salutis aeternae conditionem impleant ac divinam Christianae doctrinae originem et autoritatem summumque Christi in omnes imperium largiantur, et, ut rursus Constantinum laudem, mutuum amorem cultumque divinum et legum reverentiam firmiter teneant. Consentiunt viri gravissimi MELANCHTHON et I. L. MOSHEMIVS, quorum ille in *locis theol. Non est,* inquit, *cur multum operae ponamus in locis illis supremis de Deo, de unitate, de trinitate Dei. — iam si libeat ingenioso mihi esse in re non necessaria, facile queam evertere, quaecunque pro fide dogmatis argumenta produxerunt, et in his, quam multa rectius pro haeresibus quibusdam facere videntur, quam pro catholicis dogmatis.* Hic (*in Elem. th. dogm. p.* 84.): *qui sapit, is haec vocabula, essentia, persona, consubstantialis non definiet et omnes determinationes physicas seponet. Nulla adhuc definitio deprehensa*

hensa est, quae non vel tritheismi vel sabellianismi accusari potuerit.

Obs. 2. Crudelis multis, rerum potius quam symbolorum adversariis, visa fuit formula symboli *Athanasiani* (quod nemo hodie genuinum esse defendet): *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus habet, ut teneat catholicam fidem: quam nisi quis integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.* Cui subiicitur doctrina Nicaena de Trinitate, Athanasii decretis enucleata, rursusque iudicium grave de necessitate fidei trinitatis: *Qui vult salvus esse, ita de trinitate sentiat:* ac clausula: *haec est fides catholica, quam nisi quis fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Quantum igitur aliis fidei huius necessitatem persuaserint hae particulae, quanta apud alios in offensa fuerint et crimine, vix dici potest. Verum ne quem turbet severius decretum, observare liceat, primum non eam poni necessitatem cognoscendae ac profitendae huius doctrinae, quae ad omnes undique homines pertineat atque absoluta sit, sed hypotheticam. Namque consilium formulae eo tendit, ut haereticis contradicatur, non ignorantibus trinitatem, sed pravas sententias de ea secutis. Deinde recte quidem theologi nostri doctrinam de trinitate necessario proponi christianis contendunt, neminem tamen novimus unam eandemque necessitatem tribuere singulis capitibus, quibus illa explicatur et certis quasi finibus circumscribitur. Denique egregie iudicat *Iac. W.* FEVERLEIN *theol. symbol.* p. 109 *Quod ab initio et sub finem symboli spes aeternae salutis omnibus negatur, qui fidem hanc integram et inviolatam non servaverint, ad* secundaria *pertinet, quia neque est dogma, nec reiectio ipsa erroris, neque terminus praescriptus, nec interdictus, sed* iudicium *de articulis eiusdem*

sym

ſymboli, fundamentalibus et quidem primariis eos adnumerans. Quum vero inter hos ſint articuli non fundamentales v. g. de proceſſione Sp. S. e filio, et fundamentales ſecundarii, captum ſimpliciorum ſuperantes v. g. de perſonis non confundendis, ſubſtantia non ſeparanda, nonniſi a potiori poſſumus huic iudicio ſubſcribere. Haec ille. cf. C. F. W. WALCH *diſſ. de ſymboli Athanaſiani particulis, quibus neceſſitas fidei catholicae commendatur. Goetting.* 774. Ceterum obſervare liceat, prima decreti Athanaſiani ſemina ieciſſe *Synodum* quandam *Illiricianam* cc. A. 375. quae ad Epiſcopos Orientales ſcribit (*ap. Hard. T. I. Conc. p.* 794.) : *Qui conſubſtantialem Trinitatem non praedicant, anathema ſint — His autem, qui conſubſtantialem trinitatem praedicant, praeparata ſunt regna coelorum. Rogamus ergo vos, fratres, ut non aliud doceatis, non aliud innovetis, ſed ſubſtantialem ſemper et ubique praedicantes trinitatem, poſſidebitis regnum Dei.* Nempe ſua cuique vera primum, dein gravia ac pia, denique neceſſaria creditu videntur: quod ſi quis contra auſit ſtatuere, haereſeos primum, poſt uſitato cognomine impietatis arguitur, e quo crimine ſententia damnatoria ſponte profluit.

Obſ. 3. Quanquam igitur hoc dogma ob baptiſmi fidem pro praecipuo et Chriſtianae religionis characteriſtico habere haud dubitemus cum BASILIO *adv. Eunomium* L. II. p. 58. tamen refugiamus in iudicio de eo temeritatem multorum, qui unam fidei normam omnibus ſcribunt, quae nec extitit olim, nec eſſe poteſt, nec ſine iniuria erga Deum ponitur, penes quem ſolum eſſe profiteor arbitrium, in ſalutis conditionibus ſtatuendis. Sed hoc vitium, cum ſaepe obiiciunt Antitrinitarii orthodoxis, ipſi haud raro committunt, invidioſis criminationibus ac clamoribus, quibus catholicas hypotheſes, ut abſurdas, lacerant, irrident ac condemnant. Fi-

niam

niam pio ac gravi *Lessii* (*practische Dogm. p.* 151.) monito: Tu quisquis ingenue scrutaris sacras literas, si trinitatem non vides, tene, ignorantiam vel errorem, qui haud venit a culpa tua, non verti crimini: sin contra vides: noli, tenuitatis humanae conscius, veritatem divina autoritate suffultam ac commendatam, etsi difficilem ac non omni dubio carentem, repudiare. cf. TOELLNER *vermischte Aufsaeze. T. II. Saml.* 1. et *theol. Untersuch.* 1 *B.* 1 *St. p.* 18.

Obs. 4. Ceterum solatium haud leve fluit hoc loco vel e persuasione Iesum, a quo salutis nostrae origines repetimus, ac Spiritum Sanctum, salutaris veritatis autorem, frui societate divina: vel e spe, futurum esse, ut ab his elementis θεολογιας, in quibus tot ignorantiae ac vanitatis nostrae testimonia edimus ac deploramus, ad liberaliorem omnino atque clariorem cognitionem divinitatis perducamur. 1. *Cor.* 12.

CAPVT SECVNDVM.

DE CREATIONE.

§. 118.

Quid sit creatio.

Quia natura ac maiestas divina in operibus divinis adspectabilis est, teste Paulo *Rom.* 1,20. et *Ps.* 8, 1. 19, 1. haec intueri atque declarare, in praecipuis religionis partibus erit. Itaque Dei, communis omnium patris, primum opus, *creationem*, tractabimus, qua fit mundi, sive rerum omnium, quae existunt, primus auctor ac perfector. *Gen.* 1, 1. 2, 1. *Ebr.* 11, 3. 2 *Cor.* 4, 6.

Obs.

Obſ. 1. *Creare* quidem uſitata conſuetudine definiunt, *de nihilo aliquid producere*, quod, ſi hanc vim habet, ut profiteamur, nihil praeter Deum ante extitiſſe, quam hic mundus eſſe inciperet, neminem offendet, nec antiquo philoſophorum canone: ex nihilo nihil fit, infringitur. Sic *Paulus* loquitur *Ebr.* 11, 3. *Fide intelligimus perfectum fuiſſe mundum*, εις το μη εκ φαινομενων τα βλεπομενα γεγονεναι, *ut, quae prius non fuere adſpectabilia nec praeſentia*, (ſic enim μη βλεπεσθαι de homine uſurpatur, qui adhuc nullus eſt *Ioh.* 16, 16. v. et *Prov.* 8, 24.) *ea iam cerni poſſent.* vide pluribus CARPZ. *ad h. l.* cf. *Amos* 5, 8. 2 *Cor.* 4, 6. Eadem formula 1 *Macc.* 7, 28. legitur, *Deus fecit coelum et terram* εξ ουκ οντων. Laudatur ab aliis quoque *Rom.* 4, 17. ubi Deus dicitur καλειν τα μη οντα ὡς οντα, *vocare non exiſtentia tanquam exiſtentia*; verum, ſi quidem Pauli conſilium adſequor, laudat tantum praeſcientiam divinam, quae perſonarum, poſt longum demum decurſum annorum naſcendarum, nomina, fata, dignitatem, diu ante ortum earum nota facit, cui nihil futurum, obſcurum nihil, ac tanta vis animi, ut infallibili iudicio futuros eventus tanquam praeſentes cernat atque ſignificet.

v. P. *Ern.* IABLONSKI *diſſ. de creatione ex nihilo.* et *I. L.* MOSHEIM *diſſ. de creat. ex nihilo quae R.* CVDWORTH *ſyſt. intell.* adiuncta legitur.

Obſ. 2. Sed origines rerum omnium *dupliciter* exiſtunt: *vel* ita, ut omnino res novae producantur, poſtquam aut nihil omnino exiſteret, aut nihil tale, quale iam natum cernitur (*creatio prima* vel *immediata*): *vel* ita, ut a praeiacentibus creaturis aliae novae, ſimiles tamen prioribus, oriantur. (*creatio ſecunda*, vel *mediata.*) Illam κατ᾽ ἐξοχην creationem dicunt ſcholaſtici, non repugnantibus ſacris literis.

ris. *Genes.* 1, 1. 27. 2, 2. 3. 4. *Es.* 45, 18. *Ps.* 148, 5. neque tamen hanc scriptores sacri plane ignorant. *Eccl.* 12, 1. *Es.* 65, 17. 48, 7. unde ad *metaphoricum* usum transferunt *Eph.* 3, 9. *Ps.* 51, 12. *Ps.* 104, 30. Nec graecorum latinorumque abludit consuetudo. *Lucretius*, *terra*, inquit, *creavit genus humanum*, h. e. produxit: sed non minus solemnis occurrit formula: *creare regem*, i. e. efficere, ut quis rex existat.

Obs. 3. Mundum hebraei περιφραςικως dicere consuevere *coelum* (interdum *coelum cum omni apparatu* s. צבא i. e. κοσμω s. mundo, nam צבי apud Hebraeos est *decus*, ευταξια, κοσμος. cf. *Genes.* 2, 1. *Deut.* 4, 19. unde אלהי צבאות, Deus παντοκρατωρ. *Deut.* 4, 19.) *et terram.* *Genes.* 1, 1. 2, 1. *Ps.* 33, 5. 115, 15. *Act.* 14, 17. 17, 23. ubi additur: *mare.* Vide et *Ps.* 135, 6. Similiter Graeci κοσμον vocant, Pythagora forsan autore, qui ab admirabili ornatu et ευταξια, quam graeci κοσμον dicunt, rerum universitatem κοσμου nomine appellavit. *Aristoteles de mundo* L. 1. κοσμος εςι συςημα εξ ȣρανου και γης και των εν τουτοις περιεχομενων φυσεων Sic et Latinis, ut *Plinius* scribit, *mundus*, *id est*, *orbis hoc nomine dicitur a perfecta absolutaque elegantia.* Is significatus reperitur *Iob.* 17, 4. Speciatim est orbis terrarum (תבל) *Marc.* 16, 15. ac provincia Iudaica *Rom.* 4, 13. *Matth.* 4, 12. Sed synecdochice primum genus humanum *Ioh.* 3, 16. deinde maior hominum pars, vitiis depravata ac dedita *Rom.* 11, 12. 15. *Eph.* 2, 12. 1 *Cor.* 1, 20. 21. eodem nomine κοσμου appellatur. Interdum per distributionem αορατα et ορατα mundi nomine veniunt. *Col.* 1, 16.

C. G. LANGE *exegetische Versuche* 5. *St.* p. 154 *sq.*

Obs.

Obſ. 4. Creationem mundi primam hebraei quoque deſcribunt voce יסד *condere orbem*, unde graecis: καταβολη κοσμου *Ioh.* 17, 24. *coll.* 5. *Eph.* 1, 4. ubi v. KOPPE *N. T. Pſ.* 102, 26. *Ioh.* 38, 4. *Eſ.* 48, 13.

§. 119.

A) *De creatione prima.*

a) *Autor creationis.*

Rerum omnium, quae exiſtunt, primas origines a Deo pendere, primum diligenti coeli et terrae contemplatione edocemur (vide ſupra §. 73. Obſ. 2.): deinde ſacrarum literarum fide tam clare conſtat, ut eae ab hac veritate omnis inſtitutionis auſpicia faciant *Geneſ.* 1, 1. ac non alium certiorem Dei veri characterem proponant. (§. 72. Obſ. 3.) *Ier.* 10, 12. Vnde omnis de aeternitate mundi cogitatio excluditur. *Pſ.* 102, 26. 90, 2.

Obſ. Varie diſputant philoſophi de *mundo aeterno*, quorum alii omnino ab aeterno extitiſſe mundum vel molem immenſam materiae defenderunt, alii concedi ſaltim ſibi poſtularunt, quod ab aeterno exiſtere potuerit. *Platonis* quidem ingenio cum materia aeterna placeret, quam conſtans philoſophorum graecorum traditio docuit. (vide MOSHEMII *diſſ. ad Cudvvorth ſyſt. intellect.* T. II. ed. L. B. 1774.): non eſt mirandum, ſi multis commentum ſuum perſuaſit, ac in his *Iuſtino* quoque *Martyri*, chriſtiano doctori, qui totus in id incubuit, ut Platonis ſapientiam plane conformem eſſe Evangelicae doctrinae oſtenderet. Is igitur *Apol.* 1, 39. non dubitavit adſerere: Deum ex aeterna materia informi mundum condidiſſe, in crimen a nonnullis vocatus, immunis tamen a vitio, ſi teneas, defendiſſe illum, conſentientibus multis, noſtratibus quoque, praeiacentem, ſed praeparatam

a Deo, materiam, e qua novus hic mundus formaretur. Meliora autem sensisse virum, non *Maranus* tantum *Praef. L. II. c.* 2. ostendit, sed perspicue intelligitur e *Cohort. ad gentes c.* 29. 30. *p.m.* 29. Altera quaestio: utrum Deus *potuerit* mundum ab aeterno condere, plane otiosa videtur, ac etsi haereseos careat crimine, turpiori tamen vitio, quod absurda sit, laborat. Quodsi enim creari dicimus ea, quae iam existere incipiunt, ab aeterno autem existant ea, quae nunquam initia habuere: nolim vim menti meae inferri, ut aeterna rerum initia statuat. Sed haec philosophi pro acumine, quo valent, discutiant.

v. *I. Fr.* GRVNER *practische Einl. in die h. Schrift* §. 165. *I. Ern.* SCHVBERT *diss. de impossibilitate mundi aeterni. Ien.* 1741.

§. 120.

b) *Ratio creationis.*

Rationem creationis, ut fit in rebus a sensibus et experientia remotis, vix possumus animo concipere: tenemus tamen, a voluntatis divinae efficientia res omnes initium cepisse *Ps.* 33, 6. *Ebr.* 11, 3. ac Deum filio socio immensum opus perfecisse, *Ioh.* 1, 2. 3. *Ebr.* 1, 2. 10.

Obs. 1. Addunt quidam *Eph.* 3, 9. sed perperam: nam et contextus docet, κτιζειν referri ad novam oeconomiam, quam Deus per Christum instituit coll. 2, 15. et voces δια Ιησου Χριστου abfuerunt ab antiquissimis textus graeci recensionibus, de quo v. GRIESBACHII *N. T. h. l.* et *Ej. Progr. de mundo a Deo patre condito per filium. Ien.* 1781.

Obs. 2. Non licet curatius definire partes filii in producendis rebus creatis; nam formula δι' αυτου vix modum, quo quid effectum sit a filio, v. c. tanquam ministro, s. instrumento, declarat, sed verum creatorem ac autorem, pro-

pria

pria efficientia vitam rebus et existentiam concedentem, demonstrat. v. *Rom.* 6, 4. 1 *Cor.* 1, 9. *Rom.* 11, 36.

§. 121.

c) *Consilium creationis.*

Si quis iam rogat, cur Deo placuerit mundum tantasque res creare, in promtu est responsio: voluit immensam vim suam facere conspicuam ac, ut est benignissimus, bonitatis suae fructum concedere creaturis, unde gloria divina elucet ac promovetur. vide §. 87. Obs. 1. et §. 99.

cf. *H. S.* REIMAR. *vornehmste Wahrh. der natürl. Relig. III. IV. u. V. Abhandl.*

§. 122.

d) *Historia creationis.*

α) *generalis.*

Quidquid de creatione universi statui potest, Mosis indiciis debetur, *Gen.* 1, 1. neque plura nos de rerum omnium originibus rescire refert. Itaque quonam tempore, quonam ordine, Deus universum mundum produxerit, ignorare malumus, quam audacius definire.

Obs. 1. Tempus voce בראשית declaratur, *cum aliquid esse inciperet.* Similiter *Cicero de Off.* 1, 4. *A principio omnia facta a Diis et constituta sunt.* Verum *quando* insigne opus ediderit Deus, Moses non praecise finit, sive quia parum ad religionem chronologicae mundi rationes conducunt, sive quia numeri nostri minime possunt ad rationes coelestes transferri. Ceterum non video, qua de causa multi multis seculorum myriadibus antiquiorem orbe nostro mundum comminiscantur. Nempe non potuit diu-

tius numen solitarium sibi sufficere, debuitque immensum temporis spatium ante orbem conditum alio mundo condito explere. O ieiunam disputationem, quae metuit, ne Deus solitarius otii taedio adficiatur, ac temporis initia ad aeternitatem retrahere, finitum ad infinitum provehere nititur! v. IERVSALEM *Betr. über die Rel. P. IIII. p.* 683.

Obs. 2. *Ordinem* rerum creatarum, ut est audax hominum ingenium, varie pro scholae quisque suae placitis constituunt. *Platonis* si audiamus, si Aristotelis asseclas, immensum chaos, rudis indigestaque moles, in quam omnium rerum elementa cogerentur, primum opus creatoris celebrant, atque vario temporum decursu, secretis aliis particulis, aliis recens compositis, orbium coelestium terrestriumque origines enarrant. LEIBNITIVS atomos ac entia simplicia, compositorum principia ac materiam, laudavit: bonum factum! Subtilem philosophum Mosen, quo nemo scriptor a sublimi sapientia fuit alienior, praeivisse, summi magistri parum felices sectatores contendunt. Etenim *Gen.* 1, 1. doceri, Deum entia simplicia seu coeli ac terrae stamina ante omnia creasse. Vide iam, quam acutus philosophia scripturae sit interpres! Verum ubi, quaeso, vel umbram entium simplicium cernis in narratione Mosaica? et unde acceptum didicerunt, materiam primam informem ac indigestam eodem nomine insigniri, quo iam formata, digesta, ornata dicitur? Nam illud profecto nemo audebit dicere, materiam struendae domui congestam domum vocari prius, quam instructa sit ac disposita et in formam aedificii redacta. cf. omnino MOSCHE *Bibelfreund P. V. p.* 13 *sq.* Quod si igitur nolimus argutari in interpretatione narrationis Mosaicae, patet, doceri, omne, quod existit, a Deo primitus fuisse productum.

Obs.

Obſ. 3. Multo autem minus probabilis videtur eorum ratio, qui Coſmogoniam ad Moſaicam narrationem, invito autore, definiunt. Vir quidem ſapientiſſimus haud omnino per immenſos coelorum orbes lectorum ſinit vagari ingenium, ſed orbis tantum, cuius nos ſumus incolae ac ſpectatores, cuius hiſtoriam capit mens humana et in quo turpe ſit peregrinum eſſe et hoſpitem, origines clare tradit, omiſſis ſuperiorum regionum deſcriptionibus. Etenim a narratione generali, Cap. 1, 1. ſtatim ſit tranſitus ad orbis noſtri hiſtoriam, v. 2. Deinde quis ſibi perſuadere poſſit, lucem prius extitiſſe, quam ſol, lucis omnis fons et ſcaturigo, adfuerit? Quis innumerabiles ſiderum orbes uno die abſolutos, orbis terrarum incolas plurium ſpatio productos a ſapiente autore fuiſſe exiſtimet? Non refert ſcire aliena, quae ſi vel tradantur, non poſſent intelligi a nobis, nec ſi intelligantur a paucis, religionem ac pietatem multum adiuvabunt. Namque ſi quis propius nobisque familiare orbis noſtri theatrum negligentius intuetur, eum e remotioribus ſpectaculis divinam vim ac maieſtatem intellecturum eſſe, deſpero.

§. 123.

β) *Speciatim. Hiſtoria creationis terrae.*

א) *Narratio Moſaica.*

Moſes, unicus teſtis, orbis noſtri inconditi primum, tenebricoſi et aquis obtecti *Gen.* 1, 2. creationem *per ſex dierum periodos* deſcribit, *primae* tribuit lucis origines: *ſecundae* aëris et nubium initia: *tertiae* maris confluxum ac terrae firmae, obſitae ſtatim multiplici frugum copia, ortum: *quartae* ratum ſiderum ordinem: *quinta* piſcium aviumque et *ſexta* animalium terreſtrium

genera cum homine, omnium domino, edidiſſe dicitur.

Obſ. 1. Prima facies orbis terrarum ſatis triſtis deſcribitur: *Sed terra erat vacua ac indigeſta*, vaſtata penitus, ornatuque et incolis orba (vide *Ier.* 4, 23,): *et tenebrae mare* (תהום) *obtegebant:* terra aquis ac caligine circumfuſa. *Tum ſpiritus divinus demiſſus eſt ſuper aquam.* (vide ſupra §. 109. Obſ.) ſ. vis divina iam propius ad molem aquoſam acceſſit: iuſſitque, ut tenebrae luce mutarentur (*v.* 3. 2 *Cor.* 4, 6.), deminutis aquis terra continens emergeret atque vacuus orbis novis inſtauraretur incolis. v. et *Pſ.* 104, 5—9. Eadem traditionis veſtigia reliquae gentes oſtendunt. DIODORVS *Sicul. L. I. c.* 7. *p.* 10. (Ed. *Weſſeling*) tradit, *Aegyptios cenſuiſſe, in principio coelum et terram inter ſe mixta fuiſſe et in unam quaſi maſſam confuſa*, quo loco coelum pro aëre et regionibus planetariis, quae ad noſtrum orbem pertinent, poni, monuit *Sam.* SCHVCKFORD *Hiſt. du monde ſacrée et profane, praef.* (*Leid.* 1738. 8.). *Orpheus*, teſte SVIDA (*in voce* ορφευς) ειπε, ὁτι εξ αρχης ανεδειχθη ὁ αιθηρ ὑπο του θεου δημιεργηθεις και εντευθεν, κακειθεν του αιθερος ην χαος, κ. νυξ ζοφερα παντα κατειχε και εκαλυπτε τα ὑπο τον αιθερα. *Phoenicum* traditionem ex *Sanchuniathone* conſervavit EVSEBIVS *Praepar. Ev. L. I. c.* 10. *Mundi huius principium fuiſſe* αερα ζοφωδη και πνευματωδη *et chaos turbidum altaque caligine circumfuſum.*

Obſ. 2. Ad hanc primam orbis faciem referuntur ſequentia narrationis Moſaicae capita. Nempe primum poſt tenebras nebularum atras nova luce colluſtrari coepit tellus, ſolis radiis iam per tenuiorem aethera transmicantibus. Poſt oceani facies mutata, deminutis paulatim aquis, quarum

aliae

aliae in ſuperiores regiones evectae nubes formabant, aliae a prominente terra ſirma refugientes litoribus continebantur. Denique, cum vacuam primum dixiſſet et incultam terram, eadem iam novis incolis inſtaurata herbis, piſcibus, avibus, quadrupedibus, hominibus, ornatum ac vitam accepit. Haerent tamen interpretes in quarto hexaëmeri die, quo ſi creata dicamus ſidera, ſolem, lunam, ſtellas, unde demum priorum dierum viciſſitudo lucisque ortus intelligatur? ſi contra novo opere Deum ratas ſiderum leges fixiſſe, motumque ſingulorum conſtituiſſe, a quo tum diei noctisque viciſſitudines, menſiumque et annorum rationes pendent, ſtatuamus et verba narrationis Moſaicae *c.* 1, 14. ſq. exponamus: *conſtituit Deus, ut luminaria coeleſtia inſerviant ad diſcernendam noctem diemque ratosque temporum ordines definiendos*; quaerat forſan aliquis, quomodo diei noctisve mentionem facere queat autor, antequam lege divina diurnus orbis motus ſolisque et lunae ortu ac occaſu noctis ac diei viciſſitudo regeretur? Etenim effectum cauſa ſua priorem nemo facile ſtatuat. Quid nos ſentiamus, v. infra §. 127. Obſ. 3. et §. 125. Obſ. 1. Ceterum vid. I. G. ROSENMVLLER *antiquiſſima telluris hiſtoria*. Vlm. 1776. MOSCHE *Bibelfreund* l. c. IERVSALEM *l. c.* p. 557. ſq.

§. 124.

ב) *Expoſitio narrationis Moſaicae.*

Sed ut traditionis, tot interpretum curis depravatae ac obſcuratae, vim perſpiciamus, tria potiſſimum ſpectanda ſunt: *primum* narrationis *conſilium; deinde modus;* unde *denique*, quaenam *ratio creationis* fuerit, efficietur.

§. 125.

1) *Consilium Mosis.*

Cum primarium Mosis in libro geneseos adornando *consilium* ad religionem spectet, h. e. ad commendanda religionis suae capita antiquis decretis ac traditionum fide: in promtu est intelligere, in eum praecipue finem creationis historiam narrari, ut Israelitae discerent, fidem de Deo, rerum omnium autore unico, antiquissimis carminum monumentis conservari, atque hoc Numen, abiectis polytheismi erroribus, revereri.

Obs. 1. Allusiones ad profanarum gentium systemata et errores haud obscurae occurrunt, sive in rerum universo argumento sive in singularum vocum delectu, quae consilium melius instituendi suos ac contra superstitionis pericula praemuniendi arguunt. Confinxit oriens duo principia, lucis et tenebrarum, illud *Oromasden*, hoc *Aribmanium* dictum. (v. HYDE *de rel. vet. Persarum c.* 9. *Plutarchus de Iside et Osiride p.* 369. *Zoroaster vocavit* τον μεν Ωρομαζην, τον δε Αριμανιον, *adseruitque*, τον μεν εοικεναι τω φωτι — τον δε σκοτει.) Coluere alii divinitatis imagines e coelo petitas, alii a terra, a rebus marinis alii, *Exod.* 20, 4. *Deut.* 4, 15. 16. 17. delatus ad astra honor divinus: aegyptiis crocodili ac boves sacri habentur et divino cultu ornantur. Hos tam foedos, tam caros populis errores, quomodo opportunius refutare Moses ac gentis suae ad eosdem proclivitatem reprimere potuit, nisi docens, lucem cum tenebris, aëra, tellurem, mare, sidera omnia, ac fluviatilia (תנינים crocodilos) et animalia ortum ab uno Numine trahere, ac longe alio fine proponi hominibus, quam cultus causa: etenim tantum abesse, ut nostrum honorem ac cultum promereantur, ut

potius

potius omnia illa noſtris uſibus, noſtris commodis inſerviant. Sed huic affine eſt aliud, legis ac diſciplinae Moſaicae declaratio et commendatio. Ad hoc praecipue conſilium diducta ac ſedula operis quarto die perfecti narratio videtur conformari. In inſtitutis, quibus definitum tempus praeſcribitur, cuiusmodi multa praecipiuntur a Moſe, v. c. *Exod.* 12. *Levit.* 15, 5. 7. multum refert, ad certam quandam normam temporis rationes exigere, ne vel per inſcitiam peccetur faſtorumque ordo turbetur, vel pro lubitu aut liberalius prorogare ſtata tempora, aut ab iis, cum placet, deripere aliquid liceat. Itaque non noviluniorum tantum annuorumque feſtorum decurſus ita deſcribi neceſſe fuit, ut errores caverentur, ſed dierum quoque ſingulorum terminos poni ac finiri, quaenam praeciſa ſint diei, quaenam noctis initia. Idque lege minime fallaci *Gen.* 1, 14. doceri, facili opera intelligitur.

Obſ. 2. Sed huius obſervationis ignoratio ac neglectus miras ac perverſas peperit interpretationes. Etenim cum tenue nimis ac ſimplex quibusdam videretur Moſis, quod diximus, conſilium, eo delapſi ſunt, ut in geneſeos initiis, praeter religionis omnis ſundamenta, abſtruſioris cognitionis initia quaererent primum, dein legerent quoque ac praeter ceteras corruptelas ad allegoricam interpretandi rationem confugerent. His igitur Moſes, perſpicaciſſimus pholoſophus, ſcientiae naturalis ſtator divinus, ſapientiae Carteſianae, Neutonianae, Wolfianae praeceptor antiquiſſimus, ac Coſmogoniae omnium praeſtantiſſimae definitor habetur, cuius e libris, tanquam e ditiſſimo promtuario expromi poſſit, quidquid notitiarum humanarum cuiuscunque generis deſideretur. Verum quis in iſta hominum ac ſcientiarum infantia notitias quaerat tam explicatas rerum terreſtrium et ſublimes, feratque in autore populari, quem gentis ſuae ingenio σαρκικω

plurimum concedere intelligimus, doctrinam abstrusiorem, quae a magnis demum ingeniis ac excultis sanae philosophiae studio requiri solet et capi, et integumenta mythologica, quibus veritas perspicua obscuratur ac in fabulas convertitur?

§. 126.

2) *Modus narrationis.*

Porro sic versatur in argumento gravissimo, ut solent poetae historici, qui thema orationis, generale, studiose evolvunt, multa propter vitam imaginum interspergunt et dictione utuntur, simplici quidem, verum impropria, ad captum lectorum adcommodata ac studiis seculi sui conformi.

Obs. Hinc frequens προσωποποιιας usus, phrases opticae (*Cap.* 1, 16.) et anthropomorphicae; numinis deliberatio, colloquium, approbatio operis; rerum creatarum per classes divisio; perpetuus ad numinis vim recursus ac orationis quaedam abundantia, qua in re historia creationis multum differt a narratione mere historica, quae lineas potius tenues quam imagines rerum distinctas describit. cf. omnino G. LESS. *vom Stil der Urwelt in vermischten Schriften* 1 *St. Goett.* 1782.

§. 127.

3) *Modus creationis.*

Compositam ad has leges narrationem non iam ausim certo eum in modum interpretari, ut decernam, primam orbis terrarum creationem describi, intra sex dierum spatium exornatum fuisse orbem, atque eo praecise ordine, qui describitur, unum post aliud existere coepisse,

pisse, quamvis haec omnia maiori veri specie statuantur quam negentur. Varias itaque hypotheses in his capitibus persequi liceat.

Obs. 1. *Primo loco* quaeritur, utrum Moses *creationem* omnino primam, an *instaurationem* tantum orbis nostri, creatis novis incolis, enarret? Atque nostra aetas, quae rerum naturalium indagatores, perspicacia ac eruditione claros, plurimos vidit, communem fere profitetur sententiam, describi ἀναγέννησιν ac metamorphosin orbis nostri insignem, qui cum post primam creationem, nescio, quo tempore, quove modo factam, diluvio quodam vastatus esset amisissetque priorem formam veteresque incolas, aquis immersus, obscurus nebulis, in novam formam restauraretur ac novis colonis, qui adhuc perdurant, reviviseeret. Ac primum huic sententiae aliqua probabilitas accedere videtur ex *Ps.* 104, 6—9. qui primam orbis nostri faciem depingit, ac 2 *Pet.* 3, 6. qui priorem mundum (ὁ τοτε κοσμος) aquis destructum testatur (coll. tamen *Cap.* 2, 5.) Praeterea res, uti quidem putant, perspicue patere videtur orbis ipsius intuitu. Nam qui telluris in viscera penetrant, saepe reperiunt monstrorum marinorum fragmenta, montium, qui longissime iam a mari abessent, mole sepulta; ferarum particulas in iis regionibus, quae nunquam eiusmodi belluas nec genuere, nec alere etiam per climatis rationem potuere, altius effossas: montium radices conchis constratas, inque lapides mutata animalia, quorum genus monstrosum nullibi adhuc locorum repertum fuit. Quae omnia profecto aliunde esse, nisi a diluvio, quod longe diffusius funestiusque Noachio saeviit, atque ab antiqui orbis ruderibus, nullo modo posse existimant. Quodsi denique ab initio statim vastus orbis fuisset ac indigestus; quid, quaeso, causae subest, quare Deus, qui uno temporis momento ornatum instructumque

con-

condere potuit, confusam primum molem produceret, post novo quasi labore eandem disponeret atque ad consilium suum exornaret? cf. *I. H. G. v.* IVSTI *Geschichte des Erdbodens aus seinen äuserlichen und innerlichen Beschaffenheiten hergeleitet, Berlin* 1771. 8. *G. C.* SILBERSCHLAG *Neue Theorie der Erde oder ausführliche Untersuchung der ursprünglichen Bildung der Erde, Berlin* 1764. *T.* BERGMANN *Physicalische Beschreibung der Erdkugel Gryphisvv.* 1769. *de* BVFFON *sur les coquilles et les autres productions de la mer, qu'on trouve dans l'interieur de la terre, in T. I. Hist. naturelle gener. p.* 388. *I. G.* ROSENMÜLLER *historia telluris antiquissima. Ulm* 1776. 8. Fatear haec omnia non sine specie proponi, verum non omnino adeo aperta videntur, ut equidem in his argumentis, exclusa omni dubitatione, acquiescere possim. Possit enim aliquis, ut constet Mosis autoritas, quem *Cap.* 2, 1. et *Exod.* 20, 11. coeli terraeque in praesentem formam conditae origines et perfectionem coniungere legimus, non invita historia colligere, cum videamus inundationibus ac terrae motibus iam sepultas provincias, iam maria novis insulis constrata, iam e fluctibus montes emersos, atque mirum in modum universam orbis huius faciem temporis successu immutatam, fieri omnino potuisse, ut regiones, quae iam in medullis concharum stratas series, monstra marina in lapidem conversa vel animalium peregrini climatis reliquias (dummodo haud confictas) includunt, maris olim fluctibus demersa fuerint. *Car.* LINNAEVS quidem, peritissimus arbiter, bene iudicat, non esse primam telluris formam e nostris temporibus nostroque conspectu aestimandam, sed a tenuibus initiis terram firmam nova identidem incrementa cepisse, contractis littoribus, ac oceano deminuto. cf. *Or. de telluris habitabilis incremento*, insert. *Amoenitat. Acad. Vol.* 2. *p.* 402. *Ed.* 2.

Holm.

Holm. 1762.) Neque adhuc idoneis obſervationibus et experientia duce ſpatium quoddam certum temporis definiri potuit, intra quod ſaxa generantur, condenſatur atque indureſcit mollis terra, atque cruſta lapidea ligna, conchae, oſſa, et ſimile genus obducuntur. Reliquorum ſyſtemata, multa ac varia, rerum naturalium periti explorent. Licuit *Guil.* WHISTONO (*A nevv theory of the earth Cambr.* 1708. *german. Frf.* 713.) terrae primam formam cometam dicere: licuit *G. W.* LEIBNITIO (*Protogaea ſ. de prima facie telluris diſſ. opp. T. II. P. II. p.* 81.) defendere, ſolis extincti reliquias in hoc orbe antiqui ſtatus memoriam conſervare: licuit BVFFONO (*l. c. T. I.*) ſuſpicari, ſolis fragmentum, cometae cuiusdam impulſu avulſum, telluri cum reliquis planetis originem dediſſe: licuit nuper *I. E. B.* WIDEBVRGIO (*Neue Muthmaſſungen über die Sonnenflecken, Cometen und die erſte Geſchichte der Erde. Goth.* 776) novam ſententiam profiteri et exornare; quandam ſolis maculam loco cedere coactam, poſt primum erraticum curſum, qualem in cometis videmus, fixo quodam loco conditam haeſiſſe, expolitam a numine ac novis colonis paratam: liceat aliis alias tentare telluris theorias, (de quibus v. *I. Eſaias* SILBERSCHLAG *Geogonie Berol* 1780.) dummodo in hoc conſentiant, orbem hanc, quam admiramur, formam, has creaturas, hos incolas vi divina ante quinquaginta ſeptem, et quod excurrit, ſecula accepiſſe.

Obſ. 2. *Altero* loco de periodo *ſex dierum* diſputatur, quorum ſpatium *G. Whiſtonus* l. c. auſus eſt, per ſex integros annos, *Carteſius* per ſex annorum millia pro noſtra temporis ratione protrahere, ut hac mora miraculi vis minueretur ac tantum concederetur in novo orbe viribus naturalibus, quantum per ſe efficere queant. Noſtratium quidam inventionem hexäemeri ingenio Moſaico aliusve poetae

tribuunt

tribuunt ac studio, narrationi decus ac vitam, sabbatique legibus autoritatem ac commendationem conciliandi. Quam sententiam, olim quoque patribus quibusdam probatam (vid. *I.* PHILOPON. *in hexaemeron. L. I. c.* 3.), nemo erit, qui magis ornare veritatis colore valeat, quam Anonymus ille acutissimus in l. *Repertorium für bibl. und morgenl. Litteratur. P. IV. p.* 143. 160. sq. (*Lips.* 1779.) Eam enim commendat universae narrationis oeconomia: fictionum popularium frequentia: mira difficultas, cum vel singulorum dierum rationes reddendae essent vel componenda haec mora cum maiestate divina, de qua parum digne sentiret, qui negare vellet, eam potuisse uno momento opus absolutissimum edere ac in formam integram nutu suo instaurare: consilium denique grave confingendi hexaëmeri, propter sabbaticae disciplinae honorem ac autoritatem. cf. quoque I. G. TOELLNER *Theol. Untersuch. T. I. P.* 2. *p.* 325. Sed ego nec ausim Deo legem praescribere eam, ut, cum posset per virtutem suam brevissimo tempore exornare orbem ac omni creaturarum genere conserere, id dignum maiestate sua statuat, ac perficiat: nec laudare virum divinum, qui confictis per fraudem ac temeritatem historiis legum sanctissimarum autoritatem superstruit. In reliquis quidem formulis, quae Deum loquentem, deliberantem, probantem opera sua, quiescentem post exantlatos labores inducunt, nemini obscurum est, eas non sine iniuria erga Deum proprie exponi, atque universam scenam sic construi, ut una gravissima veritas de uno omnium creatore appareat: verum quotusquisque est, quem hexaëmeri oeconomia, operis immensi per dies distributio, atque evolutio rerum successiva offendat? Multo autem magis offendet legum humanarum, nedum divinarum, conditor, qui fabulas comminiscitur, ut persuadeat auditoribus disciplinae suae antiquitatem. Porro

sabba-

ſabbatum, quod opus erat illuſtri demum exemplo divino commendari, primum lege Moſaica inſtitutum fuiſſe, equidem nondum mihi perſuadeo, quum eius celebrati mentio fiat ante legis Moſaicae promulgationem *Exod.* 16,23. Atque formulam ויברך *Gen.* 2, 3. nemo facile, qui integer et nullo occupatus opinionis praeiudicio legerit, aliter accipere poſſit: quam *tum conſecravit*, uti ERNESTIVS monuit *Vindic. arbitr. div in rel. conſtit.* §. 34. *in Opuſc. theol. p.* 334. Denique vix ſatis grave conſilium confingendae hiſtoriae ſupereſſe videtur. Sanxit quidem leges plurimas, graves, et moleſtas, ſed ita, ut, praeter muneris ſui autoritatem divinam veramque hiſtoriam, nihil proferret, quod aut ſtabiliret legis ſanctitatem aut animos ad obediendum procliviores faceret. Eccur autem ab hoc ſapientiſſimo inſtituto, nulla graviore cauſa commotus, deficeret ad exemplum fabuloſum, quod, dum confingitur, tantum abeſt, ut muniat ſanctitatem legis, ut nulla re magis vel legum, quae his adiumentis egent, vel autoris, qui ad fraudes confugit, dignitas ac honor minuatur.

Obſ. 3. Quodſi igitur nolimus turbare ac mutare hexaëmeri rationem, neque a poetae alicuius arbitrio ac licentia, ſed ab antiqua traditione ſucceſſivum creationis modum teneamus, ſupereſt, ut, quanta iam ſapientia Deus quantaque virtute egerit, quantum licet augurari, exponamus. Quamvis, quid Deo dignum ſit, equidem ex operibus colligere malim, quam ad rationem ingenii operisque humani definire. Sed in genere triſaria methodo Numen uti potuit in orbe reſtaurando. Etenim aut univerſum opus ſimul edendum erat ac inſtruendum, aut productis rerum elementis per vim creaturarum naturalem tardius perficiendum, aut ſic regendum, ut naturae vis cum auctario virtutis divinae inchoatum opus in hanc formam digereret. Prior quidem

metho-

methodus adſpectabilem facit virtutis divinae immenſitatem, locumque habere videtur in initiis rerum omnium, verum in ἀναγεννήσει ac reſtauratione, quam illi dicunt (Obſ. 1.) orbis noſtri, mutatio tam repentina tamque generalis omnium rerum evolutio plurimas difficultates habet, neque Deum exiſtimem, ſuppreſſis novo miraculo rerum iam exiſtentium viribus, ſola virtute egiſſe. Altera methodus quamquam uſitatior in rebus creatis dirigundis, tardius procedit deletque miraculi et praeſentis numinis veſtigia nec poterit cum narratione Moſaica componi, denique ad herbarum, ferarum, avium origines explicandas minime ſufficit. Mihi itaque maieſtati divinae ac modo, quem Deum in edendis miraculis ſemper eſſe ſecutum intelligimus, maxime conſentanea videtur eorum ſententia, qui cum vires naturales creaturarum Deo ſubiiciant, ſemperque numen iis, quantum fieri poſſit, uti fateantur, theorias telluris conditae ita conſtruunt, ut nec Deum ex machina ſemper producant, nec teſtem tantum et rectorem eventuum naturalium faciant, ſed, quidquid per vires aëris, aquae, terrae, congenitas effici potuiſſe intelligunt, in eo naturalem ordinem conſervari defendant atque declarent; ubi autem impares reperirentur vires effectui tam inſigni aut tam repentino producendo, opusque eſſet virtute divina, quae eas augeret atque adiuvaret, ad omnipotentis creatoris vim confugiant. Neque enim indignum videtur numine, miniſterio creaturarum uti, vel, cum unum poſt alterum eſſet perficiendum, alio tempore aliarum rerum vires excitare atque adaugere. Ad has autem leges non dubito, quin facile queat narratio creationis Moſaica componi, praeſertim ſi communem multorum errorem caveas, qui, quam hodie vident orbis terrarum faciem regionumque ſtatum et amplitudinem, eandem ab initio fuiſſe temere confingunt. Etenim, ſi Moſen audias,

dias, nebulis, aquis, atra nocte obvolutus orbis primum attenuatis nebulis illuxit noctisque et diei vicissitudines expertus est, oriente quidem et occidente sole, necdum tamen per nebulas constipatas conspicuo: solvuntur congenita ac propria aëris virtute aquae ac quadam ex parte in nubes coguntur: editur concussa atque proiecta vehementi terrae motu insula, maioris quidem, incerti tamen, ambitus, Asiae in regionibus sita: ab editioribus iam locis sponte refugiunt aquae ac litoribus continentur (vide *Ps.* 104, 5—9.): excoquitur igni subterraneo,. qui terrae motibus frequens erumpit, citiusque arescit tellus, frequentiores nebulas exhalans (*Genes.* 2, 5.). Mox herbae emicant e solo foecundo, progerminant arborum plantae, hortorum olim et sylvarum seminaria. Interim dispulsis nebulis coelum serenum radios solis splendentes ostendit: apparet prima nocte serena lunae facies: stellarum passim promicant radii: integris terrae matris viribus herbae, dum maris aërisque cives quinto die producuntur, felicius citiusque succrescunt, animalium hominumque, quorum unum utriusque sexus par creatum erat, alimenta. Angustis primum limitibus circumscripta tellus herbarum aviumque et animalium haud magnos greges aluit. Sed novis subinde aucta accessionibus latius protenditur (cf. Obs. 1. et LINNAEVM ibi laudatum), migrant e patria herbae, semina, aves, animalia, atque coelo soloque et nutrimentis mutatis a priore degenerant indole variisque inter se commixtionibus novas classes progenerant, unde innumerae rerum creatarum familiae hodie existunt.

Obs. 4. Quodsi denique sacrarum literarum fidem sequamur, quanquam nondum penitus explicata temporum ratione per codicum Hebraeorum a Samaritanis Graecisque dissensum impedita, orbem tamen terrarum in novum sta-

tum ante ſexaginta circiter ſecula veniſſe, evincitur. Atque hanc fidem ſine dubio ſtabiliunt recentiores artium origines, quae ſatis arguunt infantiam generis humani. Nec magnam humanae dignitati, nedum religioni divinae, reverentiam praeſtare putem Voltarium, qui Sinenſium Aegyptiorumque tabulas, nempe perſpicuas ac genuinas! ſecutus multis ſeculis antiquius cum orbe genus humanum, h. e. multis ſeculis barbarum, incultum, inhumanum defendit.

cf. IACKSON *chrronological antiquities. Lond.* 752. *german. Erlang.* 756. 4. *I.* VSSERII *annales V. et N. T. Lond.* 650. *fol. Iac.* PERIZONII *origines babylonicae et aegyptiacae. Lugd. B.* 711. 8. *S.* SCHVCKFORD *hiſt. du monde ſacrée et profane T. I.* 8 *Leyd.* 738. *R. L. de* BENNIGSEN *bibliſche Zeitrechnung des alten und neuen Teſt. L. I. C. I. Lipſ.* 778. 4.

§. 128.

e) *Creaturarum claſſes.*

Sed quam immenſa ſit creatoris virtus, ſapientia, maieſtas et imperii, per quod omnia diſponit, amplitudo, quo intelligatur, fas eſt multitudinem rerum creatarum, varietatem, ſtructuram, utilitatem ac oeconomiam animo intueri et expendere, *tum* viſibilium ſeu corporearum, in coelo ſiderum ordines, ſtellarum molem, ſolis et planetarum ſyſtemata ac orbitas: in hoc orbe aëris virtutes, mariumque ſpatia, plantarum multiplicem varietatem ac vires, avium diverſas claſſes, inſectorumque et ferarum genera, maxima, minima, hominis denique decus ac honorem: *tum* inviſibilium ſeu ſpirituum ordines, e quibus duas tantum, humanarum mentium et angelorum, claſſes animus

mus, ſenſibus rectus, capit. *Pſ.* 8, 4. *Iob.* 36—41. *Pſ.* 104.

Obſ. 1. Quum iam longe plura habeamus ſubſidia ad mundum Deumque cognoſcendum, tum propter machinarum artificia, tum propter ſtudia multorum, qui ampliſſimum rerum naturalium campum percurrunt: conſentaneum eſt, uti his rebus, et quae in hac ſcientia ſunt detecta, addiſcere et in perquirendis rerum naturalium adfectionibus et cauſis ulterius progredi. Cuius rei duplex ad religionem commodum ſperari poteſt: alterum ut ſuperſtitio caveatur, quae fere omnis ab ignorantia rerum naturalium originem ducit; alterum ut nova ſubinde materia celebrandi atque admirandi numen ſuppeditetur: magnitudinem eius ex immenſitate operis, et innumerabili multitudine rerum: vim e praeſtantia rerum, quam ars nulla hominis imitari nedum perficere valeat; benignitatem e rerum virtutibus, quibus quaeque inſtructa cernitur et ab alia diſtinguitur: ſapientiam ex rerum ordine, legibus certis adſtricto, e diſtributione, ſucceſſione, et mutationibus, e nexu denique ac conſenſu, quo omnia inter ſe cohaerent ſibique inſerviunt.

vide I. E. BODE *Anleitung zur Kenntniſs des geſtirnten Himmels, Berl.* 777. I. H. LAMBERT *Koſmologiſche Briefe. ibid. Bernhard* NIEVWETYT et alios autores ſupra §. 77. Obſ. 2. p. 238. laudatos. H. S. REIMARVS *von den Trieben der Thiere, Hamb.* 773.

§. 129.

B. *Creatio ſecunda ſ. mediata.*

Earum quoque rerum origines a Deo veniunt, quae inde ab orbe condito viribus natu-

ralibus procreatae in locum periturorum ſuccedunt. Namque patris autorem recte quoque prolis patrem dixeris, et procreandi, virtutem a Deo inſitam ab initio creaturis fuiſſe docemur. *Gen.* 1, 22. 28. cf. *Iob.* 10, 8. 33, 6. Itaque *noſtrum* quoque creatorem Deum merito celebramus. *Matth.* 6, 25. 1 *Pet.* 4, *ult.*

§. 130.

Mundus optimus.

Cum a Deo nihil, niſi optimum, hoc eſt, fini ſuo conſentaneum, produci queat, valde iniurii erga numen videntur, qui optimum eſſe mundum negare auſint. *Gen.* 1, 31.

cf *Fr. Chr* BAVMEISTER *hiſt. doctrinae recentius controverſae de mundo optimo. Goerlic.* 741.

EXCVRSVS PRIMVS.

DE ANGELIS.

§. 131.

Nexus.

Inter creaturas, quantum nos ſcimus, eminent ratione *angeli* et *homines*, (§. 128.) de quibus, diverſis tamen ex cauſis, ſigillatim exponemus. De hominibus quidem, ne ſimus peregrini plane ac hoſpites in hiſtoria domeſtica utque adſpiremus ad veram dignitatem hominis numinisque benigniſſimi cultum: de angelis autem eo potiſſimum conſilio, ut ſuperſtitio, quae ex hoc loco multiplex enata eſt et religionem foede commaculat, deleatur et exſtirpetur.

Obſ.

Obs. Non valde probem institutum eorum, qui hunc locum de Angelis tanquam primarium ac valde necessarium quoddam religionis caput commendant et tractant, ingenii magis licentia quam habita utilitatis ratione. Eccur enim rerum invisibilium cognitionem, quam nec valde obviam habet nec explicatam habere potest nec sibi admodum utilem intelligit mens humana, magis necessariam et graviorem dixerim notitiis rerum praesentium et corporearum, quarum et intuitus sensum et insignis utilitas animum adficit, quae, quanquam naturae dignitate inferiores, sua tamen natura ac utilitatis praestantia non minus ad creatoris cultum deducunt. Quare in catalogo rerum creatarum Mosaico frustra quaeruntur angeli, nec nisi per occasionem in sacris literis commemorantur. Neque tamen penitus omitti poterit huius loci tractatio. Nam primum scripturae sacrae angelorum mentionem faciunt eorumque cum hominibus societatem quandam laudant. Porro ita sentire decet ac docere de creaturis, ut ipsius creatoris maiestas conspicua fiat ac minime periclitetur. In hoc autem periculum saepe venit ab incautis multorum iudiciis de operibus ac potestate angelorum. Sunt denique notitiae et sententiae, quae ad religionem pertinent neque exclusis angelis satis intelligi vel explicari posse videntur. Sed quum omnis cognitio nostra hoc loco e scripturis sacris haurienda sit, omissis speculationibus, quibus plerique sese fatigarunt, brevissima tractatione huius loci defungemur.

§. 132.

Angelorum a) nomen et b) natura.

Laudant scriptores sacri *angelos* s. legatos et ministros divinos eosque sic definiunt, ut

 eos-

eosdem ſpiritus humano genere longe praeſtantiores eſſe intelligamus. *Ebr.* 1, 14. *Matth.* 22, 30. *Natura* itaque ſpiritus, *munere* miniſtros Dei dixeris.

Obſ. 1. Hebraeum מלאך graecumque ἄγγελος hominem ſignificat, quo quis utitur in mandatis ad alios deferendis et exequendis: *Num.* 20, 14. 16. *Ioſ.* 6, 17. *Malach.* 2, 7. 3, 1. (מלאך ברית *legatus promiſſus*) *Iac.* 2, 25. *Ebr.* 11, 32. Hinc ἄγγελοι της ἐκκλησιας *miniſtri eccleſiarum. Apocal.* 1, 2. 2, 2. v. et 1 *Cor.* 6, 3. coll. 12, 10. 11, 10. et 1 *Tim.* 3, 16. 5, 21. coll. 4, 14. ἄγγελος σατανα, *aliquis Satanae miniſter* 2 *Cor.* 12, 7. Hinc transfertur ad eas res, quibus Deus utitur tanquam voluntatis ſuae miniſtris. *Pſ.* 78, 49. 104, 4. *Miniſtro utitur vento et flammis.* coll. *Pſ.* 148, 8. cf. et *Eſ.* 37, 36. (ubi v. *verſionem noſtram*): *Act.* 12, 23. Denique legati coeleſtes, quibus ſummus omnium rerum imperator, (nefas enim regem ſine miniſtris exiſtere) mandata ſua de rebus humanis deferre creditur, vel ut regant eas *Matth.* 18, 10. vel ut voluntatem divinam hominibus ſignificent. *Gen.* 16. 7 — 12. *Luc.* 1, 13. 28.

Obſ. 2. *Spiritus* dicimus a) ex *Ebr.* 1, 14. *Nonne omnes* (quos S. S. angelos vocat) *ſpiritus ſunt*, *miniſtri divini*, *ablegati* a Deo *propter doctrinae ſalutiferae confeſſores*? (σωτηρια coll. *Cap.* 2, 3. eſt doctrina ſalutaris). b) ex affectionibus ſpiritus *Luc.* 15, 10. *Iac.* 2, 19. c) e dignitate, qua ſuper homines eminent. *Matth.* 22, 30. Nihil enim nobis mente humana praeſtantius, nihil nobilius videtur: quare ſi quae nobis creaturae praeſtantiores videntur, eas ad claſſem ſpirituum referre ſolemus.

Obs. 3. Opponitur autem vox spiritus ei, quod corporeum est, contrectabile et quibuscunque sensibus expositum. Intelligimus ergo, multa, quae de hominis anima dicuntur, etiam de angelis apte posse constitui.

Obs. 4. Quaeritur inter viros doctos, *num angeli corpore vestiti sint?* Nos tamen nolumus in eam disceptationem descendere. Namque sacrae literae nihil definiunt (frustra enim laudatur *Ps.* 104, 4. vel nomen Seraphim pro ignea natura angelorum defendenda profertur): nec antiquitatis fides explicata videtur: nec multa e definita quaestione declarari posse existimem. Ecclesiae patres communi fere consensu corporibus indui angelos docuere. *Iustinus Martyr* de nutrimentis quoque coelestibus (*dial. c. Tryphone c.* 57. *p. m.* 162.) *Athenagoras* (*Apol. p.* 100. *Dechair.*) cum multis doctoribus de concubitu angelorum fabulatus est. *Concil. Nicaen. II. A.* 787. celebratum haec habet: *de angelis — ipsa ecclesia catholica sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes et invisibiles, ut vos gentiles dicitis, verum tenui corpore praeditos, aëreo sive igneo.* Haud tamen defuere, qui contrariam tuerentur sententiam, Aristotelis sine dubio autoritate. Etenim hunc constat, intelligentias omni corpore abstraxisse. Ceterum vid *I. Chr* LOERSIVS *de Angelorum corporibus et natura* in Diss. *Traj. ad Rh.* 737. *Ant.* DRIESSEN *angelorum corpora a suspicione vel haereseos vel scandali exculpata Groen.* 740. *Iac.* ODE *de Angelis Trai.* 739. *I. Fr.* COTTA *diss.* 2. *historiam succinctam doctrinae de angelis exhibentes. Tub.* 765. *I.* PETAV *Dogm theol.* T. III. L. I. c. 2. et CVDWORTH *systema intell. cap.* 5. *sect.* 3. cum notis *Moshemii.*

§. 133.

c) Existentia angelorum.

Esse autem naturarum intelligentium genus quoddam singulare, homine nobilius, quod angelorum nomine distinguitur, ratio coniectura haud vana suspicatur: etenim minime statuendum videtur, Deum, cuius et vis et benignitas summa conspicitur, in rebus visibilibus et corporeis producendis substitisse, ac, cum tot ubique tamque multiplices corporum classes intueamur atque admiremur, unum tantum spirituum genus creasse, humile satis, ac materiae adfine: multo autem certius e sacris literis defenditur, quae sic loquuntur de intelligentiis nobilioribus, ut, quodsi iis fides habeatur, absurdum sit, angelos e rerum natura expellere. *Iob.* 4, 18. *Act.* 23, 8. *Ebr.* 1, 5—9. 14. 2, 5 *sq. Matth.* 18, 20. 22, 30. *Luc.* 2, 9—15.

Obs. 1. Angelorum existentiam e natura adstruere tentarunt H. ZANCHIVS *de opp. div. L. II. c.* 2. *n.* 8. et *I. Gustav.* REINBECK *Betr. über die Augsp. Conf. Betr. XIV.* §. 55. T. I. p. 298. Nec philosophi gentiles ignorarunt inferiores Deo substantias, genios s. δαιμονας: Aegyptii, (ap. *Diod. Sicul. L. I. c.* 12.) Chaldaei (v. *Euseb. praepar. Ev. L. IV. c.* 5.). Platonici, qui seriore aevo, mutuato a Christianis nomine, δαιμονας angelos dixere. cf. *Mosh. ad Cudvvorth Syst. intell. l. c.* COTTA l. c.

Obs. 2. Si neges angelorum existentiam, omnis argumento Paulinae orationis *Ebr.* 1. nervus interciditur. Quid enim? Anne fas est dignumque autore gravi ac sapiente, conferre naturam praestantissimam, Iesum, cum intelligentiis temere confictis? Ecquis ferat argumentantem Apostolum: Iesus longe praestantissimus est, namque figmenta illa inge-

nii

nii Iudaici, angeli, eundem colunt, ac natura et munere longe inferiores reperiuntur? quis servatoris nostri ferat promissionem, futurum esse, ut nos ισαγγελοι fiamus? Nempe angelis, quos nemo puto sapiens existere credat, sed aegri cerebri intemperies pepererit, olim similem esse, id magnum, beatum, optabile existimabitur.

Obs. 3. Luca teste, *Act.* 23, 8. Sadducaeorum secta επιχειριζουσα negavit existere angelos s. spiritus puros a materia praeter Deum. Quam temeritatem mirantur quidam, cum angelorum frequens sit in V. T. libris divinis mentio: verum mirari desinent, si audiant, e christianis quoque fuisse, qui phantasmatum loco angelos haberent. v. c. *I. Chr.* EDELMANN *in Gl. Bek.* p. 273.

§. 134.

d) Creatio et e) status primitivus angelorum.

De *origine* eorum silent quidem s. literae. Nobis sufficere possit, tenere, eos simul a Deo esse creatos, atque insignibus animi dotibus ac virtute (δοξη και ισχυι 2 *Pet.* 2, 11.) instructos. Longius progressum ingenium doctorum, qui de *modo* et *tempore creationis*, de *numero*, de *ratione virium angelicarum concreta disputant*, non iuvat persequi.

Obs. 1. Mosis consilium, de quo supra §. 125. Obs. 1. p. 408. exposuimus, facile excusabit virum divinum, si angelorum creationem non attingit. Ceterum quia coelum angelos amplectitur, obscurum *Gen.* 1, 1. indicium de angelis divina virtute productis subesse non omnino negaverim. cf. quoque *Ps.* 103, 20. *Matth.* 18, 10. De tempore creationis tres fere hypotheses autoritatem consecutae sunt. Prima angelos hoc orbe multo antiquiores facit, probata *Origeni* (Comm. in

Matth. p. m. 296.) *Chrysostomo*, *Hieronymo* (*ad Tit.* 1.) et *Damasceno* (de O. F. L. II. c. 3.) Altera primo hexaëmeri die eos cum reliquis naturis simplicibus productos existimat. Sic THEODORVS *Mopsuestenus* (*L. I. in Genes. ap. I. Philoponum L. I. c.* 8) eiusque assecla COSMAS *Indicopleustes*, *Topogr. Chr. L. II. p.* 154. *Montfauc.* εν τη α ἡμερα — ἡ αρχη της κτισεως εγενετο. — αφ' ἑσπερας αρξαμενος ὁ θεος κτιζειν τα περιεκτικα του παντος κοσμου — συνδημιουργησας και το σκοτος και το ὑδωρ — και τους αγγελους, ὑφ' ἑν ταυτα παντα παραγαγων. Sic repetit p. 167. Similiter *Augustinus*, *Lombardus dist.* 2. *L.* 2. p. m. 123. *ed Paris.* 545. et e nostris *Calovius* ac alii, praesidio sententiae suae quaesito e dicto Dei apud Iobum c. 38, 7. *Vbinam eras cum terram conderem — cum astra concentus agerent et omnes filii Dei hymnos ederent?* Sed quis unquam demonstret, filios Dei angelos dici? Tertia sumit, Deum, ab ignobilioribus ad nobiliores creaturas progressum, post hominem demum puriores spiritus produxisse. Sic *Gennadius*, repugnante tamen *Augustino de Civ, Dei L.* 2. *c.* 9. et e nostris I. F. SCHVBERT (*inst. th. dogm. P. I. c.* 4. §. 51). Plerique prudentiores non audent certum tempus creationis definire. Plura vide in I. SALDENI *otiis theol. L. III. exerc. IV.* p. 479.

Obs. 2. Quum maiestas divina non tantum multiplici corporum genere sed singularum quoque classium immensis copiis conspicua sit, multoque magis spirituum natura, ut quae sola capax est numinis vim intelligendi, inclarescat: haud vana suspicione statuimus, infinitum existere angelorum numerum, quibus Deus benignitatis suae fructum concedere voluerit. Atque scripturae sacrae, etsi nihil definiant, Deum tamen imperatorem ac iudicem copiosissimo satellitio

cinctum

cinctum depingunt. *Dan.* 7, 10. *Iudae* 14. *Matth.* 26, 53. [*Ps.* 68, 18.]

Obs. 3. *Virtutes* quidem *congenitae* angelorum non nisi per analogiam quandam ac similitudinem cum anima humana subobscure cognoscuntur. Nobis inest facultas intelligendi; angelis, utpote puris a sensuum fraudibus ac perturbationibus, magis eximia, quae ampliora capit ac distinctas magis notitias acquirit: nobis insita vis rebus efficiendis idonea; validior in angelis, quibus maiora sane demandata sunt: nobis denique rectitudo animi (*imaginem divinam* dicimus) concreata (v. Sect. sequ.); alienior quoque a contagione in iis, qui praestantioribus viribus insigniti divino beneficio fuere. Sed harum virium mensuras velle definire, temerarium omnino videtur. Homines scimus vel per virtutis suae constantiam exploratam accedere ad beatiorem statum, ad vitia prolapsos beatitate excidere; inde simile angelis accidisse suspicamur, primum *statu gratiae* concesso, in quo obsequii religione dignos se praemiis augustioribus reddere debebant, vel amissa post vel confirmata felicitate, quem *gloriae statum* vocarunt. Sed tota illa comparatio, si, quod res est, fateri volumus, non nimis firmo nititur fundamento, ac si ultra verissimum illud, esse nobilius hominum genere, 2 *Pet.* 2, 11. extenditur, plane precaria est.

§. 135.

f) Divisio angelorum in bonos et malos.

Quos Deus liberos a vitio creaverat, eos omnes non temere asserimus potuisse virium suarum rectitudinem corrumpere; id enim nisi sublata libertate et ipsa obsequii natura, quod, si necessario praestetur, nullum est, negari non poterit: quosdam autem omnino, nescio quo crimine, per-

perdidisse naturae suae bonitatem congenitam, planum sit e dictis Scr. S. 2 *Pet.* 2, 4. *Iudae* 6. Vnde alios *bonos*, alios *malos angelos* scholastici, haud tamen faventibus sacris literis, dixere.

Obs. 1. Nunquam, quod ego quidem sciam, perditi miserique spiritus post illam a statu suo primaevo defectionem angelorum nomine veniunt. Nam מלאך משחית vel מלאכים רעים *Ps.* 78, 49. 1 *Cor.* 10, 10. ministri Deo parentes ac probi vel instrumenta sunt, quibus numen utitur in exequendis poenis malisque infligendis, sicut graeci Nemesin laudant. cf. *Progr. de angelo perditore Helmst.* 765. Egregia in hanc rem THEODORI, *Mopsuesteni* puto, in *Catena in Psalmos* extat observatio in *Catena in Octateuchum ed. a Nicephoro Lips.* 1772. *T. I. p.* 246. πονηρους (αγγελους) ειπεν, ὡς εκεινοις πονηρους τοις δι' αυτων αναιρȣμενοις. το γαρ πονηρον ȣδαμου απο της φυσεως λεγει, ενιοτε ȣδε απο γνωμης, αλλ' απο του πραγματος, ὡς ὁταν λεγη, εν ἡμερα πονηρα, πονηραν λεγων ἡμεραν των θλιβȣμενων. 2 *Pet.* 2, 4. αγγελοι quidem, sed habito ad superiorem statum respectu, dicuntur: nec *Matth.* 25, 41. 2 *Cor.* 12, 7. et *Apoc.* 12, 9. contrariam sententiam tuetur: αγγελοι enim sunt emissarii, ministri Satanae, quos non per naturam, sed per societatem cum Satana αγγελους vocant. Quotiescunque contra angeli simpliciter laudantur, beatos ac rectos spiritus innui, planum est. vide *Matth.* 4, 11. Satius igitur videtur, servato S. S. loquendi usu *primum de angelis*, post *de diabolo* s. spiritu malo disserere.

Obs. 2. De sensu dictorum S. S. superius laudatorum infra dicendi locus erit.

§. 136.

§. 136.

A) *De angelis speciatim.*

א) *eorum perfectio.*

Ea angelorum classis, quae integritatem conservavit Deoque a prima inde origine obsequium praestitit, *Matth.* 6, 10. etsi a labe non omnino pura reperiatur *Iob.* 4, 18. tamen post tanta scientiae virtutisque et beatitudinis incrementa omni ad vitia deflectendi periculo prorsus exemta videtur atque, sive id per naturam, sive singulari Dei beneficio obtingat, in bono confirmata.

Obs. 1. Angeli boni dicuntur ἅγιοι *venerabiles. Matth.* 25, 31. Similiter αγγελοι δυναμεως 2 *Thess.* 1, 7. [αγγελοι Φωτος *veritatis amantes*, 2 *Cor.* 11, 14. αγγελοι εκλεκτοι *electi*, unde decretum electionis angelorum quidam confinxere, sunt quidem ministri Ecclesiarum, praecipui et insignes, quibus praesentibus Timotheus ad munus publicum admotus est coll. c. 4, 14. 2 *Tim.* 2, 2.] Ob eminentiam vox αγγελου interdum apponitur ad indicandam *praestantiam* v. c. *sapientia angeli* 2 *Sam.* 14, 17. 20. *panis angelorum* i. e. coelestis, *Ps.* 78, 25. *facies angeli Act.* 6, 15. i. q. plena dignitate.

Obs. 2. Cavendum tamen, cum virtutes angelorum describuntur, a vitiosa liberalitate, quae scientiam eorum amplitudine ac puritate ad divinam proxime accedere, animi quoque nostri cogitata amplecti ac sero futuros casus praesagire confingit. Nam horum commenta tum res ipsa refellit, nisi quis limitibus circumscribi mentes puriores audacius neget, tum sacrarum literarum fides prosternit. 2 *Pet.* 1, 12. *Marc.* 13, 32. Sed nec morum ratio sic videtur comparata, ut ab omni vitio plane pura reperiatur. Recte CYRILLVS *Hieros. Catech.* 2. 6. (*p.* 76. *ed. Milles.*)

ουκ

ουκ οιδαμεν, ὁσα και αγγελοις συνεχωρησε. συγχωρει γαρ κακεινοις, επειδη ἑις μονος αναμαρτητος — Ιησους. Similiter OLYMPIODORVS *ad Iob. l. c.* ὁι αγγελοι μη αμεμπτοι· τρεπτης γαρ Φυσεως και αυτοι και ὁσον προς την του θεου ακριβειαν ουδε αυτοι ὁι γνησιοι δουλοι αυτου κ. λειτουργοι εν πασι το πιςον και βεβαιον εχουσι

Obſ. 3. Ceterum inexplebilis hominum ſapientia hoc quoque loco plura explicare ſatagit, quam nobis reſcire conceſſum eſt. Itaque abſint vanae quaeſtiones, qua ratione cogitata ſua mutuo ſibi communicent, (loquelam vocant vel γλωσσας αγγελων 1 *Cor.* 13, 1.)? quanam via rerum humanarum et ſenſibilium notitias capiant? quanam lingua (hebraea nempe) utantur? in quibus deploramus ingenia vilia ac tenuia, quae, quidquid in rebus humanis obvium eſt, id nulla alia ratione exiſtere poſſe temere negant.

Obſ. 4. Quaeſitum quoque de vi miracula edendi. Sed facilis videtur reſponſio. Quodſi miracula dixeris eventus maiores, quam qui per vim humanam queant effici: quis neget ſpiritus beatiores praevalere virtute homines? Neque ego negare auſim, poſſe vim humanam adiutorio ſpiritus cuiusdam ita augeri, ut iam maiora viribus patrare atque inſperata edere valeat. vide ſupra §. 9.

§. 137.

ב) *munia.*

Ex ipſo angelorum nomine licet colligere, Deum his uſum fuiſſe miniſtris, in mandatis, in hoc quoque orbe, exequendis et perferendis *Ebr.* 1, 14. *Matth.* 26, 53. tutandisque piis *Matth.* 18, 10. *Ebr.* 1, 14. ſed quando id adhuc fiat, quave ratione officiis ſuis ſatisfaciant, quomodo denique commercia cum hominibus alant, id nulla probabi-

li

li ratione declaratur. Vnum teneamus Deum aliter iisdem usum fuisse in V. T. aliter in ecclesia Christiana *Ebr.* 2, 5. et plerumque ad angelos omne id referri, quod venit a causis ignotis, sed benignis.

Obs. 1. Sunt, qui in solemni legis inauguratione angelorum ministerium laudant e *Gal.* 3, 19. *Ebr.* 2, 2. *Act.* 7, 53. ita quidem, ut per illos Deus Mosen, Moses populum alloqueretur. Atque in narratione quidem Mosaica nulla angelorum ministerii mentio fit, sed longo tempore ante Apostolos haec vulgaris inter Iudaeos opinio fuit, orta e versione graeca *Deut.* 33, 2. Κυριος κατεσπευσεν εξ ορους Φαραν, συν μυριασι καδης, εκ δεξιων αυτου αγγελοι μετ' αυτου, atque ad augendam rei sollemnitatem magnopere adcommodata. Numinis enim solitarii in monte praesentiam sine satellitio ac magnifico ministrorum apparatu, nefas est cogitare. *Ps.* 50, 1 sq. Itaque Paulum legimus statuere αιωνα priorem subiectum fuisse angelis *Ebr.* 2, 5. tanquam in lege ferenda ministris. v. WETSTEN. et ELSNER ad *Gal.* 3. Verum lex non potest dici lata esse per angelos, quoniam verbum διατασσειν auctori legum tribuitur, qui Deus est, non angeli. Itaque nihil relinquitur, quam ut verba δι' αγγελων praesentiam denotent angelorum, quibus tanquam ministris, comitibus testibusque huius negotii Deus sit usus, sicut 2 *Tim.* 2, 2. δια μαρτυρων est, coram testibus: monente LOESNERO *Obs. N. T. e Philone ad Act.* 7, 53. *p.* 194. Addamus pauca de loco *Matth.* 18, 10. *angeli eorum* (των μικρων) *in coelo semper vident faciem patris mei coelestis*, i. coram summo omnium imperatore apparent. Parvulos non quidem infantes vocat, sed novae religionis cultores, homines modestos ac tenues, qui Christo fidem dedere. v. v. 14. *Matth.* 11, 11. 10, 42.

Luc. 12, 32. et NOESSELT *Progr. ad h. l. Hal.* 770. In horum igitur consortium angeli venire dicuntur, ea fere ratione, qua Iesus *Ioh.* 1, 52. futurum esse affirmat suis, ut angelos iam ad se descendentes, iam in coelum reversos spectent, i. e. mandatis divinis se instrui ac commercia cum coelo habere, intelligant. Sed vide quantam iam reverentiam mereantur homines, ad quos mandata divina deferuntur!

Obs. 2. Ceterum ut credamus angelorum quotidianam in rebus humanis versari operam eosque vel tutores ac praesides provinciarum vel satellites singulorum hominum esse, nulla nos vel experientia movet, etsi fraudis et superstitionis exempla non desint, quae HAVBERVS *in bibliotheca magica* coëgit, vel S. literarum autoritas. Primum enim ab exemplis singularibus minus apte colligitur opinio de angelis monitoribus ac tutoribus, velut *Matth.* 28, 5. *Luc.* 1, 11. 26. 2, 9. *Matth.* 26, 53. *Act.* 27, 23. *Matth.* 1, 24. 2, 13. Deinde cautione opus est, ne vel propheticarum visionum ac parabolarum imagines ad hoc argumentum trahamus, nam hae licentius componuntur nec res describunt vere existentes, sed multa e fabula ingenioque et hieroglyphis repetunt, velut *Es.* 6, 1 sq. *Dan.* 7. 8. *Zach.* 3, 1. *Luc.* 16, 22. vel semper ad coelestes spiritus recurramus, cum Deus ἀγγέλῳ seu ministro quodam usus decreta sua perfecisse dicitur. Communi enim more simplicitas hebraea, si quem eventum divinae providentiae acceptum ferret, veras autem rerum gestarum causas ignoraret, id invisibili cuidam autori, spiritui, angelo (vide supra §. 81. Obs. 1.) tribuit. Ex hoc genere est *Es.* 36, 38. *Act.* 12, 7. *Gen.* 24, 7. Ad illud autem sine dubio referenda visio *Dan.* 10, 13. quo in loco, (ut bene observat HEILMANNVS *th. dogm.* §. 150. Obs.) ne dicitur quidem, humanam illam spe-

speciem, quae comm. 5. 6. describitur, ex angelorum genere fuisse. Ceterum cum ea species Danieli narrat, se, res Iudaeorum procurantem, Persarum regem habuisse adversarium, iam vero Michaelis adiutorio rem eo cessisse, ut haud pelleretur ab aula regia sed diutius in ea versari sibi liceret: nemo, opinor, qui gustum habet dictionis propheticae, dubitabit haec ita interpretari, ut quae in hoc terrae theatro gerenda erant, et multas inter difficultates tandem ex voto populi Iudaici ad exitum perducenda, ea quasi in coelesti decretorum divinorum orbe ante depugnari et confici significaretur, quam in rem quasi genii quidam populorum concertantes inter se exhibentur. Haec ille. Denique Psalmorum dictis de angelis, cingentibus pios *Ps.* 34, 8. et manu gestantibus, *Ps.* 91, 11. poeticam omnino et metaphoricam prae se ferunt rationem atque clare significant, varios ubique ministros divinos adstare piis ac tutelae eorum inservire. Similiter 1 *Thess.* 1, 7. *Matth.* 25, 31. angeli ob maiestatem iudicis per parabolam laudantur.

Obs. 3. Solent patres multa tum de *angelis provinciarum praesidibus* tum de *angelo singulorum hominum tutelari* disserere. Illud commentum graeca praecipue versione *Deut.* 32, 8. 9. *Gen.* 11, 1. 2. 5. 9. et visione, quam diximus, Danielis nititur: huic e *Matth.* 18, 10. (Obs. 1.) et *Act.* 12, 15. fundamenta petunt. CLEMENS *Alex. L. VII. Strom.* (dummodo genuina sint): *Gentes angelis subiectae sunt, sicut mihi attestatur Moses sanctus Dei servus: dividebat altissimus gentes, separabat filios Adam, constituit terminos gentium, iuxta numerum Angelorum Dei.* ORIGENES *contra Celsum Lib. IV. p.* 166. et praesertim *L. V.* (*p.* 249. ed *Spencer.*) Celso *divisam fuisse terram variis praesidibus, a quibus leges acciperent, concedit*, sed

 μυστι-

μυςικωτερον vocat λογον. Idem L. VIII. p. 388. *maribus, frugibus* etc. *bonos angelos praesidere fatetur.* Plura vide ap. ODE l. c. *Sect.* 8. *c.* 3. *p.* 771. sq. Tutelares hominum singulorum genios HERMAS L. II. *Pastor*, visionibus clarus, a Iudaeis, ut plurima alia, repetiisse videtur, a quo ad alios quoque transiit opinio. ORIGENES quoque uniuscuiusque hominis angelum custodem preces eius offerre numini dicit, *adv. Celsum L.* 8. BASILIVS: *Quemadmodum apes fumus, et columbas abigit maleolentia, ita et custodem vitae nostrae angelum — repellit peccatum.* HIERONYMVS *comm. in Matth.* 18. *Magna dignitas animarum est, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum deputatum.* AVGVSTINVS *in Soliloquio c.* 27. *Ambulant angeli nobiscum in omnibus viis nostris, intrant et exeunt nobiscum, attente considerantes, quam pie quamque honeste versemur — adiuvant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus.* Arreptam hanc sententiam pluribus scholastici ornarunt, nec e nostratibus pauci sunt, qui eandem profiteantur, *Baierus* (*Comp. th. h. l*) *Er. Schmidius* ad *Hebr.* 1. ult. GERHARD LL. theol T. III. et I. F. HIRT *Progr. de angel. tutel. Vit.* 779. qui veterum opiniones excussit. Sed nos quidem tam vilia ministeria non ausimus deferre angelis, coelestium orbium civibus, sine scripturae S. autoritate ac experientiae sensu certo atque indubio. Speramus autem fore, ut si quis homo, rerum peritus, pius atque ab opinionibus liber, exempla, quae passim laudantur, apparitionis vel tutelae singularis, sive admonendo contra animi pericula sive defendendo adversus corporis mala, ad examen rite velit ac prudenter revocare, in his aut conficta historia aut aegri animi sensus, aut naturalis vis, sed propter

neglectum

neglectum observationis haud perspecta, facile intelligatur. Non valde attinet, me quidem arbitro, rescire, quanam demum ratione providentia divina rebus nostris prospiciat, vel in perscrutandis caussis bonorum nostrorum diutius haerere. Multo autem satius erit, quodsi te consilio, piis animi motibus, vel quacunque demum ratione munitum adversus pericula atque ereptum discriminibus sentias, id divinae acceptum ferre providentiae.

§. 138.

ג) *Numerus et ordines agelorum.*

Haud exiguum angelorum *numerum* esse Christus *Matth.* 26, 53. et Paulus *Ebr.* 12, 22. innuit: nec temere vel ex analogia rerum creatarum, vel e S. S. testimoniis, quae ἀρχάγγελον et ἀγγέλους 1 *Thess.* 4, 16. commemorant, colligimus, plures dari spirituum beatorum classes naturae eiusdem, sed viribus ac dignitate diversas. *Zach.* 1, 11. Hierarchiae autem coelestis indicibus Iudaicis et Dionysianis nemo prudens confidat.

Obs. 1. Antiquissima vestigia opinionis de differentia angelorum *Zachariae* visiones ostendunt, *Cap.* 1, 11. Nam ille angelum *stantem* coram Deo, h. e. primarium distinguit a *circuitoribus*, quorum ille ministerio utitur, ut vel mandata deferant in orbem, vel res gestas renuntient. Vnde lucem accipit *Cap.* 3, 7. *dabo tibi circuitores* (מהלכים), angelos emissarios, *ex numero eorum, qui inter hos adstantes*, inter divinius concilium *sunt*: te tutabor. cf. *Matth.* 18, 10. Plura et clariora N. T. tradit. 1 *Thess.* 4, 16. est descriptio solemnis adventus Christi expressis imaginibus, e regis humani, regnum armata manu occupantis, triumphante ingressu repetitis. Quod regi triumphanti est exercitus, quo stipatus incedere solet triumphator, id in Dei et Christi apparitionibus angelorum s. exercitus coelestis ministerio perpetuo

 tribui-

tribuitur. v. KOPPE *ad h.* l. (v. §. 137. Obf. 2.) Itaque ut exercitus ducis (a rege ipfo diverfi) imperio obfequitur, fic angelorum copiae parent αρχαγγελῳ, non Chrifto, quae fuit E. F. NEVBAVERI fententia *diff. de Michaele archangelo non creato fed creatore.* Hal. 732 et *diff. qua Michaelem Aegyptiorum Meffiam effe ex ipfis Iudaeorum teftimoniis comprobatur. Gief.* 733.) fed principi eius miniftro, ficut αρχιστρατηγος dux exercitus, αρχιερευς praefes collegii facerdotum et i. p. Ἀρχαγγελος igitur is, qui *Dan.* 12, 1. השר הגדול dicitur. Praeftantiae nota fubeft *Iudae* 9. coll. 2*Pet.* 2, 11. Nempe gentem primariam, Iudaicam, angelus quidam primarius, Michael defendere credebatur. Neque tamen ad hunc locum pertinent *Cherubim,* qui haud dubie ex hieroglyphicarum fpecierum numero funt, e diverfis figuris compofitarum, ac vifionibus tantum *Dan.* 7. *Ezech.* 10, 1 fq. exhibitarum, ut funt Sphinges Aegyptiorum, ex hominis, quadrupedis et volucris forma confictarum, 1 *Reg.* 6, 23. 32. 35. Pf. 99, 1. יושב על כרוב Deus Ifraelitarum vocatur, cuius inter Cheruborum imagines, in arca foederis fedes quafi conftituta fuit. *Gen.* 3, 24. funt monftra terrifica. cf. omnino *Herder vom Geift der hebr. Poefie Erfter Theil. Deffau* 1782. qui latius de Cherubis expofuit. Aliam claffem *Seraphim* vocant ex *Ef.* 6, 2. 6. verum is totus locus fymbolicus eft, nec quid revera exiftat defcribit, fed imaginibus varie compofitis more humano maieftatem fummi omnium regis depingit atque ne angelorum quidem nomen prodit. vide *verf. noftram Ef. ad h. l.* Addunt alios ordines ex *Col.* 1, 16. 2. 10. 15. *Eph.* 1, 21. 3, 10. 1*Pet.* 3, 22. ubi θρονοι, αρχαι, κυριοτητες et εξουσιαι memorantur. Quae loca, etfi minus confentaneum ac valde frigidum fit exponere de magiftratibus Iudaicis, cum TELLERO (*Woerterb.* f. v. *Fürftenthümer,* GRV-

NERO

NERO *th. dogm.* §. 102. *et al*) angelorum tamen vix satis clara vestigia ostendunt. Namque in promtu est, intelligere morem loquendi Paulinum, diducta per partes oratione totum genus amplectendi. Atque dum summum I. C. imperium describit, quidquid in rerum natura insigne, magnum, potens noverat, id diversis nominibus sub Christi imperium comprehendit ac omnibus dominis eum imperare defendit. Si quidem de angelis esset cogitandum, non est dubium, quin malos potius quam bonos genios laudaret. cfr *Eph.* 2, 2. 6, 12.

Obs. 2. Blanditur sibi humana ratio, si coelestia perscrutari ac enarrare posse imaginatur: ita quoque angelorum classes disponere ac describere ausa est. Primus e Christianis *Hierarchiam coelestem* confinxit *Dionysius Areopagita*, (T. I. *Opp. Antv.* 1634. *fol.*) Pseudonymus, (namque illum, cuius *Act* 17, 34 fit mentio, nemo iam erit, qui fabularum autorem existimet.) Seculo IV. vel V. cf. I. DALLAEVS *de scriptis quae sub Dionysii Areop. et Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur: Genev.* 1666. 4. Plura vide ap. ODE *Sect.* 7, *c.* 1. 2. *p.* 704. *sq.*

§. 139.

ר) *De cultu angelorum.*

Nos quidem si angelorum naturam, sanctitatem, officia consideremus, non dubitamus, quin deceat pie venerari beatas mentes, atque auxilia earum ac intercessionem implorare licitum sit: non enim, quod minime superstitiosum iudicamus, si praestemus homini, nobis simili, id si beatiori ac sanctiori spiritui tribuamus, vitiosum erit ac impium: dummodo primum de commercio angelorum cum hominibus et facultate

 iuvan-

iuvandi conſtet, (de quo tamen fallax ſemper et ambigiuum erit iudicium): ſtolidum enim eſſet, demulcere precibus genium, qui nec eas intelligat, nec poſſit nobis largiri petita; deinde ea modeſtia ac moderatione utamur, ut ad Deum ſemper bona noſtra referamus, nec *ab* angelis ſed a Deo *per* angelos beneficia ſperemus, neque alia adiutoria, quae certius proſtant, negligamus. Ea enim demum ſuperſtitio eſt, quae ab iis ſperat, a quibus non poſſit, et maiora, quam debeat, et poſthabito omnium autore ac gubernatore, miniſtris adhaeret.

Obſ. 1. Satius igitur erit, ab invocatione miniſtrorum, de quorum praeſentia ac facultate nos iuvandi merito dubitatur, animum ad ipſum Dominum convertere, quocum ſine interprete ac interceſſore fidentius agendi veniam religio chriſtiana concedit.

Obſ. 2. θρησκειαν των αγγελων, *Col.* 2, 18. 19. ſunt quidem graviſſimi interpretes, *Peircius* et qui hunc ſequitur, MICHAELIS (*paraph. Erkl. ad h. l. p.* 200. *Ed.* 2. *Goett.* 769.) qui cultum angelorum religioſum exponerent atque Apoſtolum contra Eſſenos Gnoſticosque diſputare putarent, qui angelis tanquam deprecatoribus apud Deum honorem cultumque praeſtandum eſſe docuiſſent. Verum illa opinio videtur valde dubia ac fundamento deſtituta. Neque enim teſtimonia ſatis certa adlata ſunt, ex quibus poſſit intelligi, angelos ab Eſſenis religioſe cultos fuiſſe. IOSEPHI teſtimonium *de B. Iud. II.* 8. 7. ομνυσι συντηρησειν τα των αγγελων ονοματα primum obſcurum eſt: quid enim ſibi vult συντηρειν τα των αγγελων ονομ. an, angelos cultu divino proſequi? annon potius angelorum nomina non prodere? dein corruptum forſitan, ut iudicat

dicat *Havercamp. ad h. l.* qui pro αγγελων rescribi vult ἁγνειων, ut Essenì iureiurando obstrinxisse sd dicantur, se non prodituros esse appellationes modorum, quibus lustrari solerent. Itaque sententia, contra quam Apostolus disputare existimatur, de cultu angelis ab Essenis exhibito, valde incerta est. Magis itaque arridet ERNESTII (*bibl. theol. nov. T. III. p.* 420) interpretatio, θρησκειαν αγγ idem significare, quod v. 23. εθελοθρησκειαν. Atque θρησκεια non dicitur de cultu interno, sed de ea religionis parte, quae est in externis. *Iac.* 1, 26. Iam vero θελων εν ταπεινοφρ. κ. θρησκεια ex usu verbi θελειν exquisitiore (de quo v. *Markland ad Lysiam p.* 616. *ed. Lips.*) est *affectans humilitatem et pietatem*, unde εθελοθρησκεια *affectatum religionis studium*. Additur autem vox αγγελων ad pietatis magnitudinem atque excellentiam indicandam (v. supra §. 136. Obs. 1.). Sicut enim σοφια αγγελων, prudentia insignis, 2 *Sam.* 14, 20. ita θρ. αγγ. vita et sanctitas, quae habet similitudinem cum vita et sanctitate angelorum fitque adeo purissima et perfectissima: ταπεινοφρ. autem αγγελων continentia, qualis laudatur in angelis, abstinendo a corporis cura, coniugio, cibis et s. p. Atque his explicatis et ex usu loquendi probatis, non ausim ex hoc loco damnare vel angelorum cultum (cf. C. C. TITTMANN *de vestigiis gnosticorum in N. T. frustra quaesitis. Lips.* 773. p. 117. seqq.) vel romanae ecclesiae sectatores, quos quidam, invidia potius quam veritate ducti, angelos adorare, criminati sunt. Nam quod solent liberalius elogiis ornare beatas naturas ac veneratione prosequi sapientes ac sanctos animos et memoria frequenti colere, ac tutelae eorum semet commendare, in eo nihil sane, quod cultui divino repugnet, committunt.

Obſ. 3. Sed nec *interceſſores* angelos defendere auſim e loco obſcuro *Iob.* 33, 23. cuius ſenſum optime videtur *Chr. Fr.* SCHNVRRER perſpexiſſe *Animadverſ. in Iobi loca*, *Spec. II. Tub.* 1782 *Quodſi ſit pro illo homine* lethaliter adflicto *legatus quidam internuntius*, *unus e millenis*, homo quidem benignus, *ut illum*, miſere ad flictum, *quid officii ſui edoceat*, *hominisque* nunc reſipiſcentis *miſertus Deus iubeat legatum*, *ſalutem illi nunciare* vitaeque prorogationem, *eo quod ſibi iam ſatisfactum ſit: tunc vigorem recipiet.* Nempe Elihu admonet Iobum, non eſſe repudiandum monitorem, qui emendationem ſuadeat, eius enim conſiliis benignis excitatum peccatorem ſaepe reſtitutionis fieri capacem.

§. 140.

B. *de Daemonibus.*

a) nomen.

Alteram ſpirituum claſſem, quae ab integritate ad ſcelus defecit, (§. 135.) *daemonas* ſ. *daemonia Iac.* 2, 19. et *ſpiritus impuros Luc.* 8, 29. ac *malos Eph.* 6, 12. novi teſtamenti ſcriptores vocant: primarium quendam, reliquorum quaſi ducem et anteſignanum, *Matth.* 25, 41. *Luc.* 11, 15. *Satanae 2 Cor.* 12, 7. *Beelſebub Luc.* 11, 15. et *Belial 2 Cor.* 6, 15. hebraeis, *Diaboli Matth.* 25, 41. 1 *Ioh.* 3, 8 *ſq.* et του πονηρου 1 *Ioh.* 2, 13. 14. graecis nominibus diſtinguunt.

Obſ. 1. Vocis δαιμονος et δαιμονιου a graecis petitae uſus multiplex et varius exiſtit. a) Graeci quidem ſcriptores frequentant de geniis, ſ. ſpiritibus, qui ad divinitatem propius accedunt, ſive per naturam ſuam ſive per beneficium, quales ſunt viri magni αποθεωσιν conſecuti, unde Cicero δαιμονας inquit *lares* optime dici. Sed horum duo

gene-

genera laudant αγαθοδαιμονας s. ευδαιμονας et κακοδαιμονας, illos propitios hominibus, hos infensos ac infortunii autores. Atque nisi me omnia fallunt, poetarum primum ingenium, deinde philosophorum subtilitas, cum rerum causas ignorarent et nihilo tamen secius reddere satagerent, quamcunque vim invisibilem, rerum terrestrium rectricem, δαιμονα vel δαιμονιον vocarunt: unde voces τυχην et δαιμονια eadem fere potestate (v. et *Es.* 65, 10. ubi alii גד vertunt τυχην, alius autem interpres δαιμονα) usurparunt. Ex hoc genere δαιμονιον Socrates quoque, de quo nuper disputatum fuit, laudasse videtur, vim occultam, qua impulsus in rerum causas penetraret. b) Alexandrini V. T. interpretes fere communi suffragio δαιμονια deos gentilium vocant אלילים *Ps.* 95, 5. vel שד *Deut.* 32, 17. *Ps.* 90 (91), 6. Πονηρον δαιμονιον de spiritu quodam perdito, Asmodaeo, liber *Tobiae* 3, 8. usurpat. c) Quodsi N. T. dicta evolvamus, clarum fit ex 1 *Cor.* 10, 20. 21. δαιμονια *deos gentilium* esse, quibus consecrarentur sacrificia: verum nec ea unica potestas videtur, uti FARMERO *in Versuch über die Daemonischen Leute* Cap. I. (Berl. 776.) placuit. ξενα δαιμονια *Act.* 17, 18. sunt *novi dii*, quos Paulus inducere credebatur; sed *Iac.* 2, 19. non est dubium, quin miseros spiritus δαιμονιων nomine distinguat, quos Deum unum profiteri testatur. Ceterum eandem, quam graecis fuisse diximus, persuasionem de spiritibus, rerum insolitarum autoribus, inter hebraeos quoque olim viguisse, supra monuimus, (§. 81. Obs. 1.) unde Iudaica quoque opinione morbi graviores, quorum causa latebat, a daemoniis oriri tradebantur. Sed de his §. 145. prolixius exponemus.

Obs. 2. Frequens nomen πνευμα ακαθαρτον in evangeliis permutatur cum voce δαιμονιου cf. *Luc.* 11, 24. coll. 26.

26. 14. 8, 27. 29. estque *spiritus profanus*, vid. *Zach.* 13, 2. profanis quoque ac foedis locis delectatus. *Luc.* 11, 24. 8, 27. et al. *Eph.* 6, 12. τα πνευματικα της πονηριας optime vertitur *spiritus mali* s. malorum autores. cf. §. 135. Obs. 1. Esse autem *daemones* intelligendos, oppositi ratio σαρξ και αιμα i. e homines, ac formulae sequentes, εν τοις επουρανιοις, μεθοδιαι et βελη του πονηρου ac ipsa Apostoli de daemonum in Christianos animo scribendi ratio postulat. v. KOPPE ad h. l. et infra §. 144. Obs. 2.

Obs. 3. *Satanas* ὁ αντιδικος, animum erga homines hostilem ac infestum innuit. Namque proprie שטן dicitur *adversarius*, qui contraria molitur, impedit agentem, atque accusatione et criminationibus apud iudicem reum agit. cf. 1 *Reg.* 5, 4. 11, 14. 25. *Ps.* 109, 6. In fabula Iobaea confingitur Iobi, piae mentis, Satanas, ut censor, qui in solemnitate diei censorii apparet coram iudice, atque, ut solent ministri impii, prava enarrat facta, invidia onerat virtutem, ac detractorem potius quam censorem agit. Verum quis in eo loco cogitet de daemone? Ille Satanas cum Deo familiarius colloquitur: daemones haud ausint deiecti coelo *Iudae* 6. eodem redire. Illa scena ne in coelo quidem figitur: hunc fingunt coram ipso numine pios criminari: in Satana ne umbra quidem naturae sublimioris: in his indicia minime dubia. v. *scholia nostra in libros V. T poeticos ad h. l.* Eadem scena construitur in visione *Zachariae*, *c.* 3, 1. quae pontificem pium, Iosuam, ut solet fieri in iudiciis, ostendit, patrono ac accusatore cinctum sisti coram Iehova, summo iudice: alium vitiorum, alium, locupletiorem quoque, virtutis testem ac pro reo graviter et feliciter depugnantem. Verum visionum imagines per ingenium solent componi atque minime valent in iudicio de rerum existentia, nisi quis

eo

eo loco Iosuam quoque vere in coelum raptum, vestibus sordidis exutum, candidis contectum fuisse temere statuat. Is vocum usus perpetuus fuit tempore Iesu et apostolorum, qui Satanae nomine notant *quemlibet* causae bonae *adversarium* v. c. *Matth.* 16, 23. ac forsan *Rom.* 16, 20. 1 *Thess.* 2, 18. Exinde tamen κατ᾽ ἐξοχην dici coepit de *principe daemonum* improborum *Matth* 12, 26. *Luc.* 11, 18. *Marc.* 3, 23. *Ioh.* 13, 27. qui rei christianae, virtutis studio hominumque saluti impedimenta obiicere credebatur. *Apocal.* 2, 9. 12, 9. 1 *Cor.* 7, 5. 2 *Cor.* 11, 14. *Act.* 26, 18. Similiter 1 *Chron.* 21, 1. Satan rei Israelitarum publicae adversarius dicitur. Haud differt ab hoc nomine ἁπαξ λεγομενον: βελιαλ 2 *Cor.* 6, 15. quod videmus Theodotionem *Iudic.* 19, 22. ex hebraeo בליעל petiisse. Graece dicitur ὁ πονηρος, *nequam ille et noxius.* Homines enim qui בל יועילו *nullius usus sunt*, i. e. per litotita, *perniciosissimos*, παρανομους et λοιμους, ut graeci vertunt, hebraei voce composita בליעל nuncupant. 2 *Sam.* 10, 11. *Prov.* 6, 12. *Iob.* 34, 18. *Neh.* 2, 1. Sic *Ps.* 18, 5. נחלי בליעל *torrentes nocivi.* Eundem fere Iudaeorum mos *Beelsebub* appellare consuevit *Luc.* 11, 15. hoc est, בעל זבוב cuius fit mentio 2 *Reg.* 1, 2. ut numinis Accaronitarum, quod vulgo vertunt *Deus muscarum*, ego autem malim ad syrum בעל דבוב, *dominus criminationis* h. e. διαβολος referre: nam דבב est *criminari, diffamare*, unde דבה *crimen*, quod a *Symmacho Genes.* 37, 2. et ab *Aq. Num.* 14, 37. vertitur διαβολη. vel בעל זבול *dii sepulcri*, ex usu vocis Chaldaico, i. e. dii inferorum. Sed haec exempla satis demonstrabunt, quam obscurae ac ignotae Iudaeis, Mosaica ac V. T. disciplina imbutis, fuerint notitiae de spiritibus malis vel daemone, cuius ne vestigium quidem nominis certum e V. T. oraculis legitur.

Vnde

Vnde non erraverint, qui daemonologiae Iudaicae origines in Chaldaicis quaesierint opinionibus de duplici principio, altero boni, altero mali fonte, quas Iudaei adoptatas mitius tamen ac moderatius, ne quid fidei unius Dei repugnet, propositas tenuerint.

Obs. 2. E graecis nominibus frequentissimum reperitur διαβολος Id plerumque aiunt *detractorem* significare s. eum, qui est ad calumniandum proclivis 1 *Tim.* 3, 11. 2 *Tim.* 3, 3. *Tit.* 2, 3. vel *decipit alios*; graeci enim exponunt διαβαλλεσθαι, εξαπαταν cf. L. BOS *ad Eph.* 6, 11. forsan quoque *Eph.* 4, 27. 1 *Pet.* 5, 8. verum usus loquendi Satanam vel improbum infestumque hominibus spiritum κατ᾽ εξοχην diabolum dici demonstrat, quem praeivere Alexandrini: ab his enim שטן 1 *Chr.* 21, 1. *Iob.* 1, 6. *Ps.* 108, (109.) 5. vertitur διαβολος: sequuntur Apostoli *Matth.* 4, 1. 25, 14. *Iob* 8, 44. *Eph.* 6, 11. (v. §. sq.) quibus locis non video, quomodo commode queat de homine obtrectatore exponi. Neque id ab usu vel graecorum vel latinorum abhorret, qui συκοφαντιας, *calumniarum reum* vocant quemcunque, a quo alteri *iniuria*, etiam atrocior infertur. Sic et διαβολην *Sir.* 26, 16. quascunque inimicitias significare, monuit ad h. l. *Grotius.*

§. 141.

b) Existere daemones.

Quamvis autem facile largiamur, offendi paululum rationem idea spiritus, natura quidem praestantioris sed impietate insignis, ac nomina διαβολος. Satan et al. hominibus tribui variis in locis (§. praec. Obs. 3. 4.), denique opinionis de spiritibus malis recentia tantum extare in sacro codice testimonia: tamen non is sum, qui

vere

vere exiſtere ſpiritus vitiis deditos negare auſim, vel ob frequentia huius rei ac minime obſcura teſtimonia tum ſervatoris noſtri, tum apoſtolorum, iis quoque locis propoſita, in quibus erroris et ſuperſtitionis, ſi fuiſſet, refellendae opportunitatem intelligimus, *Ioh.* 8, 44. *Luc.* 22, 31. vel ob planas de miſeria diaboli deſcriptiones. *Iudae* 6. 2 *Pet.* 2, 4.

Obſ. 1. Solemnis eſt multorum ac frequens formula: repeti has phraſes a ſublimiori philoſophia Iudaeorum, Babylonicae ſ. chaldaicae ſapientiae corruptelis permixta, ſacrosque autores accommodate loqui ad vulgarem de daemonibus ſuperſtitionem. Sed mihi quidem nimia ea videtur fiducia, quae ex ingenio et coniecturis philoſophiae Babylonicae capita colligit. Quodſi enim ſapientiam illam, quam communi nomine orientalem vocant, intelligunt: neſcio an ſatis probent adſertiones ſuas iis, qui, in tanta monumentorum hiſtoricorum penuria, de ea quidquam firmi adſtruere ſubdubitant. Quae enim *Pſellus de operat daemonum* a *Marco* quodam chaldaeorum ritu imbuto didiciſſe tradit, ea non auſim antiquis ſcholis vindicare. Quodſi autem ad philoſophiam aliam, doctoribus Iudaeis propriam, haec placita referunt, ex quonam igitur fonte principia illius hauſta? quonam autore cognoſcuntur? Iudaeis ipſis coaevis? Verum hi rari ſunt ac ſilent. Ex haereticorum ſomniis? Sed hi, ſi vel eos Iudaicis commentis ſeductos fuiſſe conceſſerim, ſequentium ſeculorum quietem turbarunt. Vnde ego non quidem nec ſapientiae ſtudium nec fabularum ineptias nego Iudaeis, verum univerſam de Diabolo opinionem in his ingeniis congeſtam fuiſſe, ex his ſcholis prodiiſſe, non mihi nova ſapientia ſed traditionis fruſtra adhuc quaeſitae fides perſuaſerit. Sed valde mihi hiare videtur

illa

illa argumentatio, quae placita magno orientalium ſophorum conſenſu probata ad eius quoque nationis theologiam refert, quae patriorum inſtitutorum tenax literas exteras parum adamavit atque domeſticam, quam barbaram ſuperſtitionem praecipue in Palaeſtina, fovere maluit. Ac origines omnis de Daemone opinionis ſine dubio latent in conſuetudine hominum, valde antiqua, res, quarum cauſas ignorarent, ad actores inviſibiles referendi, quos malos crederent, ſi quid eſſet adverſum felicitati humanae, bonos, ſi quid iucundum accideret. Deinde me fateor non intelligere, quomodo Chriſtus hunc de Diabolo errorem potuiſſet non concedere tantum ſilendo, verum etiam probare ac propagare: Nec enim is ex eo genere fuit, quod, quia cum periculo veritatis proſternitur, ſenſim ac magna cum cautione eripi et impugnari poteſt. Nam Sadducaeos, qui negarent Daemones, legimus etiam publice et ſine invidia ac periculo docuiſſe. Ac multa alia, quae intacta Ieſus reliquit, Apoſtoli a puriore doctrina reſecarunt. Sed hos quoque omnes, Paulum etiam in iis, quas eccleſiis e gentiliſmo coactis dicavit, epiſtolis, diaboli mentionem iniicere obſervamus, quod et fruſtra factum apud rudes Iudaicae traditionis et temere ab iis, quibus veritas Evangelii, pura atque ab omni labe Iudaica repurgata, fuit concredita et commendata. Quid igitur? Paulum, cuius in profligandis erroribus Iudaeorum non minor παῤῥησια quam ſeveritas fuit, qui vulgarem ac inveteratam ſuperſtitionem, etiam cum capitis ſui periculo, non veritus eſt damnare, qui animorum tranquillitatem ſtabilire contra inanem metum allaboravit, dicamus indulſiſſe in argumento minime gravi opinionibus conſictis, atque ſpectrum ſapientiae vel φαντασιας humanae, terrendis animis unice aptum, ſtudioſe propoſuiſſe auditoribus? *Eph.* 2, 1.

2, 1. 2 sq. Iohannem legimus summam fidei Christianae tradere ea pietate, ut contra quemvis errorem graviter insurgat, eo candore, ut veritas ubique refulgeat, ea denique simplicitate, ut a sublimioribus subinde revocet lectores tenuique et populari sermone utatur. Sed is ipse victorias Christi de diabolo laudat 1 *Ioh.* 3, 8. atque cum doctrina de Satana salutare Christi opus coniungit. Quare si non existit diabolus, si superstitiosae Iudaeorum sapientiae est commentum, quomodo graviter dicamus celebrare et commendare virum divinum Christi beneficia, quum eum spectri cuiusdam configendi causa vixisse inter homines profiteatur? At potuere sine ullo rei Christianae detrimento his opinionibus indulgere; largiar: sed num fraudulenter agere potuere? et innocuum, si fuit, errorem h. e. a malo animo defensoris immunem, nocentes i. e. cum consilio tolerare ac confirmare? an opinionem, mox depravaturam pias mentes, ecclesiis posteris conservare? Minime quidem, nam et pietas veritatis amans est, et oportebat Apostolum cavere secuturis temporibus, ne quando praeiudicium, indultum primis ecclesiis, per hominum imbecillorum audaciam in almo divinae veritatis fastigio collocaretur.

cf. *Diss.* nostram *de redemtione a potestate diaboli. Alt.* 1774. *Ier. Fr* REVSS *de recta ratione interpretandi dicta N. T. de malis spiritibus. Tub.* 776.

Obs. 2. Ex his dictis patebit, non posse penitus omitti in institutione populari locum de daemonibus, sive propter frequentiam locorum Scr. S. quae eius mentionem faciunt, sive propter superstitiosas ac impias multorum opiniones, quas vereor, ut quis vel evertat machinis polemicis vel silentio opprimat, eas autem aptius ac facilius cauta ac

exqui-

exquisita institutione emollitum ac ad veritatem reductum iri confido. Ceterum vide §. 131. Obs.

Obs. 3. Sacrae literae, quae primitivam angelorum integritatem Diabolo vindicant, eundem excussisse felicitatem suam crimine quodam docent. De ipso tamen crimine nihil liquidi constat. Primum occurrit servatoris dictum *Ioh.* 8, 44. *Vos patrem diabolum habetis*, non Deum: *namque* sicut εκ του θεου ειναι, Dei filius esse, habetur, qui animum divinum ostendit, ita vos diaboli filios declaro, quia *delectamini pravis cupiditatibus*, *cuiusmodi pater ille vester intus alit. Ille homicida fuit a prima inde creatione* (caedem suasit Caino cf. 1 *Ioh.* 3, 12.): similiter vos me occidere studetis: *ille in veritate non perduravit* (ἱςαναι εν αληθ. est constanter tenere veritatem ac a mendaciis sibi cavere. Neque αληθεια, quae ψευδει opponitur, recte vertitur *integritas primitiva*, *rectitudo*; melius, *veritatis ac verae religionis autor*, a quo alienum fuisse diabolum Iesus declarat,) *nec in eo veritas quaerenda: mendaciis*, idololatria, fictitio Dei cultu, superstitione atque erroribus (namque haec ex usu hebraeo ψευδη dicuntur, *Apoc.* 21, 27. 22, 15. et ex more Apostolorum repetuntur a diabolo. v. §. 144.) *delectatur* eorumque et autor et amicus habetur: itaque vos, divinae veritatis adversarios, recte a diabolo natos dixerim. Hac igitur sententia minime ostenditur nec lapsus nec peccatum Diaboli sed studium atque vitium. Clarius Petri testimonium 2 *Ep.* 2, 4. quod quam frivolum sit, sperare immunitatem a poenis divinis, illustribus documentis demonstrat, atque primum severitatis divinae et antiquissimum exemplum αγγελους ἁμαρτησαντας proponit, angelos peccatis implicitos. Idque magis declarat Iudas, Petri interpres, αγγελους μη

τηρησαν-

τηρησαντας την εαυτων αρχην, αλλα απολιποντας το ιδιον κατοικητηριον. Ac principio quidem vox αρχη, quam alii virtutem f. praeſtantiam concreatam, alii initium f. ſtatum primaevum, invito uſu loquendi, exponunt, optime vertitur: *principatus*, *provincia*, alicui concredita. Nempe αρχοντων munere fungebantur ex opinione Iudaeorum. Verum in hac dignitate tuenda Apoſtolus negligentiae reos facit angelos. Namque τηρειν et φυλασσειν, ut hebr. שמר alias dicitur de eo, qui muneris ſui partibus defungitur, v. c. *Num.* 31, 30. 3, 28. Additur: *deſeruiſſe eos domicilium ſuum*, (οικητηριον, מעון *ſedes*, *Ier.* 25, 30. *Exod.* 15, 17.) in quo equidem non poenae, exilii atque deiectionis e coelo (nam poenam ſtatim deſcribit aliis formulis), ſed criminis deſcriptionem reperio. Patet igitur, fuiſſe quosdam, qui officiis ſuis, quibus deſtinarentur, ſeſe abdicarent, et neſcio qua de cauſa, ad amplius forſan imperium, minus contenti ſorte atque provincia ſua, temere adſpirantes, e coeleſti ſede migrarent. Genus peccati ſacrae literae haud expreſſere, nec coniectura probabili definiri potuit, utut valde laboratum ſit in materia plane inutili. Plurimi veterum ſtupri conſuetudine cum hominibus peccatum ab angelis fuiſſe ſtatuunt, decepti verſionis graecae autoritate *Gen.* 6, 13. quod commentum praeter *Philonem de gigant.* (*p.* 284. *opp. ed. Frf.* 1690.) ac *Ioſephum* (*L. A. I. L.* 3. *c.* 2.) fautores graviſſimos ac miro conſenſu conſpirantes habuit per quatuor fere aevi Chriſtiani ſecula doctores omnes. *Athenagoras* (Apol. *cap.* 22. p. 100. *Dechair.*) gigantes progeniem huius impuritatis facit. *Clemens Alex.* (*L.* 3. *ſtrom. p.* 338. *Potter.*) non tantum incontinentia ac voluptatibus peccaſſe, verum etiam *proditis arcanis*, quod *Tertullianus* (*de idolol. c.* 9.) *de aſtrologia* exponit (vide *eund. de habitu muliebr. c.* 2.) Alii, repudiatis his ſomniis ſuperbia lapſos Daemones defendunt, ut

Athanasius (*orat.* 38. *T. I. opp. p.* 617.) *Hieronymus* (*in Ezech.* 16.) *Augustinus* (*de C. D. L. XIV. c.* 11.) et complures, *Petavio dogm. th. T. III. p.* 91.) et s. v. COTTAE *diss. de angelis II. p.* 15. laudati), quibus nostrates quoque haud pauci suffragantur *Lutherus*, *Moshemius*, *Buddeus*, *Cotta* (l. c. §. IX. p. 30.), *Moldenhauerus*, praesidio opinionis quaesito primum in 1 *Tim.* 3, 6. *Non decet episcopum esse* νεοφυτον *recens conversum, ne inflatus superbia incidat* εις κριμα διαβολου i. e. eandem arrogantiae, quam Diabolus, poenam luat. Atque haec interpretatio, quanquam haud arriserit Erasmo, Luthero, et al. qui διαβολον *criminatorem ac detractorem* h. l. transtulere, tamen reliquis videtur praeferenda. Nam primum v. sq. παγιδα διαβολου minus recte verteris, insidias obtrectatorum, quum aperte 2 *Tim.* 2, 26. miseram *servitutem*, qua peccatores detinentur ac vitiis parent *Satanae*, significet. Deinde vocis κριμα usus N. T. constans in eum nos sensum deducit, ut *poenam* diaboli interpretemur. v. c. *Rom.* 2, 2. *Iac.* 3, 1. *Gal.* 5, 10. *Apoc.* 17, 1. 2 *Pet.* 2, 3. Accedit haud leve indicium e mutata temere sede. Etenim qui sorte sua ac provincia haud contentus maiora arripere cupit, superbiae crimen committit. Laudantur praeterea dicta Satanae *Gen.* 3, 5. *Matth.* 4, 9. quae animum fastuosum ac inflatum spirare videntur. Sed cum multiplex arrogantiae forma et cupiditas esse queat, alii eos adfectatione divinitatis coeco plane impetu et suppressa omni maiestatis divinae notitia peccasse statuunt, seducti *Esaiano* carmine *Es.* 14, 12—14. nomenque Luciferi frustra diabolo vindicantes: alii, iuncta superbiae invidia, adspirasse ad unionem hypostaticam confingunt, praeeunte *Lactantio inst. div. L.* 2. *c.* 8. quasi de mysterio incarnationis prius constitisset, quam homines viverent. Maiori veritatis specie adfectationem dominii sive in alios maiores orbes, sive in hunc orbem, sive

in

in genus humanum primum diaboli peccatum fuisse defendunt. A qua sententia non plane recedit opinio eorum, a quibus homines seducendo sibique subiiciendo primum Satanam crimen commisisse adsertum fuit, *Coccei*, *Altingii*, *Vitringae*, *Heilmanni* (qui *Ioh.* 8, 44. laudat) accedente nuper *Chr. Fr.* SCHMID *Progr. Ennarratio doctrinae sacrorum librorum de lapsu daemonum. Wit.* 775. Quodcunque denique statuas, in unum facinus plures omnino animi pravi motus conspirasse videntur.

Obs. 4. At enim, inquis, quis credat mentes insignioribus dotibus ornatas in tantam delabi dementiam, ut vitiis, quae facilius caventur a spiritu puriore ac maioribus notitiis instructo, sese contaminent rebellesque fiant contra Numen, cuius virtus minime sibi obscura esse potuit. Ego vero si fas est, analogiam persequi, maxima saepe ingenia cognovi ad scelus esse procliviora, viriumque suarum sensu saepius audacius efferri atque, quanto virtutibus congenitis valent, tanto facilius viribus suis abuti. Nequissimus sane hominum pariter animi dotibus instructissimus reperitur. Quare fieri omnino potuit, ut et errarent in iudicio atque decepti ingenio suo frustra ad sublimiora adspirarent, et, quae est sceleris amentia, perseverarent in crimine vitiique sui sensu suppresso minime ad meliorem frugem redirent.

§. 142.

c) *Natura daemonum.*

Quoniam animi vitium haud immutat naturae vim, daemones, post lapsum etiam, insigni intelligendi vi atque potentia, qualem angelis vindicant scriptores sacri, pollere idemque, si quod olim habuerunt, corpus gerere, existimamus.

Obs. Si qui plane a vero aberrare, erroribus implicare ac vesania incredibili agere daemones iudicant, nec quid naturae

nec quid S. literis consentaneum sit expendunt. Namque ut illa docet, congenitae dotes minime abolentur, sed corrumpuntur. Quodsi autem astutia ille valet atque caveri propter insidias debet *Eph.* 6, 12. et mendaciis, quae nemo, nisi veritatis conscius edit, familiaris est *Ioh.* 8, 44. equidem facultatem ac notitias eius humanas longe superare fatear.

§. 143.

d) *Status daemonum.*

Voluntate tamen prava atque in veritatem *Ioh.* 8, 44. virtutemque *Iac.* 3, 14—17. infesta, ac *miseria*, quae primum a cupiditatibus pravis ac vitio inveterato, deinde a sensu poenarum et praesentium et futurarum ac perennium oritur, a sanctis beatisque spiritibus longissime recedunt.

Obs. 1. Clare Petrus 2 *Pet.* 2, 4. poenam diaboli praesentem describit: *Deus angelis peccantibus tantum abest ut pepercerit, ut potius eos in tartarum* (*Hesych.* ταρταρος, ὁ ὑπο την γην κατωτατος τοπος) cuius imaginem *Hesiodus* θεογον, depingit, *prostratos atris catenis*, carceri tenebricoso, *tradiderit.* Vides daemonum primam poenam: exilium e coelo, e quo depulsi venere in tartarum: alteram, custodiam omnium miserrimam (ζοφος enim miseriae imago cf. v 17. et *Matth.* 8, 12.) adeoque iam similes sunt reis, qui usque ad diem supplicii in carcere detinentur atque φρισσουσι θεον *Iac.* 2, 19. per conscientiae terrores, per metum potentis numinis, per impedimenta, quo minus pro arbitrio nocere possint, obiecta, ac salutis desperationem. Sequitur supplicium (κρισις) die solemni iudicii. Eodem redit *Matth.* 25, 41. et *Iudae* 6.

Obs. 2. Disputatur de *restitutione* daemonum, cuius *Iudas* v. 6. nullam spem facit, tradens, eos ἀϊδιοις *aeternis carceribus* detineri. v. *Matth.* 25, 41. coll. 46. *Origenem* tamen primum legimus sperasse, fore ut aliquando animo mutato ad superic-

periorem felicitatem redeant. (cf. I. A. DIETELMAIR *hiſt. commenti de αποκαταςασει παντων. Altorf.* 770.) Plures noſtro aevo fautores Origeni ſuffragati ſunt. v. EBERHARD *Apol. des Socr. P I. p.* 372. C. F. BAHRDS *Briefe über die ſyſtem. Theol.* p. 273 ſq. LAVATER *Ausſichten in die Evvigkeit* T. III. p. 275. Atque quis tandem adeo crudelem ac iniuſtum Deum fingat, cuius fruſtra imploretur miſericordia a ſpiritu, taedio impietatis ſenſuque miſeriae diuturnae ac angore imminentis iudicii vexato ſuaque facta abhorrente? Hominum quidem, etſi diſpar culpa ſit, naturae tamen indoles et ſors humilior: cui ſi propitium ſeſe praeſtitit numen, quomodo deſtinatis ad ſublimiorem provinciam atque per naturam ſuam aptioribus ad laudem creatoris dari poſſe veniam, dummodo quaeſierint, diro decreto negemus? Si culpae magnitudo ſeveriores in angelis poenas meruit, naturae dignitas ipſaque poenarum, quas iam luunt, gravitas clementiorem faciet iudicem: nec qui angelis indulget naevos ſuos, reverſuros a crimine daemonas inclementius reiiciet. Sed, ut verum fatear, quoniam proclivis ad condonandum Deus non poteſt, niſi emendatis, veniam concedere, videmusque homines etiam brevi tempore vitiis ita adſueſcere atque adhaerere pertinacius, ut nulla ratione nec minis, nec poenis, poſſint coërceri, animusve diutius innutritus ſcelere nec miſeriam ſentiat aliam, niſi dolores de repreſſo ſcelere, nec mutetur facile: daemones, qui per tantum temporis ſpatium impietatem aluere inveterato pravorum factorum amore, animum facile mutaturos eſſe, fere deſpero.

§. 144.

e) *Studia diaboli.*

Daemones, ut ſunt infenſo erga religionem animo, *primum* ut Chriſtianae veritatis adverſarii *Ioh.* 8, 44. 1 *Pet.* 5, 9. atque impietatis praeſides *Eph.* 2, 2. 6, 12. *Ioh.* 12, 31. 2 *Cor.* 4, 4. *deinde*

 ut

ut vitii morumque profanorum duces ac autores 1 *Ioh.* 3, 8. *Eph.* 6, 10 sq. describuntur. Sedulo tamen cavendum erit periculum superstitionis, quae omnes pravi animi motus excitari a Satana invitosque ab eo ad scelus suppliciumque rapi homines, contra fidem veritatis Christianae *Iac.* 1, 14 sibi persuadet.

Obs. 1. Perpetua est Pauli doctrina, inter gentes non Christianas dominari daemonas improbos ac potentiorem reliquis Satanam Etenim κοσμοκρατορας του σκοτους του αιωνος *Eph.* 6,12 vocat, i. e. κρατουντας τον κοσμον του σκοτους, *rectores mundi tenebricosi*, hominum ignorantia ac vitiis miserorum. cf. *Eph.* 5, 8. Eodem redit formula *Eph.* 2, 2. αρχων της εξουσιας του αερος, *princeps regni* (εξουσια *imperium* significat, *Eph* 1, 21. *Ps.* 113, 2. *Dan.* 3, 33.) *tenebrarum*, (cf. quae de potestate vocis αηρ diximus *diss. laudata* p. 8.) i. e. gentilismi. Hunc secutos fuisse monet Ephesios, (nam περιπατειν κατα τινα est ex usu hebraeo *mores alicuius sequi.* περιπατειν κατα θεον *vitam agere divinam.* cf. *Gen.* 6, 9. περιπατειν κατα σαταναν *conformare semet ad morem daemonis improbi.*) : *hunc* adhuc in *contemtoribus doctrinae Christianae* (υἱοις της απειθειας) *vim suam exserere* defendit, cum pravis cupiditatibus ducantur v. 3. Similiter θεος του αιωνος τουτου *praeses mundi*, profani orbis moderator, *occaecare animos* dicitur, *quo minus vim evangelii persentiscant.* 2 *Cor.* 4, 4. Atque Iesus ipse, qui iam Evangelii sui virtute repressum victumque iri praevidit impietatis latissimum imperium, fore, ut αρχων του κοσμου dignitate sua exuatur, laetus praedicit. *Ioh.* 12, 31. Denique τῃ εξουσιᾳ του σκοτους quoniam opponitur βασιλεια του υἱου θεου, *Col.* 1, 13. *societas Christiana*, *rempublicam non Christianorum*, populos profanos, Satanae imperio subiici clare docetur. Hinc *Satanae tradi* 1 *Cor.* 5, 5. recte exponitur,

nitur, *a communione societatis Christianae interdici.* Sed huius nominis vis et origo ex oeconomia V. T. praecipue petenda videntur. Quemadmodum enim Deus, omnium rerum dominus atque rector, eos praesertim gubernare dicitur, qui naturae quasi vinculo, (θεια φυσει) pio animo sibi constringuntur, atque populo olim Israelitico legibus et patrocinio ducem sese et αρχοντα constituit: ita reliqua hominum pars, quae κοσμος ob multitudinem ac σκοτος ob ignorantiam et impietatem dicitur, ne plane videretur ακεφαλος, contrariae perhibetur potestati subiici ac in unam societatem impiam cogi, in qua spiritus, erga Deum infestus, Diabolus, praesidis munere fungatur. Etenim quum parere dicamur iis, ad quorum mores et voluntatem nos componimus, haud adeo alienum fuerit ac obscurum, Satanae dominium agnoscere in homines, qui per naturam suam et cupiditates feruntur ad impia, repugnant legibus divinis, votis inimici nostri satisfaciunt atque, quam sint amico erga Satanae studia, hostili ad exemplum Satanae erga veritatem virtutemque animo, re ipsa εργοις διαβολου 1 *Ioh.* 3, 8. 9. ostendunt. Praeter eam morum et studiorum cum spiritibus malis similitudinem phraseos originem quidam in vulgari opinione quaerunt, a Satana peccati initia deduci eoque instigante primos hominum animum genusque suum corrupisse. Iam magna est vis pravae indolis, cum qua nascimur, *Rom.* 7, 23. Quae tristissima lex si enata est a primo hominum peccato, insidiis Satanae commisso, quidquid ex hac radice mali propullulat, etsi non adiuvante vel fovente Satana, tamen quia originem debet corruptioni, cuius ille causa extiterit, ad illius institutum ac imperium referri possit, errores in rebus divinis, scelera, fraudes, inimicitiae omnisque erga Deum iniuria.

Obs. 2. *Iacobo* 1, 14. atque experientia magistris docemur, hominum scelera ac pravas cupiditates sponte nasci e mente so-

cordi sibique indulgente. Non eget instigatore animus, suopte motu effrenis et inquietus, non doctore mendaci, ingenii sui imbecillitate satis ad errores foedissimos proclivis. Quare si quis captus pravis cupidinibus ad voluptatem corporis pessundatus est, ubi per socordiam ac temeritatem naturae infirmitas invaluit, frustra sese purgat atque, cum culpam actor ad diabolum, perniciem suam ad pericula refert, misere sibi mendaciis ac vana innocentiae spe illudit. Neque nos urgeat aliquis formulis atque admonitionibus biblicis, quae insidias ac inspirationes Satanae commemorant. *Ioh.* 13, 26. *Luc.* 22, 31. *Eph.* 6, 11. 12. 1 *Pet.* 5, 8. 9. Etenim primum vulgaria dicta nemo facile ad vivum resecabit, atque si *Ioh.* 13, 2. 26. Satanas occupasse Iudam, ac *Act.* 5, 3. ad fraudes seduxisse Ananiam dicitur, facile quilibet intelliget, has formulas esse e genere superiori, quod, quidquid Christo reique Christianae adversum tentatur ac peragitur, ad Satanam refert. Eodem redit Christi admonitio *Luc.* 22, 31: *Satanas secernere vos studuit, ac optavit, ut fide doctrinae meae excideretis.* Denique cohortationes Pauli *Eph.* 6. ac Petri 1 *Ep* 5, 8. 9. muniunt adversus vim externam atque calamitates, quibuscum suo inprimis tempore luctandum esse homini Christiano non dissimulat; namque omnis calamitas, quam propter religionem proferunt Christiani, uti diximus, Satanae autori tribuitur: atque sicut saepe Christum dicunt Apostoli pro doctrina ac societate Christiana, ita diaboli nomine saepe hominum profanorum reique Christianae infensorum societas innui videtur. Sic Paulus *Eph.* 6, 10 sq. *Quod reliquum est, strenui estote per Iesum eiusque virtutem: induimini armatura divina, ut stare possitis adversus artes pugnandi insidiosas Diaboli:* utimini instrumentis divinitus vobis concessis, ut resistere possitis illecebris ac calamitatibus iis, quibus ad deserendam religionem Christi solli citari soletis: (utar verbis Ven. *Koppii* ad h. l.)

non

non enim a nobis pugna subitur cum singulis hominibus (αιμα και σαρξ sunt *homines, nostri similes atque imbecilliores Ebr.* 2, 14. *Gal.* 1, 16.) *sed cum principibus ac dominis, cum praesidibus regni tenebricosi, cum spiritibus malis in his regionibus sublunaribus:* universitas imperii Satanici ac impietatis contra nos insurgit: *hinc apprehendite armaturam divinam, ut non resistere tantum tempore duro* (ημερα πονηρα est tempus fidei periculosum propter persecutiones cf. *Eph.* 5, 16) *sed debellatis omnibus stationem vestram tueri possitis. Estote igitur constantes, cincti lumbos veritate, thorace* i. e. *religione induti et ocreis* i. e. *evangelii salutaris armatura,* doctrina Christiana *muniti resistite.* Addit sensus christianos: *ante omnia tractate clypeum* i. e. *fidem* vel fiduciam in I. C. vi et benignitate. *quo omnia tela ignita* (malleolos vocant) *adversarii extinguere possitis,* calamitates quoque atrociores reprimere ac lethi pericula, qualia imminent a malleolis, avertere *ac galeam prehendite* i. e. *spem felicitatis aeternae* v. 1 *Thess.* 5, 8.) *ensemque* i. e. *spiritum, quod est verbum divinum,* (videtur orationem inspiratam intelligere, qua omnis contraria vis destruatur. cf. 2 *Cor.* 10, 4. 5.) v. omnino KOPPE ad h. l. Sed is totus locus tractat vim diaboli externam, dum instrumentis suis utitur contra Christianos cultores ac persecutionibus tentat constantiam, quemadmodum Petrus quoque 2 *Ep.* 5, 9. cum de diaboli studiis monet, παθηματα, adversitates, memorat. Quare frustra in subsidium vocatur ab iis, qui Satanam pellicere, tentare piorum animos, ad scelus instigare atque rapere ad vitia defendunt. Denique quis tandem notas, certas ac minime fallaces, discernendi motus aliunde per Satanam in animum ingestos a domesticis atque e malitia humana subnatis ostendit adhuc vel proponere potuit? Namque si motus intempestos, si improvisos, si a praesentibus studiis abhorrentes, si denique vehementia ac

 im-

impietate maiores, quam alias fertur hominis improbitas, turbare animum intelligas, vereor, ne praecipiti iudicio Satanam incuſans, ingenii tui vim, cogitationum orbes, ac phantaſiae fraudes ſatis habeas perſpectas. cf. omnino libr. *Man muſs auch dem Teufel nicht zu viel aufbürden.* 777. et TOELLNER *die Lehre von den Verſuchungen des Teufels iſt nicht practiſch, in theol. Unterſuch. T. I. St.* 2. *p.* 200.

Obſ. 3. Communis antiquorum ſententia, qua Satanae tribui conſueverunt gentium profanarum imperium, indololatriae origines ac regimen, ac omnium, qui alieni eſſent a ſocietate Chriſtiana vel vitiis dediti, praeſidium, multas peperit et formulas et rituum vanitates, et cohortationes, minus probabiles, quibus patrum ſcripta abundant. Hinc daemonas per aëra circumvolitare, adeſſe ſacrificiis eorumque nidore delectari, loqui per oracula, inſidiari inter preces, atque homines ante baptiſmum quoscunque, adeoque et chriſtianis parentibus prognatos infantes, obſidere, exorciſmo abigendos, paſſim traditur, cuiusmodi loca coegimus in *Diſſ.* noſtra *de redemtione a poteſtate diaboli*, ſuperius laudata §. 26 ſqq. Non tamen deſunt, quibus craſſior opinio, ut iniuria in Deum Chriſtique beneficium ac maieſtatem, diſpliceret. Eleganter ORIGENES περι αρχων *L.* 3. *c.* 2. *Simpliciores quidem credentium exiſtimant, quod omnia peccata, quaecunque commiſerint homines, ex iſtis contrariis virtutibus mentem delinquentium perurgentibus fiant.— Nos vero rationem dilucidius intuentes haec ita eſſe non arbitramur, conſiderantes ea, quae manifeſte ex corporali neceſſitate vel diſpoſitione vel corporis motu deſcendant.* cf. diſſ. noſtr. l. c. p. 25 ſq. HIERONYMI quoque aevo fuiſſe diſcimus (*Ep. ad Epheſ. L.* 3. *c.* 3.) qui putarent, *omnia vitia eſſe carnis et ſanguinis et nullam habere daemones poteſtatem, ut nos incitent ad peccatum.*

§. 145.

§. 145.

De potestate Satanae in corpora.

Quodsi mala nostra a peccatis veniunt, peccatorum autem origines a Satana, primi hominis seductore, non repugnem, diabolum calamitatum, morborum ipsiusque mortis causam (mediatam) vocari. A pravis autem daemonibus hodiedum infligi ea mala, corpora hominum obsideri ac misere vexari, doceri artes magicas, efformari spectra, nobiscum negabit, quisquis vetularum superstitioni rerum peritiam praefert, Christi beneficia aestimat ac humanarum mentium tranquillitati favet ac consulit.

Obs. 1. Primum laudant in potestate Satanae corporali *obsessionem*, cuius exempla, N. T. scriptores dum passim tradunt, gravi interpretum disceptatione, studiis haud adeo concordibus excussa sunt. Nos, omissis litibus, paucis defungemur observationibus. Ac a) primo quidem formula latina: *obsessio Satanae*, (*vom Teufel besessen seyn*, cui simillima graeca phrasis εισηλθε εις Ιεδαν *Ioh.* 13, 26. *totum occupavit*, h. e. mente) frustra, si quid memini, in iis locis N. T. quaeritur, quae corporis vexas et cruciatus daemonum commemorant. *Obsidere* quidem *Latini* dicunt eum, *qui replet atque occupat locum*, velut ap. *Ciceronem de N. D. I.* 23. *corporibus omnis obsidetur locus*, qui eleganter transfert ad vim oratoris, eumque, dum in suam sententiam impellit, dicit *obsidere ac tenere auditorem.* (*Orat.* 62.) Itaque a Satana obsideri homines dicamus, sive dum locum Satanas occupat in corpore misero, (*obsessio corporalis*), sive dum animum insidiis ac persuasionibus adducit ad vitia (*obsessio spiritualis*. de qua vid. §. 144.) Sed ego nunquam legi (nisi in parabola *Luc.* 11, 14.) Satanam venire in corpus, occupare membra, ori, manibus, oculis insidere, graecosve formula uti, εχεσθαι υπο δαιμονιου, id enim esset, *obsideri a Sa-*

Satana, sed semper δαιμονιζεσθαι, εχειν δαιμονιον et similibus, nisi quod *Petrus Act.* 10, 38. καταδυναςευομενους υπο του διαβολου *oppressos per diabolum* dicat. Sed haec tenuia sunt. Itaque cum de potestate vocis δαιμονιζεσθαι disquiritur, usum loquendi, tutissimum interpretis magistrum, consulamus. Atque hic nemo nobiscum rationibus ex *etymo* vocis, quod iubeat autorem daemonem cogitare, decertet. Etenim potuere, qui morbi cuiusdam causas ignorarent, eas ad daemonis vim per errorem referre atque ex hac sententia nomen morbo singulari imponere, quod, detecto etiam ac represso errore, qui nominis causa extitit, nihilo tamen secius in usu perduravit. Cuius rei opportunum succurrit exemplum ac argumento, quod tractamus, valde consentaneum in voce σεληνιαζεσθαι, *Matth.* 17, 15. 18. Id enim malum, recurrens ad certa mensis tempora, a luna oriri credebatur, nescio quam vere; neminem autem, opinor, futurum, qui vereatur eodem morbi nomine uti, tum quoque, quum sideris in corpus hominis influxum neget. Viri enim prudentis est, uti vocabulis usitatis nec originis sed usus rationem habere. Quare fieri omnino sine superstitionis praesidio potuit, ut scriptores sacri in morbi descriptione uterentur formula vulgari nec tamen usu comprobarent errorem, qui nomini dedit originem. Iam si loquendi usum consulamus apud *profanos*, δαιμοναν s. δαιμονιον εχειν significat *furere* apud *Xenophontem memor. Socr. L I.* Quin et *Aristophanes* (*Plut. Act.* 2. *Sc.* 3. *v.* 38. p. 64. *Harles*, quem vide, et *Act.* 2. *Sc.* 5. *v.* 15.) deterrimum insaniae gradum κακοδαιμονιαν esse pronuntiat. Hinc iam *sacer* dictus est ille *morbus*, δια της δοξης δαιμονος ες τον ανθρωπον εισοδου, uti *Aretaeus* inquit *de caussis morbor. diuturn. L.* 1 *c.* 4. cf. *Rich.* MEAD *medica sacra. Amst.* 749. 8. p. 55. et WETSTEN. *ad Matth.* 4, 23. *T. I N.T. p.* 279. b) Inter *Iudaeos* persuasio invaluit, quidquid, latente caussa, efficitur,

id

id interventu spiritus alicuius fieri, boni, si gratum homini atque optabile, (vide *Iob.* 5, 4.); mali, si adversum atque noxium acciderit. Iam si medicorum ars frustra tentaret vim morborum superare, aegritudo, elusis remediis humanis, usitatis atque haud infelici alioquin effectu usurpatis, pertinacius haereret, pronum erat iudicium de caussa morbi atrocioris, insoliti et diuturni non latente tantum, verum etiam humanis viribus superiore i. e. daemone. Ex hoc itaque genere esse iudicata sunt epilepsia, mentis furor, et melancholia, membrorum defluxus, atrocior sensuum orbitas, et alia. Ecquis denique non concedat nobis, affectiones, quae laudantur, δαιμονιζομενων, furentium esse atque ex male affecta corporis sanitate mentisque perturbationibus oriri, ut incessus nudos, vinculorum discissiones, secessum inter sepulcreta, vagationes per terra loca, *Matth.* 8, 28. *Marc.* 5, 2. *Luc.* 8, 27. Quis non videat εξιςασϑαι et δαιμονιον εχειν idem prorsus valere, si legat adversariorum Iesu criminationes, qui in vulgus spargerent *Marc.* 3, 21. coll. 30. ὁτι εξεςη, *mente captum esse*, quod statim v. 40. illustratur, δαιμονιον ακαϑαρτον εχει. Quis comitialis morbi characterem dubitet agnoscere *Matth.* 17, 15-18. *Luc.* 9, 39. in homine prostrato, oreque spumante corporisque vehementiore agitatione (ρηξει) ac concussionibus? Nos quidem, quorum oculos animumque similia saepe spectacula adficiunt, ad naturales caussas non veremur confugere, omissoque daemonum metu corporis animique vitium agnoscimus atque mederi tentamus, quod iudicium, si nostris temporibus haud videtur absurdum atque iniurium, nemo sapiens damnabit, ubi antiquioris aevi morbos, hodiernis similes, ad easdem caussas referre minime subdubitat. cf. G. A. TELLER *Woerterbuch N. T. h. v. Besessene.* MEAD l. c. *Hugo* FARMER *Versuch über die Daemonischen Leute Engl.* 775. (*Lond. übers. Berl.* 776. et *Bremen* e. a. *mit Semlers* Vorr.) *Ioh. Salom.*

Salom. SEMLER *Commentatio de Daemoniacis, quorum in N. T. ſit mentio. Ed. IV. Hal.* 779. c) Ac ſi qui ſingularem corpora animumque corrumpendi poteſtatem, quo Chriſti gloria illuſtraretur, conceſſam diabolo ſtatuerent, primum videant, quomodo apta et digna tanto conſilio remedia fuiſſe damonſtrent: deinde indicia certa et indubia proferant ex hiſtoriis δαιμονιζομενων, e quibus a cauſis morborum naturalibus ad vim daemonis recurrere cogamur. Nihil colligitur e formula εξηλθε το δαιμονιον et ſimilibus: namque corripere, cedere, abire morbum, tumorem artus occupare, vincere febrem vel vinci, recurrere epilepſiam, mortem opprimere, bonus quisque autor dixerit et a ſuperſtitione longe alienus, per proſopopoeiam. Fruſtra provocatur ad ſermones διαμονιζομενων, nemo enim in dictis furentium ſenſum vel veritatem quaeſivit aut ſine vitio delira dicta attribuit obſidenti daemoni. Neque in rebus ad Geraſam geſtis *Matth.* 8, 28—34. coll. *Marc.* 5, 1—10. daemonis vim agnoſcam. In furore quidem miſeri nihil eſt inſolitum et atrocius, quam ſolet in mania exiſtere: auctum robur, oberrationes nocturnae, aegri ſomnia ſe a pluribus impeti daemonibus, metus novi cruciatus ac deprecatio. Nec ſi quis dicta ex eodem ore prolata alia ad hominem, alia ad daemones referat, qua in re potuerint diſcerni a ſe, conſtat. At enim, inquis, Ieſus colloquitur cum legione Daemonum, exaudit precantes, porcorum gregem iis concedit: quod quis ferat in viro gravi, niſi fere adfuiſſent? Hoc ſcio multis interpretibus moleſtias magnas feciſſe, ſed ſalva res eſt. Nam quaeſtio τι ονομα σοι; aperte pertinet ad hominem mente captum, cuius reſponſum: λεγεων ſat luculentum fuit animi turbati indicium. Ex eodem cerebro deſideria porcos invadendi veniunt ſuntque non integri hominis, ſed mentis aegrotae, quae etiam cum voluptate inſanit et turbidis ac inſolitis ſpectaculis delectatur. Tali morbo cor-

correptus in gregem ferri cupit et stragem inter porcos edere, quod quia non est sani hominis sed turbati votum, rursus a daemonis ore venire creditur. Nec refragatur Iesus, vehementiore corporis motu forsan velut medicamine insaniae usus: unde miser homo agitatus velut oestro agros percurrit, gregem praecipitem dat, ac post tam manifesta furoris indicia ad Iesum revertitur. Neque temere hanc historiae rationem consingimus, verum ipso Marco magistro, qui cum narrat, porcorum dominos re gesta perculsos venisse ad Iesum, addit, hominem ibi repertum fuisse (v. 15.) καθημενον και σωφρονουντα, sedentem quidem, post vagos impetus, et mente integra restitutum a furore. Ad hanc rationem tum historiae veritas, tum Christo dignitas conservabitur. Neque obstare videtur huic interpretationi id, quod plurimis scrupulum iniecit, Evangelistas diserte ad δαιμονια referre, supplicationes et circuitiones vagas, gregi inimicas: nam qui popularem historiam scribit, semper sese accommodat ad modum narrandi vulgarem, nec quid factum praecise sit ακριβως narrat, sed formulis res gestas describit, quas videret usitatas in rerum descriptionibus. Me quidem non offendit dictio. Δαιμονια παρεκαλουν αυτον, cum in contrariam partem saepe dicatur, πνευμα ελαλει, εκωλυε et sim. non quo spiritus aliquis ab homine diversus id ageret, sed quia ad πνευμα referri consuevit, quod venit ab animo pio: nonne simili ratione ad δαιμονια referri potuit a populo et scriptore populari, quod non est probabile ab homine sano optari et effici, sed a turbata mente patrari? At enim offendit, Iesum ita loqui, ut videatur plebis commenta tueri ac probare. Offendat alios, me non item. Nam in illa de vi daemonum opinione nihil aliud est quam iudicium de origine et causis morborum: sed huiusmodi errores corrigere, ad monere de veris fontibus malorum corporis, exponere, qui casus

us a nervis veniat, quive a cerebri ſtructura vel turbis; tractare res phyſicas, id ne in officiis doctoris generis humani et religionis ponamus? Is quidem ſi morbos vincit, quacunque demum cauſa exortos, vim ſuam et autoritatem ſatis ſtabilit, neque admonitu de cauſis morborum vel autoritati ſuae vel veritati grave argumentum ſubiungit. Sed ſi in his exemplis non demonſtrari poteſt, daemonas in corpora vere ſaeviiſſe animosque occupaſſe, id alio tempore factum nec certis characteribus nec monumentis fide dignis ac idoneis comprobari poterit. Namque Sauli exemplum ex inſcitia ſermonis hebraei confingitur, 1 *Sam.* 16, 14—23. Spiritus enim malus (רוח רע) melius vertitur; *animus male affectus*, melancholicus, ſicut רעות רוח *Eccleſ.* 1, 14, eſt *triſtitia*, animi dolor. Iobi hiſtoriam res ipſa demonſtrat confingi. Deinde quidquid ex hoc genere tradidit antiquitas Chriſtiana, quidquid monachorum confinxit vetularumque narravit ſuperſtitio, quidquid nuper luſum eſt in Gaſnerianis ſpectaculis, in eo prudens quisque aut fabulam ac praeceps plebis iudicium, aut naturae vitium, medicorum artibus devictum, (cuius rei illuſtre noſtro tempore exemplum in Lohmannia vidimus cf. G. MVLLER *Gründliche Nachricht von einer begeiſterten Weibsperſon A. El.* LOHMAENNIN. *Witt.* 759. I. S. SEMLER *Abfertigung der neuen Geiſter und alten Irrthümer Hal.* 759.) aut fraudis, famae aurive cupidae, haud dubia veſtigia agnoſcet. E. D. HAVBERI *bibliotheca, acta et ſcripta magica. Tomi* 3 *Lemgov.* 741. I. S. SEMLER *Samml. v. Briefen und Aufſaezen über die Gaſneriſchen und Schroepferiſchen Geiſter-Beſchvvoerungen.* 2 *St. Hal.* 776. *Iac.* MACKNIGHT *Commentar. Harmonicus in IV. Evangelia c. not.* A. F. RVCKERSFELDER *T. I. Proleg. Diſſ. Brem. et Daventr.* 772. 8. Characteres

res autem, quibus obsessionem corporalem morbosque a diabolo immissos ab aegritudine et deliriis, e corporis vitio subortis, distingui possint, heu! quam precario ac temere ponuntur, viscerum tumultus, membrorum distortiones foedae, malum diuturnius, dicta insueta ac sublimiora, vita sine victu protracta et similia, quae quidem insolentia spectaculi perturbant paululum, sed a nervorum, in foeminis maxime, concussionibus ac φαντασίας perturbationibus oriri, medici periti necdum anilibus fabulis occupati vel ultra vetularum ingenium haud sapientes, dudum iudicarunt. e) Quodsi denique Daemoni, hominibus infensissimo concedamus potestatem obsidendi corpora atque cruciandi: tune credis eum paucos tantum invadere, qui omnibus nocere studet? At enim, inquis, Deus coercet impium animum, quo minus omnes homines obsidere possit. Deumne igitur credam paucorum miseria delectari, atque, ne desint spectacula diaboli, quosdam, ceteris sane haud peccantiores, miserrimis cruciatibus vexandi veniam dare Satanae? Atqui si ille permittit daemoni homines, non deerunt medicamenta malorum: si energumeni terrent; exorcistarum virtus non minus erit conspicua. Iam vero age, monstra virtutem atque apostolorum privilegia tibi concessa: audi exorcistarum novorum fata, vide daemonem eludentem cruces tuas ac precum vim et adiurationum minas, sedeque sua immotum ac statim redeuntem. Verius omnino sentiet, qui, quoniam facultatem daemonas eiiciendi iam nemo sibi vindicare possit, virtute miraculorum primis tantum Christianae religionis doctoribus concessa, nemo ita exercere ut satisfaciat, malit temperare sibi a fide metuque daemonum obsidentium atque ab arroganti spe, dictis suis ac precibus furentem vexantemque, qui fingitur, diabolum superandi. Hoc quidem Christianum est, christiano doctore dignum, monere de vi daemo-

num, vitiis conſpicua, per Chriſtum debellato, atque ſcire et docere, quomodo adverſarium, in quo magnum eſt nocendi ſtudium, impar ſtudiis virtus, qui divini imperii horrore vinculisque *αιδιοις* detinetur, ſpernere potius deceat quam metuere.

Obſ. 2. Multo autem magis declarare atque animis expellere decet portenta opinionum de daemonum praeſtigiis, *artibus magicis*, faſcinationibus, incantationibus ac pactis cum diabolo et reliqua ſuperſtitione, quae, ſi originem ſpectemus, ethniciſmo debetur et ab inſcitia virium naturalium enata eſt, ſi fata ac autoritatem, in gentibus incultis atque rudibus maxime viguit, ſi fructus, a numinis reverentia plurimos ad contemtum Dei et cultum profanum ac inanem metum avertit, ſcientiarum ſtudia repreſſit atque innocentes multos, qui in ſuſpicionem ſuperſtitionis venirent, fama vitaque miſerrimo ſupplicio orbavit. Complectitur autem nomen *magiae* omnes artes arcanas, quibus efficiendis vires corporum naturales haud videntur ſufficere, ſive quia ignotae ſunt quibusdam ſpectatoribus, etſi detectae atque in uſum vocatae ab agente, (*magia naturalis*) ſive quia vere impares effectui adiutorio ſpiritus cuiusdam clandeſtino adaugentur, (*praeſtigiae, Hexerey.*) Eius duo videntur conſtitui poſſe ordines, *incantationes* ſ. faſcinationes (*βασκανος*) quae ad fallendos ſenſus maxime ſpectant, et hariolationes ſ. *divinationes.* E primo genere morbi immiſſi infantibus maxime et pecudi, glaucomata oculis offuſa, damna abſentibus illata, inuſitatae artes ac pacta ſ. commercia cum Satana, mille artifice, derivantur: quas qui pollent, ſagae dictae ſunt, quas *Cicero de divinatione* L. I. c. 31. definit anus, quae multa ſcire volunt. Quam autem multiformis ſit ſuperſtitio, quam latus erroris campus, non attinet dicere hoc loco. Ablegamus autem, qui reſci-

re

re talia cupiat, ad *Balth.* BEKKERS *bezauberte Welt Amst.* 691. et HAVBER *bibl. mag.* supra laudatam. Quibus lectis nemo fere dubitet, vel rumores, vel inscitiam artis neturalis atque plebeculae praeiudicia magiae naturalis effectus, qui facile percellunt, ab ipso daemone repetiisse, vel fraudibus deceptos homines poenam levitatis luisse. Neque valebunt contra exempla illustria atque indubia testimonia obscura, quae *de* HAEN (*l. de Magia Vindob.* 775.) non veritus est proferre atque commendare. Quodsi quis exemplis fraudis vel inscitiae non vincitur, cogitet, huius generis portentis obscura tempora foecundissima fuisse. Namque quanto quis rudior scientiarum, tanto facilius stupet inusitata ac decipitur. Quomodo denique iuvari homines dicas a daemone, qui, quoniam natura puriore fruitur, rerum corporearum vires vel cognoscendi vel regundi opportunitate tanta, quanta nobis inter corpora versatis conceditur, minime frui videtur: nec circa divinam voluntatem abuti corporibus queat? Sed quisnam Deum veniam decipiendi homines ac vexandi, impuris spiritibus ereptam virtute Christi, restituere, atque dimittere captivos e carceribus, maioris noxae causa, sibi persuadeat? Postremo si tempestates daemonibus parent, obfuscantur oculi, patent futura; miserum sane patronum, qui goëtas, sagas, incantatrices similiaque instrumenta fraudis suae impune cruciari permisit? At enim commemorat S. Scr. artes haud profecto inanes, כשפים magos, eosque refugere ac suppliciis adficere iubet. Nec ego eas plane inanes credam, sed in aliis scientiam occultam s. magiam naturalem *Exod.* 7, 22. in aliis artis quandam praesumtionem agnosco. Nec dirum nimis ac crudele supplicium videtur, a severo legislatore hominibus vafris ac veneficis destinatum, si expendas, quantum ex hac superstitione periculum immineat tum plebi, rudi ac

 levi

levi novarumque rerum cupidae, tum ipsi religioni cultuique divino, a quo facile avertitur animus insolentia spectaculorum deceptus. Namque qui rerum naturalium usum minus tenent, existimant magna edi miracula, cum nihil minus sint. Alterum genus magiae divinationes diximus, quarum varias formas, auguria, hariolationes, necromantiam scriptura *Es.* 8, 19. expressit; verum quanquam fuisse ex his locis constet, qui futiles artes exercerent, tamen de daemonis vi atque adiutorio nuspiam legimus, nec certi aliquid habent divinationes, sed sagaces homines saepe praevident futura, aut leves quidam homines ex coniecturis utcunque colligunt, quae non dubitant tanquam certissima adseverare. Nihil autem negotii, quanquam multis verbis defendant ecclesiae patres, diabolo in oraculis gentilium atque auguriis fuisse, sed omnia ab imposturis sacerdotum pependisse, post A. v. DALE libr. *de oraculis veterum ethnicorum. Amst.* 700. nemo fere dubitabit.

cf. Chr. THOMASIVS *theses de crimine magiae. Hal.* 701. (*German.* 775.) *v.* S. ANDRE *Briefe von der Zauberey übers. von Th. Arnold. Lips.* 727. MVRATORI *Arte magica annihilata. Const. Fr.* de CAVZ *de cultibus magicis Ed.* 2. *Vindob.* 771. D. F. STERZINGER *Academische Rede von dem gemeinen Vorurtheil der wirkenden und thaetigen Hexerey. Münch.* 766. *I. M. Max. v.* EINZING *Daemonologie* 775. EBERHARD *über die sogenannte Magie in Semlers Auffaezen über die Gasner. und Schroepf. Geisterbeschvv. P. II. Balth* BECKER *bezauberte Welt* nuper ed. a *G. Schvvager. Hal.* 780. 81.

Obs. 3. Denique *spectrorum* daemonumque incuborum et succuborum terriculamenta, quibus diabolus illudere dicitur, facessant. Nec enim existimandum est, diaboli, corpore orbi arctisque carceribus circumscripti, maniumque infero-

ferorum, qui procul ab his terris vivunt, vel eam esse vim, ut sponte apparitionibus terreant, vel statum tam vilem, ut hominis nutu a sedibus inferis evocari sese patiantur. Sed si turpe sit homini liberali ac prudenti, anicularum rumoribus confidere, in plurimis exemplis, quae umbrarum spectaculis fidem faciant, fraudes sive sensuum nostrorum et imaginationis, quae umbrarum species in varias formas transmutat, sive hominum malignorum levitate alterius abutentium latere, cauto examine instituto propiusque consideratis speciebus intelligemus: e quo genere Endoreae spectacula 1 *Sam.* 28, 6. sqq. ac, qui nuper, posteris etiam miraturis, Saxones larvis terruit, Schroepferi fuisse, viri prudentes agnoverunt.

Obs. 4. Ceterum quum tanta vis sit erroris inveterati atque in hac superstitione tanta pietatis vitaeque beatae impedimenta reperiantur, eo magis hoc erit agendum, ut vim Satanae nec metuamus nec augeamus, quod solent ii, qui ad diabolum autorem, ipsi superstitionis ac fraudis foedissimae autores, morbos, phantasmata et rel. referunt. Quibus impostoribus, mentis quietem turbaturis, ut et magistratus et doctores aditum ad animos praecludant, vehementer optari debet: doctores quidem institutione ac admonitionibus, quomodo insolitarum rerum causae possint indagari atque in malis naturalibus naturae vitium opportunis remediis infringi: magistratus autem non inquisitionibus et suppliciis, ad alendam potius quam ad extinguendam superstitionem efficacibus, non rogis exstructis et flammarum terroribus, sed consilio ac vigilantia, ne vel cupida plebs praestigiis detineatur, vel prudentia hominum atque ars in suspicionem temere adducatur. Idque facile efficietur, ubi imposturarum origines perscrutari veliat.

§. 146.

g) Ordines et numerus daemonum.

Principem atque praeſidem daemonum ſcriptura nominat *Luc.* 11, 15. *Matth.* 25, 41. numerum autem ſpirituum miſerorum nemo auſit definire.

Obſ. Legimus hominem veſanum *Luc.* 8, 30, daemoni ſuo *legionis* nomen vindicare: verum quis multos eſſe daemones pronuntiet propter ſermonem hominis, qui, ſi integra mente praeditus talia fatus eſſet, vix autor eſſet idoneus, iam delirans atque aegro animo locutus plane repudiandus erit? Neque patres eccleſiae audiendi ſunt, qui citra ſcripturae autoritatem uniuscuiusque hominis comitem, ut tutelarem angelum, ita inſenſum daemonem adeſſe confingunt. De variis angelorum malorum *nominibus*, Samaël, Aſmodi et al. cf. *Th.* HACKSPAN *diſput. in Sylloge diſp. theol.* Alt. 661. p. 232. ſq,

cf. I. G. MAYER *hiſtoria diaboli* etc. *Tub.* 8. 1780. copioſe ſcripta, et in contrariam partem praeter autt. laudatos: *Verſuch einer bibliſchen Daemonologie. Halle* 1776. Ad hiſtoriam cf. *I. F. Cotta hiſt. dogm. de angelis. Tub.* 1765. 66. *Iac. Ode tr. de angelis Traj.* 1739.

EXCVRSVS SECVNDVS.

DE CREATIONE AC STATV PRIMAEVO HOMINIS.

§. 147.

Diviſio.

Praeſtantior reliquis viſibilibus creaturis ſive corporis ſtructura ſive animi virtute, qua ratio-

ratione a Deo creatus ſit, nos, quibus noſtri generis hiſtoria prae ceteris memoratu digna videtur, multum refert intelligere. Itaque *primum* de *natura hominis*, *deinde* de *hiſtoria creationis* et *ſtatu hominis* poſt creationem, *denique* de *propagatione* generis humani duce Scr. ſacra pauca exponemus.

Obſ. Ad hiſtoriam pertinet *modus*, *tempus*, *locus* ac *conſilium* creationis, de quibus ſigillatim diſpiciemus.

§. 148.

A) *Natura hominis.*

α) *partes hominis.*

Perfectum hominem animo et corpore conſtare, tum ex multis S. Scr. teſtimoniis *Eccl.* 12, 7. *Matth* 10, 28. 1 *Theſſ.* 5, 23. tum e ſenſibus noſtris perſpicuum eſt, quibus docemur, praeter corporis molem eſſe aliquid in nobis, quo vivimus et ſentimus, quo agitamur et intelligimus, quod animam dicimus, cuius de natura philoſophi diſputant, ſacrae literae nihil definiunt, nec multum opus eſt, multa diſputare.

Obſ. 1. Occurrunt quidem in ſcripturis loci, in quibus diſtingui anima et ſpiritus videntur 1 *Theſſ.* 5, 23. *Ebr.* 4, 12. quare quibusdam placuit, ad rationem Platonis, tres hominum partes ſubſtantiales conſtituere. Graeci quidem πνευμα ſ. νουν ſolent τῃ ψυχῃ iungere, et utrumque σωματι opponere, ita quidem, ut πνευμα ad intelligendi facultatem, ψυχη ad cupiditates animi referatur. Solent et noſtri πνευμα vim motusque puriores a ψυχῃ ſ. facultatibus animi, quae a ſenſibus externis aliquid impuritatis contrahunt (facultatibus inferioribus) atque ad animalem rationem propius accedunt, diſtinguere. Similiter Iu-

daei רוח et נפש opponunt. In Paulo tamen nescio an de discrimine illo cogitari possit. Praestabilius sane erit totam istam partitionem, omissa subtilitate metaphysica, revocare ad leges orationis copiosae ac concitatioris, quae solet cumulare voces, ut totam rem exhauriat, quod iam *Augustinus de anima* L. 4. c. 21. agnovit.

Obs. 2. Animi appellatio ut in plurimis linguis, ita in hebraea, reliquis longe impliciore, ab afflatu et spiratione deducitur. Est enim רוח (de quo supra coëgimus varios significatus §. 81. Obs. 1. p. 249.) et נפש, quod proprie spiraculum dicitur, s. anhelitus, qui cum sit vitae indicium praesentissimum, vocabulum transfertur ad usus varios, atque vitam *Ps.* 49, 9. 16. deinde vitae causam s. animum *Ps.* 16, 10. denique quidquid est in animo, sensus atque adfectiones, significat. Similiter graeci ψυχην dicunt ab halitu, latini animum quasi ανεμος. Sed eius naturam non legimus in s. literis explicari, nisi quod corpori opponatur atque, cum hoc e materia elementari atque terrena formetur, diversa plane ratione a Deo venire *Eccl.* 12, 7. tradatur.

cf. G. F. SEILER *Psychologia S. Erl.* 778. 79.

Obs. 3. Tria potissimum capita, cum de animi humani natura disputatur, philosophorum atque theologorum ingenia exercuere. Primum, utrum *materia* sit materiaeve affinis an purioris indolis? alterum, quaenam *origines* sint animi humani, tertium de *immortalitate*. Atque secundum quidem caput tangemus, cum de propagatione generis humani disseretur: tertium locus de statu post mortem sibi vindicabit. Sed in prima quaestione definienda, cum nihil adiuvemur scripturae testimoniis, nisi quod ea alias animi, alias corporis esse adfectiones tradat, universa disputatio

ad

ad philoſophorum ſcholas et obſervationes pertinet, quibus ſi quis inductus neget purum omnino a materia ſpiritum, non auſim ut impium repudiare. Etenim ſenſus, ideas, operationes animi a corpore pendere nervorumque aedificio ac cerebri motibus, communi docemur experientia, quae ſatis probabilem reddit eorum ſententiam, qui, diverſis licet ſtudiis atque infeſto ſaepe in religionem animo, ſimplicitatem (quam philoſophi vocant) animi humani in dubitationem auſint vocare. Neque haec opinio vel dignitati animi detrahit aliquid, vel mortalem illum neceſſario ſtatuit. Etenim primum conceditur, brutis animantibus ſuam eſſe animam, ſic tamen, ut ad dignitatem hominis adſpirare illis nullo modo liceat atque ab hoc intelligentia liberaque voluntate ſemper vincantur. Deinde cum, ſi ſpiritus ſit, nemo neget, quin a Deo morti tradi poſſit, nobis viciſſim poſtulamus, ut concedatur, non modo tantam eſſe virtutem divinam, ut materiam quoque valeat ad perennitatem adducere corpusque immortale facere, ſi velit, verum etiam ſubtilioris longe materiae corpuſculum morti ac deſtructioni corporis elementaris minime ſubiici atque eo proſtrato per voluntatem omnipotentis creatoris omnino poſſe perdurare. Sed de his malumus philoſophos audiri.

cf. *Leonh.* EVLER *Enodatio quaeſtionis utrum materiae cogitandi facultas tribui poſſit?* *in opuſc. varii argum. Berol.* 746. 8. *Hub.* HAYER *la Spiritualité et l'immortalité de l'ame Pariſ.* 757. *Tomi III.* 12. *B. L.* TRALLES *de animae exiſtentis immaterialitate etc. Wratisl.* 774. 8. *I. G.* SVLZER *Gedanken über einige Eigenſchaften der Seele, in ſo ferne ſie mit den Eigenſchaften der Materie eine Aehnlichkeit haben, in vermiſchten philoſoph. Schr. N.* 12. *Leipz.* 773. 8. *Verſuch über den*

Vrſprung der menſchlichen Erkenntniſſ. v. Abbé *Condillac* überſ. v. M. *Hiſzmann* Lipſ. 1780.

Obſ. 4. Tota corporis ſtructura, ſenſuum ſedes et organa, membrorum compages ac aedificium plenum eſt dignitatis atque artificii ac, etſi e vili materia coaleſcat, tamen adeo eminet, ut nihil fingi poſſit praeſtantius.

§. 149.

β) *Conſilium creatorum hominum.*

Inſignitos tot tantisque dotibus homines conſentaneum eſt divinae ſapientiae (§. 87.) longe auguſtiore reliquis animantibus conſilio vivere. *Pſ.* 8. Nam et maiorem felicitatem capiunt per naturam ſuam et ad illam conſequendam aptiſſimi reperiuntur. Oportet igitur ſcire, tum quaenam ſit felicitatis humanae ratio, tum quomodo eam obtineamus. Atque hoc quidem exiſtit in animi cultura et quiete, in artium corporisque exercitiis, in ſocietate ac honeſto rerum reliquarum uſu, denique in ſpe perennis vitae, in qua votorum atque virium noſtrarum complementum conſequemur. *Gen.* 1, 26. *Eccl.* 2, 24. 3, 12. 5, 17.

Obſ. 1. *Eccleſiaſtes Cap.* 2, 24. 5, 17. 3, 12. ſq. 9, 9. 4, 9. cum quidem, quam multa imperfecta relinquantur, cum dolore ſuo intellexiſſet, optimam huius vitae uſuram dicit hanc: *frui bonis praeſentibus*, *animique tranquillitate*, *ſocietatem colere*, *ſtudere qualicunque labori et viribus ſuis uti*, ne quis fruſtra vixiſſe videatur. v. et *Gen.* 1, 26. *Act.* 17, 25. 27. Quare non valde probem dicta eorum, qui omnis vitae praeſentis conſilium et felicitatis centrum dicunt ſtatum futurum; recte quidem, ſi ampliora praeſentibus bona ſperare iubent ac monent, futurum eſſe, ut digna olim

noſtris

nostris factis praemia obtineamus, non tamen sic, ut omnis humanae felicitatis spes et fructus huius vitae miseriis quasi expellatur. cf. TOELLNER *theol. Vntesuch. T. I. p.* 402. *Ist das gegenvvaertige Leben nur eine Prüfungszeit? I, Ioach.* SPALDING *von der Bestimmung des Menschen. Lips.* 763. 8. ZOLLIKOFER *Predigten über die Würde des Menschen. Leipz.* 1783.

§. 150.

B) *Origo generis humani.*

א) *historia creationis.*

a) modus.

Origines generis humani e Mose discimus *Gen.* 1, 27. 2, 7, 21—24. unde constat, *primum* Adamum e terra procreatum fuisse, *Gen.* 2, 7. 3, 19. *Eccl.* 12, 7. 1 *Cor.* 15, 47. *post* ex Adamo Evam venisse *Gen.* 2, 18—24. 1 *Cor.* 11, 8. *adeoque* ab uno *totum* genus humanum derivari. *Act.* 17, 26. Ceterum de origine animae e Mosaica narratione, quae in rebus sensibilibus subsistit, nihil liquidi constat.

Obs. 1. Offendit nonnullos numinis ante hominem procreatum deliberatio *Gen.* 1, 26. frustra quidem, ubi teneas, deberi hanc scenam poetae ingenio, qui, ut dignitatem ac praestantiam hominis monstraret, eleganti imagine usus est. Dicta *Gen.* 2, 7. quae plurimi de animae creatione proponunt, si usum hebraicum poeticumque spectes, aptius exponentur; *effecitque ut spiritum per nares duceret*, pulchram sine vita statuam vitae, cuius praesentissimum signum videmus in spiritu, usura beavit. Concinunt sequentia: *atque sic iam homo vivere coepit.*

Obs.

Obſ. 2. Foeminae origines e particula corporis Adami *Gen.* 2, 21. 22. alii quidem, ut effugiant maleſanas quorundam Moſaicae narrationis criminationes, a poeta confictas eſſe contendunt, ſuffragante LESSIO *pract. Dogm.* §. 95. ſed ego non auſim vel propter inſulſa vanorum hominum dicta vel propter difficultates quasdam narrationis fidem planam v. 22. Paulina diſputatione 1 *Cor.* 11, 8. comprobatam, abiicere.

Obſ. 3. Satis ſit, commento de *Praeadamitis*, quod *Iſ* PEYRERIVS *in libro: Praeadamitae. Amſt.* 655. ſuperiori ſeculo ornavit, ac nuper repetere viſus eſt Autor libri (*v. Irvving*) *Verſuche über den Vrſprung der Erkenntniſſ der Wahrheit und der Wiſſenſchaften Berl.* 1781.) quanquam is non dubitet Adamum generis noſtri conditorem agnoſcere, poſtquam prioris cuiusdam orbis interitum evaſiſſet) ſacrarum literarum fidem opponere: quanquam etiam hominum, qui caelo, aëre, climate, victu moribusque vivendi diverſis formam coloremque immutarunt, ſtirpem communem communis omnium natura ac ſtructura corporis oſtendat: et ex hiſtoriarum monumentis, quae florentiſſimarum gentium origines haud adeo antiquas perhibent, humani generis ab una familia propagatio haud obſcure colligi poſſit.

cf. *Sam.* MARESII *refutatio fabulae praeadamiticae. Groen.* 1656. *I. A.* FABRICIVS *diſſ. de hominibus, orbis noſtri incolis, ſpecie et ortu avito inter ſe non differentibus in Sylloge opuſc. Hamb.* 738. *de* PAVW *Recherches philoſophiques ſur les Americains. P. I. p.* 175. *S.* MVRSINNA *diſſ. de origine generis humani. H. I.* VELTHVSEN *Nachforſchungen über den Vrſprung der Erkenntniſs etc. Helmſt.* 1782.

§. 151.

b) *Tempus* et c) *locus creationis.*

Post praeparatum instructumque orbem Adamus formatur, *Gen.* 1, 27. cui, postquam in amoenissimis regionibus (Paradisum vocant) sedem fixit, *Gen.* 2, 8. socia Eva adiungitur. *Gen.* 2, 21. 22.

Obs. 1. Negavit nuper I. F. GRVNERVS in *pract. Einleit. in die Rel.* §. 228. Evam eodem cum Adamo die creatam fuisse: argumentis satis probabilius.

Obs. 2. Primam hominis sedem traditio *paradisum* Persico vocabulo (*Eccl.* 2, 5.), Moses גן *hortum*, regionem floribus arboribusque frugiferis amoenissimam vocant, cuius situs *Gen.* 2, 9—14. describitur primum a coeli plaga, בעדן מקדם *in Eden versus orientem:* deinde a fluviorum confiniis, *Phisonis*, quem *Araxen* plurimi esse volunt, *Hiddekel* s. *Tigridis*, *Phrat* s. *Euphratis*, denique incerti plane *Gihon.* Quae si legamus, in Armeniae provincia primo loco constitutum vixisse hominem, non omni caret specie. Frustra tamen hodie quaeruntur in his regionibus antiqui floris et amoenitatis vestigia. Nam et tempus saepe mutat provinciarum fata et amoenitatem: bellis decus perit, atque post diluvium per eas regiones vehementius erumpens vix quisquam pristini splendoris quaerat reliquias. Est tamen illa provincia nostro quoque tempore in amoenissimis ac beatissimis, sive coeli temperiem sive telluris et regionis feracitatem fructuumque delicias spectes.

Qui velit, adeat *Dan.* HVETIVM *de situ paradisi terrestris* adi. *Demonstr. Evangel. Lips.* 694. *Hadr.* RELAND *de situ Paradisi terrestris Trai ad Rhen.* 706. inserta *diss. miscell. P. I. p.* 1. *T. H. van den* HONERT *de situ Edenis in Diss. eius historicis. L. B.* 728.

§. 152.

§. 152.

d) Consilium creati hominis.

Non autem alio fine creati duo homines sunt, quam ut coniuges *Gen.* 2, 18. propagarent genus suum, *Gen.* 1, 26. 27 atque agriculturam exercerent, *cap.* 2, 5. 15. utque posteritas una stirpe prognata, ut sanguinis, ita amicitiae arctissimis vinculis contineretur. *Act.* 17, 26.

§. 153.

Status primitivus hominum.

α) Fontes eum cognoscendi.

Indoles, quam homines ab ipsis creatoris manibus sibi impressam habuere, (*imaginem divinam* vocant scholastici, ex *Gen.* 1, 26. nos ἁπλότητα dicere mallemus ex 2 *Cor.* 11, 3. *Stand der Unschuld*) ea perfectione excelluit, quae fuit et naturae humanae et consilio divino consentanea. *Gen.* 1, 26. Qualis autem fuerit, vix satis vel e locis, quibus imaginis divinae aut praesentia *Gen.* 1, 26. 5, 1. aut restauratio *Col.* 3, 10. *Eph.* 4, 24. laudatur, vel ex iis, quae infantiam generis humani describunt *Gen.* 2, 15. *seqq.* colligitur, tutiusque e consilio creatoris (§. 152.) declaratur.

Obs. Verbo explicanda erit *similitudinis* s. *imaginis* divinae notio. Atque primum dubitari nequit, quin hominis privilegium fuerit imago divina impressa, negatum reliquis orbis nostri animantibus. Omnis imago nititur similitudine s. qualitatibus iisdem in uno expressis, quae sunt in

altero. Iam quanquam nunquam eo progredietur temeritas humana, ut hominem attributis divinis instrui posse sibi blandiatur, tamen non absurdum erit, tenere analogiam quandam adfectionum, quae cernitur in Deo atque diverso licet gradu et per umbrarum speciem ostenduntur ab humana natura, sive physicarum tum ipsa ratione, tum imperio divino, *Gen.* 1, 26. 27. sive moralium, sanctitate et iustitia. Quidquid igitur admiramur in homine, multo autem excellentius divinitati inesse putamus, in eo exemplum divinum dicimus expressum.

§. 154.

β) *Indoles ipsa.*

Sed illa perfectio *dupliciter* spectatur; *altera*, quam per naturam suam habuit, *animi corporisque* dotes eximias (*interna*): *altera*, quae aliunde accessit privilegio divino (*externa*).

§. 155.

אא) *Perfectio interna.*

1) *Animi*, *a*) *intellectus*.

Primum igitur ratio est, qua nihil habet homo magis divinum, s. facultas rerum obiectarum modum cognoscendi, quae ut est praestantissimum naturae humanae munus, in isto statu nec otiosa et tenuis esse potuit, qualis est in infante, nec adeo magnifica, ut omnia amplecti atque penetrare potuerit, qualem quidam in angelis suspicantur. Neque adeo magnifice de scientia et notitiis Adami sentimus, qui per sensus erudiri, *Gen.* 29, 1. *etc.* incapax veritatis sublimioris, ab errore haud immunis, atque nonnisi vi attendendi atque opportunitate obser-

servandi res obiectas, in illo animi vigore et serenitate, forsitan et divinis revelationibus, quanquam ad sensuum rationem accomodatis, adiutus subita incrementa capere debuit.

Obs. 1. Multa sunt, quae, Iudaeis autoribus, interpretes Christiani fabulantur de *notitiis* Adami, in rebus physicis, quae a nomine animantibus indito elucere existimant. Verum tota illa historia liberalius, quam fert Mosaica dictio, exponitur. Namque cum vellet Deus ingenium hominis creati et facultatem loquendi concreatam exercere, deinde generis sui desiderium excitare in homine vitamque sine socio facere pertaesam, essetque Adamus in ea regione constitutus, quae omnia animalium genera alebat; vis animi adspectum animantium arripuit ingeniumque, delectatum praesentia, varietate, sonisque avium et quadrupedum familiarium, sonos sine dubio, ut solet balbutiens aetas, in animalibus domesticis, imitatum, nominis inventor extitit,

Obs. 2. Quodsi expendamus, quod parum utilitatis a copiosiore et subtiliore scientia in protoplastos redundaverit, cum et indigentiis suis paucis largissime prospexisset creator et, quae est praecipua pars, officiorum cognitio ad pauca capita cogi potuerit; quod non possint notitiae clarae et amplae ac subtiles sine verbis existere; quod consentaneum sit, homines cum primum coëunt in societatem, sensibus potius, quam scientia regi, atque exercitiis evehere notitias; quod facile in errorem se induci passus fuerit Adamus, facile iterum veniam delicti consecutus; denique quod omnem scientiam rerum utilium et bonarum Adami aut post lapsum uno ictu deletam, aut prius quam peccaret tenuem fuisse, statuendum sit, illud autem omnino negari debeat: non sane videtur alienum, nobis multo etiam maiores rerum humanarum noti-

notitias, quam Adamo, tribuere. Ille facultatibus eminuit, nos usu et experientia: ille viribus vicit, nos aetare.

cf. omnino comment *Von den Vollkommenheiten der ersten Menschen, in* (IVNGE) *philos. und theol. Aufsaezen* 1 *St. Nbg.* 779. *p.* 231. et G. Iul. CONERS *Versuch einer christlichen Anthropologie C. III.* (*Berl.* 1781.)

§. 156.

b) *voluntatis.*

Iungitur rationi voluntas, et in statu perfectiori animi *rectitudo*, quae *primum* aliena est a vitii contagio, *dein* fertur numinis reverentia et amore, et studio, quidquid Deo gratum cognoscitur sive instinctu et sensu, sive revelatione, id strenue peragendi, ut solent pueri bonae indolis, *denique* conscientia recte factorum componitur. [*Col.* 3, 10. *Eph.* 4, 25.] Verum nec huius sanctitatis magna dignitas fuit, cum nondum esset exercitiis subacta et adaucta, nec periculo caruit sensuumque fraudes evitare potuit.

Obs. 1. Theologi eam animi rectitudinem primaevam, *imaginem Dei stricte dictam* vocant, vel *iustitiam originalem*, ut est in *Apologia conf. Aug. Art. de pecc. orig p.* 53. *ed. Rechenb.* nixi admonitione Pauli *Col.* 3, 10. *Eph.* 4, 25. ubi iubemur *renovari ad imaginem divinam* εις επιγνωσιν et εν δικαιοσυνη και οσιοτητι. Sed planum est, τον κτισαντα Deum dici, non propter creationem primam, sed per vim, qua nos in meliorem statum, ad societatem Christianam adducit atque efformat virtute animum. Nolim quoque argutari in voce ανακαινουν, eamque de *restitutione* imaginis divinae s. rectitudinis originalis exponere. Etenim, si κατ' ανθρωπον liceat disputa-

re, inanis cohortatio est, cum per universam vitam integritatem primitivam nemo possit, intensissimis licet studiis, consequi: deinde ex usu loquendi et loco parallelo *Eph.* 4, 24. patet, αναϰ. poni pro ενδυσασθαι ϰαινον ανθρωπον *mente immutari, ita, ut ad absolutissimum exemplar divinum te componas.* Laudant alii *Eccles.* 7, 30. verum ambiguus locus exponendus videtur: *Deus recte cum homine agit*, nihil est in gubernatione divina vitiosum, nihil mancum. Ceterum quandoquidem studium recte agendi iam maxime impeditur sensuum impetu et intemperantia hinc nimis adaucta, quoniam ab infantia sensibus regimur, quorum imperium rationis usum praevertit, essetque in primo homine rationis atque sensuum id temperamentum, ut rationis matura vis, sensuum minor efficacia atque vehementia existeret: consequitur, ut animum, iam corruptum, in eo statu saniorem multo ac integrum viguisse statuamus.

Obs. 2. Multa autem cautione opus est, ne nimis magnam sententiam informemus de rectitudine primitiva. Nam primum perfecta virtus, sine exercitiis ac fere sine praestructis notitiis habitualis, in ipsa hominum infantia, contra naturam quaeritur. Omnis iustitia pendet a cognitione certa, quae quanto arctioribus limitibus continetur, tanto tenuiorem virtutem efficit. Quomodo autem absolutam numeris suis sanctitatem laudemus in homine, cui nullae fere essent exercendi pietatem, quae officiis continetur, opportunitates, nullae, quae possint in contrarium rapere, vitiorum illecebrae, leges et numero paucae et argumento haud difficiles, corpus sanum, tot amoris divini commendationes, atque breve sine dubio status benignioris spatium? Denique excellens illa opinio ipso exitu tristique ad omnem posteritatem experimento, peccati facilitate, satis refellitur.

§. 157.

§. 157.

2) *corporis.* αα) *facultates.*

Corporis indoles (quam tamen minus apte referunt ad imaginem divinam) praeter communem humani aedificii ſtructuram ac dignitatem, excellens reperitur formoſitate, intemerato vigore (qui adiuvaret animi rectitudinem) et immortalitate *Gen.* 2, 16. 17. *Rom.* 5, 12.

Obſ. Immunem a morborum cruciatibus mortisque periculo atque imperio corpus demonſtrant interdictum et comminationes *Gen.* 2, 16. 17. 3, 3. ac diſertum Pauli teſtimonium *Rom.* 5, 12. 6, 23. Atque nos quidem cum corpus mortis veneno infectum circumferimus, indolem corporis humani primitivam vix ſatis tuto e mortiferi corporis ſtructura atque adfectionibus aeſtimamus. Concedam autem, non poſſe ſublimiores orbes occupari a materia terrena, ſenſuumque rationes ita inſtrui, ut nonniſi in his terris uti iis queamus, adeoque, cum perpetuam hominibus in his oris ſedem nemo facile adſignare Deum voluiſſe contendat, futurum omnino fuiſſe, ut depoſitis huius corporis exuviis vivere inter homines deſineret: tamen non omnis corporis mutatio terribili mortis nomine venit. Potuit omnino craſſior materia corporis etiam ſine doloris ſenſu attenuari atque ex illa corpuſculum ſubtilius et πνευματικον 1 *Cor.* 15, 51. prodire. Sunt quoque, qui vigori corporis conſervando deſtinatam fuiſſe arborem, עץ חיים *Gen.* 2, 9. 3, 22. *arborem vitalem*, ſuſpicantur. Quibus obſervatis Socinianorum de corpore mortali diſputationes verborum potius quam rerum erunt.

§. 158.

ββ) Usus corporis.

Vigore corporis protoplasti sine dubio usi sunt *agricultura* exercenda, *contemplatione universi* ac, quantum opus erat, *sermone*, qui tamen plurimum a nostro diversus fuit.

Obs. Gravis nuper commota fuit quaestio *de origine sermonis*, quam alii singulari Dei beneficio vindicant, alii humano ingenio ut inventori tribuunt. Mihi quidem omnis lis facile componi posse videtur. Nam primum oportet Dei beneficium ab iis quoque agnosci grata mente et laudari, qui inventores sermonis homines iudicant. Omnis lingua duabus rebus continetur, rerum imaginibus, animo impressis, atque sonorum varietate, oriunda tum ab oris et organorum structura, tum a compositione sonorum. Illa corporis est: haec ingenii iudicium postulat. Deum igitur, qui sic construxit hominem, ut sonos distinctos ac mirum in modum multiplices edere, utque diversissimos sonos verborum componere iisque ideas subiicere posset, animo exornavit, nemo pius ab inventione sermonis excludat. Deinde sive historiam consulam sive, qualis fuerit primaevi hominis status, expendam, multa suadent, ut a iudicio et arte hominum sermonis origines repetantur. Historia docemur, antiquissimam quamque linguam fuisse simplicissimam, vocabulis brevibus et paucis, abruptis dicendi formis atque sic instrui, ut primum gestibus semper aliquid ad significationem, dein artibus ad culturam relinqueretur. Iam si Deus Adamo linguam excultam et numeris suis absolutam voluisset cum rebus ipsis concreare, unde quaeso factum dicamus, ut ea interiret ipsisque insecuturis gentibus inveniendi

vocum

vocum sonos, flexiones, ornatum, vel potestas permitteretur, vel necessitas imponeretur? Porro linguae copia et cultura oritur ex artibus et copia rerum. Quomodo autem cum nondum artes essent inventae, natura paucis contenta viveret, pauca denique et singularia tantum (individua) obiicerentur oculis, varietatem, elegantiam, copiam sermonis fas sit sperare? Maiores autem ex ipso statu hominis difficultates suboriuntur. Nemo quidem sapiens beneficia largitur, quorum nullus sit usus, nulla iis utendi opportunitas. Quisnam autem hanc sapientiae legem secutum Deum existimet, si hominem copioso atque exculto sermone instructum creavisse defendamus? Quemadmodum enim societas humana expolit atque ornat linguas, postulatque vicissim sermonis usum, ita vitae solitariae nihil utilitatis ex usu sermonis accedit. Ideas autem et imagines rerum nemo neget cogi sine vocabulis, quae sunt imaginum significationes easque non tam informant in animo, sed ansam praebent tenendi informatas ac in mentem revocandi. Solet simplicior aetas animi motus declarare, verum sine sermone, sonis rudibus, risu, eiulatu, suspiriis, atque gestibus et factis. Quare sine ullo dispendio carere poterant protoplasti sermonis usu, cum adhuc solitariam vitam agerent, nullaque re laborarent. Denique cum a Deo videamus ingenio atque exercitiis hominum relinqui, quidquid viribus concreatis effici et experientia comparari possit, non dubito, quin eadem methodo usus facultatem concreaverit edendi sonos, cui feliciter excultae novisque subinde incrementis adauctae linguae primitivae origines debentur. Initia fiunt a sonis naturalibus, accedit animantium imitatio et ονοματοποιησις, denique novis rebus inventis nova nomina e veteribus inveniuntur. Egregie *Sam.* WERENFELS *diss. de loquela* (*in*

diss. var. argumenti. T. II. Amst. 716. p. 111.) *Negari non potest, Adamum non modo plurimas res, qualitates et actiones ignorasse, imo de iis ne quidem cogitasse, quarum nomina idcirco nota ipsi esse non potuerunt, nisi dicere velimus, signorum cognitionem res significatas praecessisse. Addamus omnia artium vocabula, rerumque innumerabilium humana arte et industria factarum, nimirum illa nominare potuisset, quae tum ne quidem in mentem ipsi venire potuerunt. Ac praeterea quot nunc vocabula habemus earum, quae in statu innocentiae ignotae semper fuissent, rerum et artium, quarum tum nullus fuisset usus. Nominare Adam, credo, potuit omnia vestimentorum genera, sutores variaque eorum instrumenta, omnes cibos, cupedias — aedificiorum partes — qui nudus fuit, simplicissimo victu contentus, sub dio habitans. — Percurrat aliquis, nisi molestum est, Lexicon quoddam cuiuscunque linguae atque unum vocabulum post aliud legendo consideret, an etiam huius rei, quae illo vocabulo significatur, aliquam Adam in statu innocentiae cognitionem habuerit, an de ea cogitasse verisimile sit. Si id non videtur, deleat, tandemque quid reliquum sit huius linguae Adamicae videat, is sane mirabitur esse quenquam, qui integram linguam a Deo Adamo inditam esse, credere possit.*

cf. I. P. SVSSMILCH *Versuch eines Bevveises, daſs die erste Sprache ihren Vrsprung nicht von Menschen sondern allein vom Schoepfer erhalten habe. Berl. 766.* (*Diet.* TIEDEMANN) *Versuch einer Erklaerung des Vrsprungs der Sprachen Riga. 772.* (I. N. TETENS) *Veber den Vrsprung der Sprache und der Schrift. Buzov. 772.* I. G. HERDER *Abh. über den Vrsprung der Sprache. Berol. 778. Ph. Iac.* MVLLER *de origine sermonis diss. I. et I. Argentor 777.* et eiusd. *positiones historico philos. de origine sermonis,* quae

multa

multa historica tractat. *ibid.* 777. IERVSALEM *Betr.* über *christl. Religion, T. II. p.* 134. *seq.* Veterum placita coëgit MORHOF. *Polyhist. T. I. L.* 4. 1. *p.* 719. *seq.*

§. 159.

בב) *externae. a) dominium in res creatas.*

Praeter hanc naturae dignitatem nova eminuit homo, quem Deus dominum huius orbis constituit, atque imperio in reliqua animantia instruxit, ut hac inprimis parte supremi omnium domini imaginem referret. *Gen.* 1, 26. (*der Repraesentant der Gottheit.*) Cernitur autem primum in iure, rebus omnibus pro arbitrio sive ad sustentationem sive ad reliqua commoda et voluptatem vitae terrenae, sive ad alendum religionis sensum utendi. *Ps.* 8, *tot.* deinde in vi atque potentia flectendi animalia, denique ipso sensu dignitatis humanae, qualem hodie adhuc animantibus inesse animadvertimus.

Obs. 1. Iucunde fabulantur multi de animantibus ad hominum nutus paratissimis, de mansuetudine leonum, tigridum etc. quae risum potius quam admirationem moveant. Ne vitae quidem ius in animantia concessum videbitur legenti *Gen.* 1, 29. quamvis nihil homini a feris timendum esset. *Gen.* 1, 30.

Obs. 2. Ex hoc argumento patet quanta homines dignitate emineant, et quantum revereri deceat hominem, huius orbis dominum, et Dei quasi vicarium, denique quam turpe sit, servire rebus terrenis atque imperium homini concessum reiicere.

§. 160.

b) Contemplatio et usus rerum.

Accedit recentis orbis contemplatio, sedes amoenissima, societas cum coniuge suavissima, propitio cum Deo commercium, forsan et spes perennitatis, unde non potuit non summa, quam tunc capiebat infantilis hominum aetas, oriri felicitas.

§. 161.

Affectiones imaginis divinae.

Erant autem dotes tam insignes (§. 154—160) *primum* merae *facultates* et iura, quorum usus arbitrio hominis relinqueretur: *deinde* cum natura ipsi concessae ac a prima inde creatione infixae, adeoque *naturales*: unde *tertio* consequitur, ut eas ad posteros *propagari potuisse* defendamus.

Obs. 1. Quodsi *naturale* munus dicamus, primum opponitur *superadditis* per gratiam atque *acquisitis* exercitio: deinde *essentialibus*. Naturam enim individuorum aestimamus e virium habilitate ac modo. Potuit igitur natura singulorum immutari quidem, verum essentia conservari.

Obs. 2. In sobolis procreatione hoc tanquam praecipuum intelligimus, ut eandem essentiam s. naturam e genitoribus accipiant posteri: quare efficitur, non modo ut illam naturae praestantiam ad omnem posteritatem Adamus propagasset, verum etiam, ut omnino praestantiam essentialis translata sit ad progeniem suam, cui easdem, quanquam gradu et modo diversas, facultates inesse intelligimus. Quidam reliquias imaginis divinae laudant: formula parum apta. v. TOELLNER *von Ueberresten des goettl. Ebenbildes* in *theol. Versuch.* P. II.

§. 162.

C. *De propagatione generis humani.*

a) ratio propagationis.

Cum ab uno homine universum genus humanum derivari voluerit Deus, primis parentibus vim procreandi sobolem, natura humana eminentem, indidit, *Gen.* 1, 28. eamque adhuc conservavit, ita quidem, ut quin corpus a parentibus veniat non dubitemus, animi autem origines omnino obscurae sint.

Obs. 1. *Moses*, *Deus*, inquit, *benedixit primis hominibus atque allocutus eos*, *foecundi estote inquit*, *atque maiorem in numerum aucti orbem implete. Gen.* 1, 28. Eandem vim dictionis agnoscimus *Gen.* 1, 22.

Obs. 2. Corpus a parentibus venire hebraei docent formula, *esse in lumbis patris* et similibus. Sed interdum corpus antequam ederetur sub terra latuisse dicunt poetae *Ps.* 139, 15. 16. *Iob.* 10, 9. ut significent, corporis elementa a terrestri, qua nutrimur, materia venire. vide *Gen.* 3, 19. 18, 27. *Eccl.* 12, 7. *Ps.* 90, 3. *Iob.* 33, 6.

Obs. 3. Quaestio, *quaenam sit animarum origo?* magna semper ingenia exercuit, neque plane exulare potest e libris theologorum, vel propter historiam, vel propter reliqua placita, quae cum hoc argumento cohaerent. Inprimis *Hieronymi* atque *Augustini* aetate, partim propter Manichaeos, qui duas in unoquoque homine animas, alteram bonam, alteram malam fingebant, partim propter Pelagianas opiniones, varie et magnis contentionibus agitata est. *Ex Scriptura sacra* in hac causa nihil potest definiri, nisi quod *Ecclesiastes* 12, 7. עפר *corpus* humanum e terra oriri significet, רוח spiritum autem neget simili materia componi,

ſed a Deo venire rediturum olim ad autorem ſuum defendat. *Iobi* dicta *Cap.* 12, 10. et *Eſaiae* 42, 5. 57, 16. quae ſaepius laudantur ab antiquis doctoribus, Deum non tam animae quam vitae autorem eſſe oſtendunt. Itaque arbitrio et ſubtilitati eruditorum relictum eſto, quamcunque velit et poſſit cum obſervationibus phyſicis conciliare ſententiam, profiteri. Sed hic alii aliam viam ingrediuntur. *Prima* claſſis, Platonicis innutrita ideis) mentes omnes vel ante mundi huius συςημα vel in principio eiusdem fuiſſe ſimul a Deo creatas inque communi quodam theſauro contineri, poſt vero in corpora aut ſponte deſcendere, aut, ut alii volunt, ut poenam peccatorum luant in argaſtulo corporis, divinitus deiici crediderunt, (*Praeexiſtentiani*). v. *Herodotus L.* 2. *c.* 25. et, qui plures huius ſententiae fautores laudat, THEODORETVS *in epit. decr. div. c.* 9. quibus e chriſtianis IVSTINVS *Martyr. dial. c. Tryph.* p. m. 111. et praeter alios ORIGENES I. περι αρχων *L.* 2. ſuffragati ſunt, etſi uno ore abhorreant ſomnia de anima e ſubſtantia divina oriunda. (v. plura loca in *Aloiſ.* LIPPOMANNI *Catena in Geneſ. Pariſ.* 546. *p.* 55. ſqq.). *Aliis* placuit novas quotidie animas a Deo creari ſingulisque ſingulas indi corporibus. (*Creatiani*). E philoſophis *Ariſtoteles de gener. L.* 2. *c.* 3. haud videtur valde ab hac ſententia alienus eſſe, nec ea *Ambroſio et Hieronymo* diſplicuit, produci quotidie mentes, et corporibus, quadrageſimo fere a conceptione die, coniungi. Ceterum neutra pars placita ſua facile, puto, tuebitur, ſi obmoveas, fieri non poſſe, ut opus divinum, quod purum ab omni vitio condi debuit, vitii contagio inquinetur, detruſumque in hoc corpus neceſſario integritatem amittat. Quare factum putem, ut antiquiſſimi fere et antipelagiani doctores, repudiata hypotheſi

prae-

praeexistentis vel recens creatae animae, voluerint ex propagine vel *traduce* (qua voce *Tertullianum* iam legimus *c.* 36. *de anima* uti) sive e corporibus oriri, sive ex anima ut corpus e corpore vel lumen de lumine nasci. (*Traduciani*). Hi quidem si animam omni materia exui statuant, quid velint, plane non perspicio: quodsi autem eandem e subtiliore quadam materia componi atque secerni sumant, habent ad exornandam sententiam observationes haud ambiguas. Etenim vires animi tardius sese produnt, paulatimque increscunt, saepe genitorum vitio corrumpuntur atque labe congenita laborant. Quare ab ipsa animi origine omnes parentum partes excludere non ausim. Atque haec hypothesis, placitis *Epicuri*, qui semen dicit σωματος τε και ψηχης αποσπασμα, conformis, copiosa, haud tamen dilucida TERTVLLIANI (*l. de anima* c. 25. sq.) disputatione defenditur, dum distincta tum animi tum corporis semina latere in parentibus fingit, quibus indiscretis et quasi coagulatis homo generetur. Eam *Apollinaris* et *maximae orientalium partis* suffragia tulisse, *Hieronymus* autor est: quanquam RVPERTVS *in Genesin* (ap. *Lippomann. Caten. p.* 57.) afferat: *animas non ex traduce fluere, omnium orthodoxorum una est sententia.* Fuere tamen qui mallent ignorantiam profiteri, quam certi aliquid statuere. AVGVSTINVS, qui *librum de origine animae* composuit: *Quatuor*, inquit, *de anima sententiarum, utrum de propagine veniant, an in singulis quibusque nascentibus novae fiant, an in corpora nascentium iam alicubi existentes mittantur divinitus, vel inde sua sponte labantur, nullam temere affirmare oportebit.* v. *Ep.* 99. *ad Exod. Idem L.* 5. *adv. Iulian. c.* 3. propositis propaginis modis: *Quid*, ait: *horum sit verum, libentius disco, quam dico, ne audeam docere, quod nescio.*

nescio. EVCHERIVS *Lugdunensis episcopus in Gen.* I. *L. I.* subindicat, *nihil a sanctis viris vel scripturarum autoritate manifesto pronuntiari.* Sic et ALCVINVS *L. de animae ratione* (T. II. opp. ed. Forster. p. 150). *Origo animarum unde sit, solius Dei cognitioni relinquendum est. Quam multa exinde Philosophi vana finxerunt, et plurimas christiani doctores opiniones inde posuerunt et nihil paene certum reliquerunt.* Similiter Lutherus et sapientissimi quique doctores tutissimum in re obscura iudicarunt επεχειν.

cf. *Iac.* THOMASIVS *Tr. physica de orig. animae hum. Hal.* 725. *Ioh.* ZEISOLD *diatr. historico elenchtica de sententiae creationem animae rationalis statuentis antiquitate et veritate Ien* 652. I. A. BVTTSTEDT *vernuenft. Gedanken ueber die Schoepfung des Menschen.* F. V. RIES *disq. de peccati orig. inhaerentis a parentibus ad liberos propagatione. Gies.* 744.

§. 163.

b) *Natura propagata.*

Propagati per Adamum homines adhuc naturae dignitate *Matth.* 6, 26. eminent, ratione, corpore, et imperio in creaturas *Ps.* 8, 5—9. 115, 16. quare imaginem divinam (§. 155—159.) adhuc in homine reveremur. *Gen.* 5, 1-3. 9, 6. *Iac.* 3, 9.

Obs. I. Familiare est theologis uti Mosis testimonio, *Cap.* 5, 3. dum negant imaginem divinam ad posteros Adami transferri: verum si quid video contrariam potius sententiam tuetur. Traditur enim hominem, qui divinitatis exemplar referebat, genuisse filium, sui similem adeoque iisdem dotibus ac privilegiis eximium. In reliquis dictis omnis

nis argumento nervus interciditur, si ab homine etiam post lapsum imaginem Dei abstergas, quam potius decet agnoscere ac sic revereri, ut ab omni erga hominem qualemcunque iniuria abstineamus. Idque res ipsa confirmat. Adamus ratione excelluit; nostrum quoque decus est: ille potuit incrementa capere tum notitiarum tum virtutis; eadem conditione nos vivimus: ille utitur rebus creatis, nobis liberalior etiam usus conceditur. Quare similem adhuc Deo humanum genus laudamus. αυτου γαρ γενος εσμεν. *Act.* 17, 28. *Itaque* EPIPHANIVS *ep. ad Iohannem in Opp. Hieron. T. I, p. m.* 250. *Origenem accusat, quod inter multa alia etiam illud ausus sit dicere, perdidisse imaginem Dei Adamum, cum hoc in nullo penitus loco scriptura significet:* atque subiungit: *Nos credimus his, quae locutus est Dominus, et scimus, quod in cunctis hominibus imago Dei permaneat.*

Obs. 2. Si quis tamen praeiudicio de iactura imaginis divinae utatur, ut munera, quibus nos quidem caremus, absens mortis periculum, corporis vigorem, integros animi motus et απλοτητα imaginis divinae nomine insigniat, iam, quin, amissa illa, homines haud adeo beato vivant, statu, nullum superest dubium. Sed de his inferius disquiremus.

cf. KOERNER *diss. de imagine divina Witt.* 768. *Fr.* SPANHEM. *de statu instituto primi hominis Opp. theol. T. III. P. II.* G. *Iul.* CONERS *Versuch einer chr. Anthropologie. Berl.* 781. (IVNGE) *Philosoph. u. theol. Aufsaeze P. II. p.* 1. *sq. Norimb.* 1781.

CAPVT TERTIVM.

DE PROVIDENTIA ſ. ADMINISTRATIONE RERVM CREATARVM.

§. 164.

Quid ſit providentia.

Deus res a ſe creatas minime deſerit, ſed incredibili ſapientia omnes fovet, conſervat ac moderatur. *Ioh.* 5, 17. Haec autem facere *providentia* iudicatur, quam commode dixeris *voluntatem benignam et ſapientem de felicitate rerum omnium creatarum.* 1 *Pet.* 5, 7. Per eam in perpetuo mundi ſtatu non minus quam prima eius origine virtus divina illuceſcit atque religionis fundamentum certiſſimum conſtruitur.

Obſ. 1. Graeci πϱονοιαν vocant. *Sap.* 14, 3. 17, 2. vide et 1 *Petr.* 5, 7. Latini *procurationem*, vulgo *providentiam*, ambiguo tamen ſenſu. Namque *providere* dicuntur *primum*, qui futuros eventus praeſagiunt, v. c. augures ap. *Cicer. de N. D. L.* 2, 65. unde *Autor L.* 2. *ad Herennium: providentia eſt, per quam futurum aliquid videtur, antequam ſit: porro*, qui praecavent mala: ne accidant. v. *Erneſti Clav. Ciceron. in voc. provideo: denique*, qui rebus alterius conſulunt, ut, cum *Cicero* inquit *de N. D. L.* 2, 65. *non univerſo generi hominum ſolum, ſed etiam ſingulis a Diis immortalibus conſuli et provideri ſolet.* Hebraei voce ſimplici ראה *Geneſ.* 22, 8. et נבט *Pſ.* 33, 12. et compoſita formula נשא פנים *ſuſpicere Num.* 6, 26. utuntur. Namque ſcientia Dei nunquam inanis eſſe poteſt et otioſa,

otiosa, sed vigil, efficax, et operosa, quae in res, quas cognoscit, fertur atque imperio suo subesse iudicat. Nec Abrahamus tantum l. c. volebat praescium futuri eventus adserere, sed curam in voluntatem eius reiicere, qui rebus perplexis et confusis exitum dare solet.

Obs. 2. Quidam *tres actus* ad providentiam pertinere docent: πρόγνωσιν s. *praescientiam*, πρόθεσιν s. *decretum*, denique διοίκησιν s. *conservationem* atque *gubernationem*, quae et sola veteribus, v. c. Salviano, providentia dicitur. Interim πρόγνωσιν et προθ. fundamenta potius quam actus procurationis divinae dici posse videntur.

Obs. 3. Est vero doctrina de providentia in *gravissimis* fidei capitibus, qua negata nec Deo cultus nec animo quies constabit. Negligentem quidem rerum nostrarum Deum, qui semel duntaxat opus suum absolverit, atque incurius plane actionum humanarum, omnia impetu suopte ferri sinat, impune licet abnegare atque turpiter vicissim negligere. Etenim si factis egregiis studeas, ille non curat: si mala moliaris, non erit timendus: si opprimaris, impune fiet; si cum miseria colluctaris, spectatorem forsan habes, sed otiosum; quis tandem gubernatorem revereatur, qui, abiecta imberii sui cura, vivit solitarie atque neminis saluti consulit? Animi autem tranquillitatem, cum me videam inter tot rerum discrimina atque beati status impedimenta oberrantem, disiectum miseriarum fluctibus, consilio orbum, ac confusis et perplexis rebus impeditum, plane turbatam equidem sentio nullumque contra desperationem refugium, nisi persuasus sim, esse, qui, consilio atque virtute pollens, consulat rebus meis, regat adversitates, consilia hominum gubernet atque saluti meae benignissime prospiciat.

§. 165.

§. 165.

A) *Voluntas de existentia, s. conservatio.*

1) *generatim.*

Omnis providentiae centrum dixeris *felicitatem*, cuius promotor, quin benignissima voluntate excellat, nemo dubitabit. Huius cum multiplex forma sit, initia tamen et fontem communi omnes consensu quaerunt in *vita viribusque* agendi, quae quia non existunt nec perdurant sine Dei voluntate, *primus*, quem concipimus providentiae *actus* erit *conservatio* s. voluntas de duratione existentiae creaturarum. *Ps.* 104, 29. 30. *Matth.* 6, 26. 10, 29.

Obs. 1. Sunt, qui vim vitae conservatricem distinguant a vi, quae vires sustentat atque diversos, quos concipiunt, actus nominibus quoque, illum *conservationis*, hunc *concursus* (Mitwürkung) vocabulo distinguant, quem rursus distinguunt *generalem*, *specialem*, *specialissimum*; item *physicum* et *moralem*. Sed quoniam existentia et vita sine viribus nulla est atque Deum ad actiones non alio modo concurrere physice vel earundem causam sociam existere defendamus, quam vires i. e. vitam largiendo, quarum usus et exercitium vel ab opportunitate vel ab arbitrio pendet: omittendam duximus hanc divisionem.

Obs. 2. In *vita* spectatur vel *ortus* s. creatio (§. 129. et 162.) vel *duratio* vel *sustentatio* et alimenta. In *viribus* vel *modus* vel *usus*. *Modus* virium vel *essentialis* est et naturalis, qui cum ipsa vita et existentia rerum arctissime coniungitur, vel *accidentalis*, dum mensura differunt et quantitate in diversis unius generis subiectis, sive congenitae v. c. homo hominem ingenii, memoriae, imaginationis facultatibus vincit, sive per exercitium adauctae atque

eve-

evectae fuerint. Vtimur viribus, cum iisdem aliquid perficimus. Sed quascunque videmus concedi rebis creatis, eas utilitatis caussa tribui intelligimus. Plantarum arborumque folia, radices, folliculi, rami sic construuntur, ut et alant arborem et fructus generent: animalia miro instinctu impelluntur, de quo H. S. REIMARVS elegantissimo libro: *von den Kunsttrieben der Thiere* exposuit. Nobis, quibus corporis structura ingeniique vi satis prospectum est, virium usus sic conceditur, ut, quod est praestantissimum humanae naturae decus, voluntatis libertas, quandocunque iis utamur, nulla ratione eripiatur.

Obs. 3. Intelligitur autem *conservatio* 1) *ex ipsis rebus*, quae mundum constituunt. Quae enim contingenter existunt, ea propria vi neque existunt neque sustentari possunt, nisi pendere ab autore neges, sed eadem virtute, cui origines debent, perdurant. 2) Accedit *experientia* magistra fidissima, qua dici non potest, quantum fides nostra confirmetur. Vides tu, quot sint rerum creatarum classes, ordines, conversiones, quot inter se conflictus, quot mutuae insidiae, quot contrariae ubique virtutes, quot mortis pericula, quanta destruendi creaturarum quaedam genera consilia ac molimina: sed iis mundi coniunctio continuatur, tantum abest, ut quidquam penitus intereat. Manet ornatus orbis iisdem instructus incolarum generibus ad longinquum et immensum fere tempus atque in periturorum seriem nova indies succedunt. Ambi coelestes orbes, admirare solis fulgorem admirabilem, planetarum regiones siderumque multiplices figuras: sed eadem est antiquissimae aetatis vox, eaedem observationes et tabulae. Persequere fluviorum cursus; antiqua litora agnosce, quae nec aetas nec labentis aquae copia contraxit. Percurre prata viridantia agrorum-

que decus et sylvarum amoenitates: eadem adhuc herbarum salubritas, florum pulchritudo, pomorum varietas, fructuum ubertas, rosae fragrantia, omniumque olerum structura, quam rerum naturalium scriptores, poetae, rustici, multis retro seculis depingunt. Evolve Iobum, Aristotelem, Plinium, qui aetate ac patria dissiti equum, crocodilum, hippopotamum, elephantem laudant: agnosces hodie antiquas horum animantium virtutes. Nondum a ferocia crocodilus, a maiestate leo, a societate apum et formicarum genus, a cantu alauda, ab arte aranea degeneravit; atque, si nominum antiquorum ratio constaret, ne unam quidem ferarum aviumque speciem interisse, intelligeremus. Neque generibus solum universis sed singulorum etiam vitae viribusque consulitur. Namque generum universitas singulis continetur. Quodsi itaque omnes omnium, quae ubique sunt, quacunque in ora vel parte terrarum creaturarum classes non sua vi sed divina perennare, atque intra tot seculorum decursus, eversiones, conflictus, censemus conservari: his quoque vita viresque conceduntur, qui classes constituunt. Porro expendas velim, quonam temperamento res creatae existant atque exoriantur. Herbae venenosae rarius succrescunt, felicius salubres: rarior avium maiorum progenies, frequentior domesticarum atque commodis nostris inservientium: paucos leaena, plures equus edit partus. Sunt qui unius diei vel horulae spatio omnem vitae aetatem metiantur, sed πολυτεκνία celebres: alii per plures annos vitam continuant, quorum foetus pauci numerantur. Iam finge ephemerides μονοτοκους, rursusque elephantem, crocodilum, cete, et reliqua monstra foecundiora gignendo: nonne vero aut illos cito plane interituros esse, aut hos ab his oris terrarum capi non posse putandum est? At enim, inquis, a natura haec proveniunt,

qua

qua cautum est, partim ne omnino non interirent, indita vi propagandi genus suum, partim ne nimis frequentes viverent, partim ne continuatione vitae nimis nocerent. Ego vero non negem, quod dicis, dummodo agnoscas Deum ipsius naturae, vel legum, quas res creatae sequuntur, autorem. Nonne quaeso Deus est, qui virtute propagandi genus suum instruxit interitura corpora foecundatque semina et animalia? Deinde si illa quidem suapte natura protrahere vitam posse largiamur, quaeram de nutrimentis ac vitae sustentaculis, quae nulla nec hominum nec animantium nec herbarum solertia procurantur. Succum e tellure hauriunt arbores, herbae, gramina, eaque iterum animalibus hominibusque alimenta praebent, quibus vita conservetur viresque attenuatae restituantur, sed, si verum fatear, ea omnia utuntur praesentibus nutrimentis, vitaeque praesidia praeparata reperiunt, tantum abest, ut natura i. e. vis cuiusque vitae alendae sufficiat. *Iob.* 38. 39. 41. Denique metuenda erit vis externa, quae, dum nimium increscit, desolatur atque vitae aliorum inimica reperitur. Nocent plantis negligentia, aestus, imbres, conculcationes; plurimos pisciculos uno die balaena, avicula muscarum exercitum absorbet: hominis denique vis longe superior plurimis insidiatur animantibus: anne hoc est a naturae viribus, ut evadant atque perennent? 3) Consentit frequens *sacrarum literarum* traditio. Ornatissimus vates *Ps.* 104. telluris felicitatem ae amoenitatem (comm. 8—16.) alimenta ferarum v. 27. 28. ipsamque vitam a vi divina repetit. Inquit enim: v. 29. *Tu spiritum eis adimis: pereunt redeuntque in pulverem*, in cineres resolvuntur. *Emittis contra spiritum tuum*, vi tua adspiras, *tum reviviscunt.* Tu vitam concedis negasque vicissim. Aptior ad popularem institutio-

nem est oratio Iesu *Matth.* 6, 26 sqq. quae locum de providentia maxime declarat, monetque cavere sibi tum a vanis desideriis atque felicitatis suae stabiliendae moliminibus, tum a diffidentia et angoribus, quibus haud raro animus discruciatur. Medetur autem huic anxietati doctrina de cura terrestrium quoque rerum paterna, quam Deus agit, conspicuam in rebus etiam vilioribus nostro iudicio et abiectis. Ille flores inenarrabili pulchritudine circumvestit: ille avibus alimenta praebet; ille vitae (ψυχης) corporisque conditor multo magis omnia, quibus solet vita sustentari corpusque nutriri, procuraturus est. Denique clarissimo dicto *Matth.* 10, 29. citra voluntatem divinam ne passerculum quidem in terram cadere vel perire negat. Non igitur Deus momentaneus est creator, sed operis sui continuationem adhuc sustinet.

Obs. 4. Quoniam actiones a viribus divinitus concessis pendent, quibus prostratis vel ereptis vel immutatis frustra nititur solertia et consilium creaturarum; actionum adiutorem et socium Deum vocare haud nefas sit. Verum cum in salutaribus et legitimis id minime offendit, periculum est, ne Deum in criminis societatem pertrahant homines perversi et malesani, eumque, qui vim male agendi largitus est, sceleris novo scelere faciant promotorem. Verum salva manet sanctitas divina. Etenim qui facultates cum vita concessit ac principia actionum, saepe liberum virium usum non potest non permittere. Vnde nostri Deum ad *materiale actionis* i. e. ad principium concurrere dicunt, negantes concursum ad *formale actionis* malae, i. e. ad determinationem virium earumque abusum.

§. 166.

§. 166.

Voluntas benigna et sapiens.

Iam voluntas, quae tot tantisque creaturis vitam, qua nihil suavius sentiunt, gratificatur, communi sensu *benignissima* est (§. 95); *sapientiam* autem intelligimus *primum* in virium distributione, dum unumquodque sic instruit, ut et vivere et vitam sustentare et genus suum propagare possit: *deinde* in legibus, quas vires sequuntur in agendo, constituendis, *denique* in numero rerum creatarum vitaeque spatio desiniendo.

Obs. Vtar CICERONIS verbis *de N. D. L.* 2. *c.* 47. *Quid est in terrestribus rebus, in quo non naturae ratio intelligentis appareat. Principio, eorum, quae gignuntur e terra, stirpes et stabilitatem dant iis, quae sustinent, et e terra succum trahunt, quo alantur ea, quae radicibus continentur, obducunturque libro aut cordice trunci, quo sint a frigoribus et caloribus tutiores. — Animantium vero quanta varietas est? quanta ad eam rem vis, ut in suo quaeque genere permaneant? quarum aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae: pluma alias, alias squama videmus obductas, alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. Pastum autem animantibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit. Enumerare possum, ad eum pastum capessendum conficiendumque, quae sit in figuris animantium et quam solers subtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim quae quidem intus inclusa sunt, ita nata atque ita locata sunt, ut nihil eorum supervacaneum sit, nihil ad vitam retinendam non necessarium. Dedit autem eadem natura beluis et sensum et appetitum, ut*

altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. — Data est quibusdam etiam machinatio quaedam et solertia, ut in araneolis. — Iam vero illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiae, ut in pastu circumspectent, ut in cubilibus delitescant. — Vt vero perpetuus mundi esset ornatus, magna adhibita cura est a providentia deorum, ut semper essent et bestiarum genera, et arborum omniumque rerum, quae altae aut radicibus a terra aut stirpibus continerentur, quae quidem omnia eam vim seminis habent in se, ut ex uno plura generentur, idque semen inclusum est in intima parte earum baccarum, quae ex quaque stirpe funduntur iisdemque seminibus et homines affatim vescuntur et terrae eiusdem generis stirpium renovatione complentur. Quid loquar, quanta ratio (sapientia) in bestiis ad perpetuam conservationem earum generis appareat. Nam primum aliae mares, aliae feeminae sunt: quod perpetuitatis causa machinata natura est. Deinde partes corporis et ad procreandum et ad concipiendum aptissimae et s. p.

vide H. S. REIMARVS *von den Trieben der Thiere. Hamb.* 1760. Ebend. *vornehmste Wahrheiten der natürl. Rel. Betr.* 5. *et* 7. C. BONNET *Betrachtungen über die Natur. Germ. Lips.* 766.

§. 167.

2) *Speciatim hominum.*

Inprimis nostrum *genus* a Deo conservari et *singulos* divinae benignitati vitae cum viribus usuram acceptam ferre, sive *origines* eius, *Iob.* 10, 11. 12. *Act.* 17, 25. 27. sive continuatas vires et *aetatem Ps.* 139, 16. sive *finem Ps.* 90, 3. 39, 5. [*Rom.* 14, 7. 8.] intuearis, sedulo expendi debet.

Nulla

Nulla enim vel pietatis commendatio efficacior, vel animi quieti praesidium firmius hac persuasione existit.

Obs. 1. Dicendum *primo* de *conservatione* et *perpetuitate generis universi*, cui varie prospexit benignissimus creator, indita ad procreandum atque concipiendum vi atque commiscendorum corporum libidine, etiam post partus pericula et cruciatus: marium foeminarumque aequali fere numero: foetu multiplici: amore in educandis custodiendisque iis, quos procreaverunt: alimentorum opportunitate atque apparatu. Iam vide, si in lucem editur foetus, quantum periclitetur! quam imbecillis egeat hominum procuratione! quam tenuibus fibrillis corpus componatur! quam multiplex mortis discrimen undique immineat! Deinde si evasit infantiae discrimina, quid dicam de aetatis iuvenilis periculis, de affectuum intemperantia ac vehementia, de levitate, quae se ipsi morti temerario obiicit, inque corpus suum imprudens saevit? quid de cruentis hominum conflictibus, quantam vel bellum, vel pestiferum contagium, vel fames saepius stragem ediderit? Accidunt iam superstitionis decreta, iam artes pessimae, quibus nova progenies temere impeditur atque extinguitur. Ast vero inter haec pericula, quae interitum minantur, felicius efflorescit, brevique tempore restitutus numerus mire increscit et paratum sibi orbem novis incolis conserit. Sic omni ratione concluditur, consilio divino omnia ad conservationem generis humani administrari.

Obs. 2. Sin de *singulis* quaerat quispiam: *primum* de *vita* dispiciemus. Eius igitur *origines*, cum minime pendeant nec a vi propria nec ab arte et solertia parentum, non est dubitandum, quin Deo creatori tribuendae sint. (cf. supra §. 162.) Porro inenarrabilis est partium subtilitas mem-

brorumque fabrica, cui multae iniuriae facile nocent, insidiantur morbi, cibis, medicina atque humanis auxiliis opus est, ad defendendum atque alendum. His autem Deus largissime, ut promta essent et praesentia, prospexit. *Iob.* 10, 8. *Ps.* 139, 13. Hinc veterum simplicitas confinxit, Deum indices habere fatorum, s. *librum vitae*, cui nomina viventium inscribantur, v. *Exod.* 32, 32. *Ps.* 139, 16. 69, 29. *Apoc.* 3, 5. Neque negligere poterit singulorum vitam, quae communi saepe utilitati arctissimo vinculo connectitur, ut sit in regibus, patribus familias, ducibus exercituum, doctoribus publicis aliisque viris sive gravitate sive consilio eminentibus. Denique *mortis tempus* s. *terminus vitae* divina quoque providentia statuitur. *Iob.* 14, 5. *Ps.* 90, 3. 31, 16, 39, 5. sed omnes illae formulae nihil amplius docent, quam decretum divinum de morte hominum, nisum praevisione divina, qua, quaenam futura sit corporis constitutio et natura, quaenam sanitatis cura, remediorum quisnam contemtus, quisnam usus prudens atque cautus, quinam vel conservandi vel destruendi machinam casus, intelligit adeoque per leges naturales vitae continuationem, protractiorem aliis, aliis breviorem definit. Quare multum abest, ut necessitatem moriendi inferat. vide supra §. 96. Haec si teneas, operosae disputationes de *termino vitae* alio *naturali*, alio *supernaturali* (nempe mortem vel a natura, collabentibus viribus, vel citius, ac machinae humanae structura id sperare sinit, adhibita vi externa contra naturam accidere dicimus), iam *prolongato*, iam *deminuto* vel inanes erunt, vel supervacaneae. Nam semper fere redit ad spem et opinionem hominum, quae iam desperat in morbis lethalibus, iam specie vigoris fallitur. Multo autem minus blanditur doctrina de vitae termino praefixo impietati et levitati multorum,

torum, qui. dum se irrevocabili decreto decedere persuadentur (*fatum turcicum* vocant), plane incurii de vita conservanda tuendaque valetudine evitandisque mortis periculis, intemperantia, impetu coeco, et temeraria audacia morti sese non dubitant obiicere atque contra naturam vitae exitum citius consequuntur. Huic sane temeritati strenue obviam eundum erit admonitionibus cautis ac dilucidis, decretum de morte hominis niti praestituta quadam conditione, cui, quum minime Deum omniscium lateat, utrum satisfiat, an minus, vis quoque inest regundae voluntatis divinae. Atque de hac voluntate divina nemo dubitabit, si leges ratas atque sapientissimas sequi discat tum partus, tum ipsam mortem, de quibus copiose exposuit I. P. SVSSMILCH *die goettliche Ordnung in den Veraenderungen des menschl. Geschlechts. ed.* 2. *Berl.* 1761. *Tomi* 3. sive expendat, quantum universitatis hominum salus ab unius saepe hominis morte suspendatur. Haec de vitae aetate dicta sunt. Pauca addemus de *viribus hominis* uniuscuiusque, quarum ut mira varietas et multiptex utilitas minime a consilio vel solertia hominum venit, ita incolumitas atque perfectio nulla arte nostra perdurat. Itaque a Deo tanquam fonte derivantur tum corporis figura animique sive ingenium excellens sive memoria firma, sive vis comprehendendi atque dotes, quibus alius alium vincere intelligitur, *Exod.* 4, 11. *Ps.* 94, 9. 1 *Cor.* 4, 7. *Iac.* 1, 17. tam res omnes, quibus vel vita tenetur, cibus, potio, spiritus, vel animi vis exercetur sensusque generantur atque nutriuntur in animo: tum leges, quas sive movendo sive cogitando sequimur: tum denique actiones omnes et motus, qui sine viribus esse nequeunt. Atque hic est *concursus* divinus ad actiones humanas, quo fit, ut viribus uti possimus, minime autem hoc, ut orbi

libertate agendi, machinae more, moveamur. cf. §. 165. Obs. 4.

Obs. 3. Multa iubent, ut vitae usuram in beneficiis sive nostra sive reliquorum causa habeamus. Primum ipsa natura, mortem abhorrens; deinde vitae huius consilium (vide supra §. 149.) denique religionis sensus. vide *Eccl.* 9, 4. 11, 7. Quo magis cavendum erit, ne communibus de miseriis vitae nostrae querelis vitae taedium alamus, quod et ingrati est, exprobrantis Deo beneficia, et facile periculum vim sibi inferendi adfert. Nec aliter corrigi vel sedari possunt immodicae querelae et fastidium, quod subinde ex infortuniorum dolorumque obiectu concipimus, quales sunt *Eccl.* 4, 2. 3.

I. A. BVTTSTETT *Vernünftige Gedanken über die Vorsehung Gottes in Ansehung der Erhaltung und Mitwürkung. Wolfenb.* 742. 8.

§. 168.

B) *Gubernatio. s. Providentia stricte dicta.*

a) *quid sit.*

Alterum divinae providentiae actum concipimus *gubernationem* seu voluntatem de *statu* rerum creatarum eo, ut *singulae* talem et tantam, *qualem* et *quantam quaeque capit*, felicitatem obtineant *Ps.* 148, 6. in quo *universitatis* salus intelligitur.

Obs. 1. *Statum* dicimus mutuam rerum connexionem et ordinem, unde conversiones ac vicissitudines pendent. Is vel *communis* est, quem in nexu et ordine universitatis agnoscimus, vel *singulorum*, qui tenetur situ atque habitu singulorum erga universitatem.

Obs.

Obſ. 2. Salus univerſitatis exiſtit in ſingulorum, quae mundus amplectitur, felicitate, in qua tamen aeſtimanda magna opus eſt *cautione*. Nam *primum* naturae diverſitas vetat, quo minus easdem omnium partes felicitatis concipiamus. Brutis bene eſt, ſi inſtinctibus naturalibus obtemperare liberum ſit: homines longe anguſtiora capiunt. Habet ipſa hominum aetas diverſa varias vitae beatae converſiones: alia infantes capiunt, alia viri. *Secundo* loco fieri non poteſt in tanta rerum multitudine, quin contentiones oriantur atque ex unius ſalute ſtatus alterius deterior accidat. Paſtus v. c. animantium multis interitum adfert, hominumque agendi arbitrium, quod munus non vult repetere benignus creator, cauſa ſit iniuſti doloris. *Denique* ſunt quoque felicitatis partes quaedam, conditionibus adſtrictae per ſapientiam divinam, quibus ſi quis vel nolit ſatisfacere per negligentiam, vel non poſſit propter impedimenta, fruſtra ſalutem haud paratus ad eam capiendam, aut ſperat aut negari ſibi conqueritur. Sed earum cautionum neglectus miras et turbas dedit ingenio humano et querelas, ſatis inanies ac impias, excitavit contra Deum, quem negligentem rerum noſtrarum, invidum, infenſumque criminantur, ubi votis ſuis ampliſſimis ſe damnari et cupiditatem corradendarum potius per invidiam ac rapinas opum quam fruendi vera felicitate, minime expleri ſentiunt. Sed facile peccatur a mortalibus, dum *primum* in uno bonorum genere felicitatem ſitam eſſe ſomniant et fluxarum rerum ſpecie decepti certiora contemnunt: *deinde* cum unius creaturae ſalus ſpectatur, omiſſa communis felicitatis, quae moderatur ſingulorum facultates, ratione: *tertio* dum praeſentia tantum intuemur, adverſa interdum ac minus ſuavia, obliti, in his adverſitatibus latere ſemina felicitatis: *denique* cum dolemus bona denegata, quorum

rum consequendorum remedia per levitatem atque temeritatem nostram spreta neglectaque sunt. Quibus observationibus haud difficile sit, intelligere, quam incapaces sint creaturae, quas negligi conquerimur, fruendae maioris, quam largitus est providus mundi imperator, felicitatis.

§. 169.

b) *Argumenta pro gubernatione divina.*

α) *e natura.*

Sed hanc voluntatem non modo benignitas divina, quae bene cupit rebus omnibus, et facultas, regundi omnia, verum etiam ipsa mundi contemplatio pia demonstrat. Neque enim tam admirabilis rerum ordo et concentus, quo omnia inter se connexa et aptata sunt, ut se adiuvent invicem suoque tempore vigeant, sine dispositore aliquo et moderatore existere possit, *Iob.* 37. (argumentum *physicum*): neque casus singulares atque eventus varios atque insignes, e causis tenuibus enatos, expendat aliquis prudens mundi spectator, quin regimini sapientissimo omnia subesse persuadeatur. (argumentum *historicum.*) *Ps.* 77, 12 *sq. Luc.* 1, 51. nec sine hac persuasione religio existere potest, quae sublata gubernatione, et ipsa tollitur (argumentum *morale.*)

Obs. 1. Taceam aëris cum fertilitate agrorum pastuque animantium et hominum valetudine connexionem, et similia plura, quae unam rerum omnium catenam iubent profiteri: unum monebo de hominum diversis viribus, ingeniis et studiis. Saepe ad vitae genus vilissimum, sordidissimum et periculosissimum, commodum tamen societati humanae, in-

instinctu nescio quo, homines ferri videmus, ita ut nullo in statu vel abundent nimis, vel penitus deficiant. Saepe regis vehementia mitigatur ministri vel puellae clementia: saepe calamitas artes peperit hominumque stupor ingenia magna excitavit, Denique natura cuique provinciae denegavit commoda, aliunde petenda, vicissim munera cuique sua attribuit, quorum usum vicinae regiones quaerunt. Qua re et commercia florent et aequabilis omnium dignitas continetur. vide IERVSALEM *Betr. über die Chr. Relig. Betr.* 4. T. I. p. 73. I. A. NOESSELT *Vertheidigung der Christl. Rel.* §. 122. 124. H. S. REIMARVS *die vornehmsten Wahrheiten der natürl. Religion. Hamb.* 768. Eleganter quoque CICERO, *de N. D. L.* 2. c. 5. *Vt si quis in domum aliquam aut in gymnasium aut in forum venerit, cum viderit rerum omnium rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri iudicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit et cui pareatur, multo magis in tantis motionibus tantisque vicissitudinibus tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa et infinita vetusta, mentita est, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari.*

Obs. 2. Ad argumentum *historicum* refer imperiorum conversiones, bellorum fata, artium inventiones, familiarum casus, in quibus tenuia saepe initia ac neglecta insperatos eventus atque saluberrimos habuere, quos sane vel levissimus casus, immutata temporis locive fortuna hominumque concurrentium vel ingenium vel status alius repressisset. Illustre exemplum habet in historia Iosephi, Evangelii propagati, dein, restaurati per Lutherum, atque nostro tempore in imperiorum fatis, ubi, quibus rebus vel evecta fuerint

vel

vel sustentata inter tot invidiae conflictus, perscrutari velis.

vide I. M. SCHROECKH *diss. historia providentiam divinam, quando et quam clare loquatur. Witt.* 776.

Obs. 3. Haud iniucundum erit, domestica et obvia hominibus singulis gubernationis divinae vestigia demonstrare atque eos commonefacere, ut expendant *fata* sua, i. e. vitae suae mutationes e concursu rerum exterarum exortas, nativitatis sortem, parentes, locum, tempus: consiliorum fortunam: amicorum commercia: porro causas, quarum concursu vitae genus elegerint, inierint matrimonia, pericula vitae et honoris evaserint, munera publica et honores, inter plura invidiae impedimenta, pacem post dissidia, sanitatem post morborum impetus, atque a tenuiore fortuna et adversitatibus ampliorem felicitatem fuerint consecuti. Huiuscemodi observationibus planis et obviis si quis non deducitur ad numinis reverentiam et fidem procurationis divinae, si quis non admirari et manu quasi prehendere consilia benigna Dei, quod Paulus ψηλαφαν dicit, didicerit: satis habet, cuius de pietate et sapientia desperetur.

§. 170.

β) e scriptura sacra.

Scriptura sacra tota in eo versatur, ut nobis Deum demonstret rectorem ac dominum mundi, cuius imperio non tantum omnia subiiciantur ac regantur; verum etiam disposita sint et secundum consilium salutare ordinata. *Quadruplex* autem testimoniorum classis constituitur: *prima* eorum, quae κατα ῥητον gubernatorem Deum et procuratorem laudant: *Act.* 17,

17, 25. *Matth.* 6, 31. 1 *Chron.* 30, 12. *Prov.* 16, 4. *altera* quae rerum casus ad Deum referunt sive praeteritos sive futuros *Es.* 43, 12. *Gen.* 50, 20. *Amos* 3, 6. *Act.* 4, 28. *Ps.* 90. *tot.* 1 *Cor.* 16, 7. *tertia* est in promissionibus et minis, quarum nulla vis esset, nisi rectorem Deum statuas. *Ps.* 91, 14. *Exod.* 20, 12. *quarta* in precibus virorum sanctorum, quibus vitae suae fata a Deo corrigi postulant. *Matth.* 26, 39. *Ps.* 22, 6. 1 *Thess.* 3, 16. *Phil.* 4, 4 sqq.

Obs. 1. Nolo plura cogere, et sigillatim persequi dicta, quae tempestatum vicissitudines *Ps.* 147, 8. *Ps.* 148, 8. *Ier.* 5, 24. imperiorum conversiones *Dan.* 2, 21. *Prov.* 21, 1. *Es.* 10, 5—12. *Ier.* 18, 7. *Luc.* 1, 51. consiliorum nostrorum eventus *Prov.* 16, 1. 20. 24. *Ier.* 10, 23. ipsiusque sortis, qua nihil magis fortuitum videtur, proiectum *Prov.* 16, 33. imperio divino subesse tradunt.

Obs. 2. Equidem non ignoro, morem scriptorum antiquorum, omissa causarum secundarum, ignotarum forsan, mentione, recurrendi ad numinis vim ac dispositionem, in iis quoque casibus, in quibus vel aliqua hominum vis ac consilium, vel rerum exterarum concursus, par producendo eventui intelligitur. v. c. *Genes.* 11, 8. 19, 24. Verum earum formularum usus, quanquam cautos esse docet interpretes, ne, simul ac insolitum aliquid acciderit, Deum ex machina adducant, frequentes miraculorum praecones, tamen pendet a fide providentiae, quae casus omnes regat atque in decretis voluntatis suae exequendis rerum ordinem sic componat, ut, quod ille destinavit, non possit non effectum sortiri.

§. 171.

Concordia gubernationis divinae.

a) *cum libertate hominis.*

Neque tamen vel gubernationem divinam arbitrium hominis tollere, vel facultate libere agendi procurationem Dei impediri existimandum erit. Illud quidem frustra metui, sensus quemque suus docet: hoc autem facile refellitur, si conatuum humanorum causas atque progressus perscrutemur. Agit voluntas et libera quidem, sed etiam agit Dei providentia atque haec illam dirigit.

Obs. 1. Primo quidem instituta atque *conatus* hominum pendent a viribus, sed earum conservator Deus est (§. 167.) porro a legibus naturalibus, quas vis animi sequitur: verum has quoque Deus praestituit: denique a conditionibus externis, a quibus occasionem capiundi consilia animus arripit, *Eccl.* 9, 11.: at enim has quoque divinae dispensationi subesse, nemo facile inficiabitur, nisi ad fortunam potius rerum humanarum rectricem, quam numinis sapientiam velit confugere. Homini igitur liberum sit, decernere, huc illucve flectere animum, meditationibus iam hoc, iam illud, disponere: Deo autem tribuatur, quod obiectu rerum externarum occasionem agendi suppeditet viriumque et usum concedat et motus singulos, obiectis agendi conditionibus, regat.

Obs. 2. Multo autem magis consiliorum *eventus* a Deo pendere intelligimus. Nam primum multis casibus improvisis impeditur sapientia humana, quo minus consilia

prae-

praeconcepta atque disposita firme exequi possit. *Iac.* 4, 13-15. *Prov.* 16, 1. deinde longe secus, quam opinabamur, succedunt, atque levissima conditionum externarum mutatione vel supra modum ac expectationem promoventur vel in vanum abeunt et evertuntur. Multi cum obesse vellent, profuerunt: et cum prodesse, obfuerunt. Vnde concludimus, non adimi agendi facultatem hominibus, verum divina directione restringi.

cf. C. F. BAHRD Diss. *Concordia providentiae et libertatis. Lips.* 762.

§. 172.

b) cum malis et adversitatibus.

Facile dubitat de propitia atque benigna erga creaturas voluntate, quisquis malorum molem intuetur, quibus rerum universitas atque hominum fortuna premitur, sed multa sunt, quae possint scrupulos animis eximere. *Eccl.* 7, 1-11. *Primum* pleraeque suboriuntur querelae propter *bona denegata;* sed *cum* non omnes sive per naturam suam sive per casus fortuitos malitiamque hominum capiunt bona omnia (§. 168.) *tum* in tam contrariis de partibus beatae conditionis, inprimis humanae felicitatis, opinionibus tamque fallacibus iudiciis et tam periculoso fortunarum usu nunquam poterit omnium votis satisfieri: *tum* denique, qui neglectos sese conqueruntur, haud raro praesentia aut vilipendunt aut negligunt. *Deinde* si qua *mala* omnino accidunt, ea aut necessaria sunt per naturam, ut sunt aerumnae, morbi, dolores, per societatem, in qua vivimus, per hominum malitiam, quam nisi ademta libertate reprimere Deus non poterit, aut sic comparata, ut ex iis

longe ampliora emolumenta, ſive in nosmetipſos, ſive in ſocietatem redundent, rectore Deo, qui ſaluti publicae multo etiam magis, quam privatis votis, conſulit, quod videmus in bellis, peſte, perſecutionibus et aliis.

Obſ. 1. Non eſt, quod homines queruli indignationi ſuae atque injuriae erga Deum colorem inungant, ſive a dubitationibus virorum piorum, *Pſ.* 73. ſive ex imagine, triſti ſatis atque atrociore, quam Eccleſiaſtes deſcribit. Etenim in illis ſubſidit facile adfectus, ſimulac curatius expendunt fatorum viciſſitudines, ac quantum vel animus rebus florentibus vel fortuna ipſa periclitetur. Salomonis autem dicta tantum abeſt, ut omnino laetabilem vitae faciem occultent atque eiulatibus continuis offendant, ut potius, poſtquam multiplicem miſeriam, fortunae inconſtantiam, hominum conatus infelices deploraſſent, benignam numinis curam commendent animo atque demonſtrent, quantum illa cognoſci queat e ſuavi vitae, quam concedit, uſura, *Cap.* 6, 9. 9, 4. e deliciis quibus nos recreat 3, 13. 7, 15. ex obſervatione, quam multa mala utilia ſint 7, 3—8. denique e futuris bonis, quae praeſentium iacturam reſtituunt. 11, 1 ſq.

Obſ. 2. At enim *improborum proſperitates* ſecundaeque res redarguunt, ut Diogenes dicebat, multorum ſuffragia referens, vim omnem deorum ac poteſtatem. Atque ſaepe anguntur his dubitationibus mentes piae ac ſorte ſua contentae, numinisque vel ſapientiam vel benevolentiam in dubitationem vocant, ubi iniqua videtur rerum humanarum diſtributio. Sed minime videtur praecaveri in his iudiciis poſſe error ſive in hominibus, qui, quemadmodum virtutis ſpecie fallunt, ita non rarius impietatis atque ſceleris colore notantur aut per invidiam, aut propter inſigne aliquod dedecus contractum, quod reliqua peior etiam ac pernicioſior

pars

pars artibus et dissimulatione effugit: sive in bonis, quae umbram potius felicitatis, quam veram et laetabilem fortunam referunt, atque miseriam domesticam splendido quodam nomine circumvestiunt: sive in ipsis eiusmodi opinionis fundamentis. Nonnunquam florentes videntur res malorum. Eas quidem arripimus et accusamus Deum iniustae distributionis. At bonos etiam saepe videmus bonis esse exitus, fata benigna. Denique praesenti specie facile decipimur, futuros eventus negligimus, atque, quo nihil poterit iniquius statui, legem numini haud veremur praescribere dispensationis, ut in praesens scelus praesentibus infortuniis semper animadvertat, morae impatientes. Sed ea lege ne reges quidem in provinciis suis utuntur.

Obs. 3. Calamitatum rerumque adversarum *commoda* non egent demonstratione: sunt enim obvia atque exposita. Alia privata sunt, alia publica. Saepe maius infortunium impediunt: exercent virtutem, incitant hominum studia, vitiis obicem ponunt, amori mutuo addunt calcaria, societatis vincula connectunt, atque fortunae candidioris fructum amoeniorem reddunt. Dulcior post insomnia quies, post dolores sanitas, honores post contemtum. Serenior post grandines aër; exhaustae marte fameque provinciae maior civium solertia; paupertas officiorum magistra. Felices denique, qui sua bona norint!

cf. IERVSALEM *Betr. über die Chr. Rel. Betr.* 5. *p.* 121. *sq. I. Fr.* IACOBI *Betr. über die vveisen Absichten Gottes. Zelle* 765. *T. I. Betr.* 2. *p.* 39. *Betr.* 7. *p.* 280. *T. III. Betr.* 13. *p.* 1.

§. 173.

Affectiones providentiae divinae.

Veneramur autem providentiam *universalem*, quae omnes creaturas et eventus, maximos, mi-

nimos amplectitur. *Ps.* 36, 7 145, 9. *Matth.* 10, 29. *Ps.* 148. tot. *benignam*, (§. 166.) *sapientem*, quae optimae voluntati optima remedia coniungit *Ps.* 104, 24. et tum e modo gubernationis, in qua rara fiunt miracula, tum e bonorum dispensatione elucet; *denique* maiorem, quam quae a mente nostra possit comprehendi, *Iob.* 36, 22 sq. 37. 38. tot. *Ps.* 73, 16. *Rom.* 11, 33. 34. *Eccl.* 3, 11. 8, 17. 11, 5. *Prov.* 25, 2.

Obs. 1. Rerum *singularium* curam non modo sacri autores numini vindicant. *Ps.* 135, 7. 145, 15. 16. earum etiam, quas viliores aestimamus *Matth.* 10, 22. 9, 30. *Ps.* 147, 9. *Ion.* 4, 11.; verum etiam *Dei maiestas et universitatis* ratio exigit. Etenim a) tenuis illa creaturarum per classes et genera distributio hominum est, non numinis, quod rerum individuarum cognitione pollet, (§. 86. Obs. 1. p. 261.) atque dum singulis praesentissimum adest, non potest non benevolum animum demonstrare. At enim minora sunt, quam ut ea numen persequatur, vel, ut HIERONYMI verbis utar, *absurdum est ad hoc Dei deducere maiestatem, ut sciat per singula momenta, quot nascantur culices, quotve moriantur: quae cimicum et pulicum et muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent et qui de minoribus maiorum praedae cedere debeant. v. Comment. ej. in Habac. c. 1.* Mihi vero nihil vile videtur, cuius genus Deus voluit existere, neque abiecta de passere, pulice, insectisque nocivis opinio, nisi hominum, est, e sua vel magnitudine et mole vel utilitate rerum aliarum dignitatem aestimantium. Vtinam tandem discant, quonam artificio construantur herbae, quas pede proculcamus, vel corpuscula animalculorum, quae, quia non possumus in usus nostros convertere curisve nostris adiuvare, negligimus. Nonne

fas

fas est communem omnium patrem etiam clementiorem esse, quam solent esse homines, et ea, quae reliquorum usibus destinata sunt ac necessaria, fovere? Itane orbis terrarum curam agat, omittat arenulas? homines foveat, non item passeres? Iam quodsi e magnitudine rerum aestimas curam numinis: nonne orbem terrarum, qua patet, si universitati comparare velis, pulveris leviusculi rationem habere fatearis? atque hominem, ubi cum angelo contendat, longe etiam ignobiliorem videri passerculo? Platonem iis, qui reip. praefuturi sunt, alterum praeceptum dedisse, *Cicero* autor est *de offic. L. I. c.* 25. ut totum corpus reip. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Qui enim parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem ac discordiam. Neque indignum unquam fuit maiestate regis, studere privatis utilitatibus civium, sine dispendio vel neglectu universitatis. Quomodo de Dei maiestate indigne sentiant, qui eum nec virium nec voluntatis tenuitate prohiberi fateantur, quo minus singulis immensi imperii civibus, quorum salute communis felicitas continetur, provida cura consulat? b) Neque praeteriri poterit, tam arctam rerum omnium esse connexionem, tam continuum atque concatenatum omnium statum, ut nec universitatis salus, neglectis individuis, constaret. Solent gravia bella e tenuibus initiis exardescere: saepe unica scintillula magna incendia et familiarum miserias excitavit: unius animantis vigilantia multa interdum mala avertit. Quodsi hoc grande, eximium, magnum Deo animadvertendum sit; quomodo non illud quoque, tenue quidem et in se minutum, sed ita coniunctum gravissimis rebus, ut divelli nequeat? Aut igitur singulos Deus curat, aut nullos. Haec quidem adierimus

 dili-

diligentius, quo plus adferunt momenti ad animos noſtros in quibuscunque dubitationibus et periculis erigendos confirmandosque et quo crudelius uberrimam materiam ad ſatisfaciendum querulis mentibus rapiunt ii, qui Deo gubernationem mundi quidem deferunt, ſed confuſaneam et promiſcuam, negant autem ſingulas res et actiones peculiariter ab eo dirigi, non minus de ſe quam de Deo abiecte ſtatuentes. Atque olim contra hanc opinionem graviter depugnarunt GREGORIVS *Nazianzenus orat. XVI.* (T. I. opp. p. 253) *Chryſoſtomus libris de providentia divina* ac alii. Noſtra aetate poſt *Socinianos*, (niſi hos obſcuritas dictionis in erroris ſuſpicionem coniecit) *Baelium* ſcimus hanc cantilenam recoxiſſe. v. et *Oeuvres de Philoſophe de Sans ſouci. Epitre* 7. qui omnia congeſſit, quibus impugnari provida ſingulorum cura poſſit.

cf. C. F. SCHOTT *diſſ. de providentia Dei ſpeciali.* Tub. 766.

Obſ. 2. *Sapientiam* autem, quae multiplici ratione ſpectatur in procuratione mundi, praecipue admiramur *tum in modo*, quo utitur gubernandis rebus atque ad felicitatem deducendis, *tum* in *diſpenſatione bonorum*, quibus ſingulos ornat. Atque *modum*, etſi non omnino conceſſum ſit definire, tamen eum intelligimus, qui mediocritatem illam teneat, quae eſt inter nimium et parum. Nimium quidem *occaſionaliſtis*, quos vocant, placuit; parum *fataliſtis*. *Illis Nicolaus Malebranche* (*l. de l'action de Dieu* Pariſ.) celebris Gallus, et *Carteſius* per *Syſtema cauſarum occaſionalium* autores fuere, haud veriti adſerere, Deum eſſe actionum omnium cauſam immediatam, eas autem, quas nos vocamus cauſas ſecundas, eſſe tantum occaſiones agendi:

quae

quae somnia pluribus, ut solet, artibus R. *Bailius* exornare speciosius tentavit *Tom. III. respons.* Sed hac opinione stabilita omnis agendi libertas evertitur atque homo necessitati subiicitur, neque iam poterit, ubi mala patraverit, semetipsum accusare sed Deum, neque bene sanctorum praemia expectare, etenim alienis motibus bene meruit, instrumenti more, quo quis utitur; qua nihil unquam perniciosius in morum doctrina statui poterit. *Alteram* classem obtinent, primum ii, qui fati necessitate mundum contineri defenderunt, illis tum numero tum aetate superiores. Chaldaeos enim cum reliquis orientalibus huius erroris *Philo* (*de migratione Abrahami p.* 360,) accusat et *Sextus Empiricus*, (*adv. mathem. L.* 5. *init.*) E graecis primus Heraclitus fuit, qui fatum defenderet, assecla Democrito: Aristotelem eiusdem erroris Cicero reum agit, nescio quam vere: Stoicorum, quanquam tritissima, nondum tamen satis explicata de fato sententia videtur. Sed omittamus has historias, de quibus R. CVDWORTH *Syst. intellect.* T. I. exposuit. Deinde novum systema exortum: *mechanismi* legibus mundum regi, in quo omnia, quae fiunt, aliter fieri non possint, propter leges a Deo constitutas, quod fit in machinae motibus v. c. in horologio. Verum hi quoque Deum spectatorem mundi otiosum deserentemque opus suum faciunt atque omnes fines divinos destruunt, quippe qui ab actionibus, quas morales dicimus, pendeant. Quid igitur? nonne sapientissimum est institutum, procurare felicitatem humanam per instrumenta atque causas secundas intervenientes? Earum quidem auxilio Deus minime eget: potest enim sine illis perficere omnia: verum utitur, quo nos intelligamus, opem divinam ubique et semper nobis adesse, admiremurque vim

divinam, quae nullam rem quamlibet minutam frustra ac sine virtute peculiari procreavit. Mihi quidem sapientia longe videtur excellentior imperii rex, cuius ingenium auxilia necessaria praeparavit atque, ut promta adessent, disposuit, quam is, cui subinde opus est, praesentibus periculis vi sua succurrere. Multo igitur maiorem Dei sapientiam veneramur, a quo omnia videmus sic dispensari, ut semper praesto sint mutua adiutoria ac opportuna praesidia, sive leniendis molestiis, sive avertendis morbis, sive quibuslibet denique necessitatibus. Is modus et Deo convenientissimus est et humanae imbecillitati maxime consentaneus: acuit enim ingenia, providosque facit homines et metum multum depellit, denique animum gratum reddit erga Deum, qui tot modis cupit nobis consultum.

Ex his autem palam fit, *primum* miracula vel instituta, quae per immediatam vim divinam veniunt, multo etiam minus declarare maiestatem divinam, quam ordinem naturae. Nam in illis vim tantum admiramur; in hoc et vim, quae virtutem rebus etiam abiectis indidit, et sapientiam dispensationis. Quo magis cavendum erit, ne Deum subinde in subsidium vocemus atque in eventibus insolitis, quorum causae non adeo explicatae sunt et evidentes, numen ex machina inducamus. Qua in re multi peccarunt, veteris inprimis testamenti interpretes, iris ac criminationibus satis liberales adversus eos, qui eventuum singularium causas naturales esse conati sunt ostendere, pie quidem, quando in his quoque mirabiliter agit Deus suamque bonitatem et potentiam efficaciter declarat.

v. I. G. TOELLNER *vvarum Gott nicht übernatürlich thut, vvas natürlich geschehen kan, in verm. Auffaezen. T. II. Abh. 2.*

Simul

Simul patescit, graviter peccare, qui secundas causas adspernantur, *partim* iudiciis, dum beatius longe seculum rerumque christianarum decus illustrius fore confingunt, si miraculosae vires adhuc concederentur mortalibus, (e quibus nuper etiam *Lavaterius* fuit): *partim* usu. Si Dei providentia, inquiunt, definitum est, ut ab hoc morbo convalescam, minime opus est medicaminibus; sin definitum est, me non recuperaturum sanitatem: frustra medicinam adhibuero. Atqui hunc animum, variis modis sese prodentem, qui ostendunt, gravi Deum iniuria adficiunt, spreto ordine, quem ille sapientissime ac nostro bono disposuit, repudiatisque beneficiis oblatis atque paratis, in quibus sive per quae placet ei operari.

Atque quanquam vulgaris providentiae vel potius regiminis et gubernationis divisio in *ordinatam* et *miraculosam* haud inanis sit (legimus enim interdum accidisse eventus, in quibus ratas humanarum virium et causarum leges non agnoscimus: vide supra p. 23.); tamen non ita valet, ut ea vel periclitanti naturae subvenisse Deum existimemus, quod Deistis placuit, nec ita, ut adhuc singulari interventu, sine causis secundis vel instrumentis, rebus humanis consuli statuamus. Etenim pia quorundam arrogantia, fore, ut insigne fidei incrementum insignibus miracula patrandi facultatibus quasi praemio ornetur, neque fundamento nititur idoneo, nec periculo caret et invidia, nec cum sacris literis facile conciliabitur, quae clare satis ostendunt, miraculis infantiam religionis christianae inclaruisse, cessaturis post incrementa rei Christianae et τελειοτητα. Paulus 1 *Cor.* 13. 8. προφητειαν, γλωσσας, γνωσιν (coll. v. 3. et 12, 8. 9.) negat perpetuo duraturas, cum sint instituta iuvenilia, atque praeter spem, fidem ac amorem nihil perenne sit (μενει). vide et *Eph.* 4, 7—13.

cf.

cf. *Betrachtung über den Endzvveck der Wundervverke und die Kraft des Wunderglaubens in unsern Tagen. Berl.* 777. et *Allgem. Deutsche Bibl. Tom.* 30. *p.* 1. *sqq.*

II. *Alterum* sapientiae divinae spectaculum ostendit admirabilis rerum *distributio*, dum tantam cuique, quantam capit, salutem administratione sua conferat. Nec enim prodigus est bonorum suorum ac coeco impetu fertur, quod esset per benignitatem desipere, nec adeo avarus, ut quis se plane deseri iure suo ac veritatis amans conqueratur, sed aequabili dispensatione utitur, qua homines cogit in societatem, atque, quod maximum est, virtutis evehendae consilium declarat. Nec iam opus erit divisione providentiae vulgari in *generalem*, quae fertur in omnes, *specialem*, quibus res humanae administrantur, et *specialissimam*, quae piis bene cupit. Errant profecto, qui Deum enixiore cura alios fovere et maiori prae reliquis studio amplecti existiment. Sed tota distinctio redit ad beneficia et partes felicitatis, quas, ut alius alio maiores cupit sive per naturam, sive per animum, ita procurante Deo obtinet.

Obs. 3. Impeditus tenuitate sua animus, qui et eventuum origines causarumque concursum haud omnino perspicit, et concatenatam universitatis ordinationem frustra conatur metiri, et effectus, e rerum causis oriundos, haud praevidet, denique felicitatis suae partes, nedum alienae et communis, saepe haud comprehendit, his igitur vitiis impeditus animus, quomodo ausit rationes, quibus immensa universitas administretur, investigare? vide *Eccles.* 5, 11. 11, 5. et *Scholia nostra ad h. l.* cf. quoque §. 87. Obs. 4. p. 265.

§. 174.

§. 174.

Vtilitas doctrinae.

Sed haec fides dici non potest, quantam *officiorum* exercendorum materiam offerat, *Act.* 17, 27. 1 *Pet.* 5, 7. *Ps.* 37, 5. quantam *consolationum* suppellectilem suppeditet, *Eccl.* 7, 15. *Ps.* 119, 52. *Matth.* 6, 25. quam pios denique animis sensus infundat. *Phil.* 4, 9. 1 *Cor.* 4, 7.

Obs. 1. *Officia* fere sunt haec: acquiescere in imperio ac dispensatione divina, nihil sibi arrogare, agnoscere imbecillitatem suam, ferri inconcussa in Deum fiducia, in omnibus negotiis, quae aggredimur, nos Deo commendare tanquam sapientissimo gubernatori, ac in omnibus sobrie, graviter, moderate ac pie nos gerere: contentum vivere cum sorte sua, premere invidos motus et suspicaces: omnes sive privatas sive communes motiones ad divinam administrationem referre: denique uti caussis secundis cum gratiarum actione, atque, ut hoc addam, pia mente revereri Deum, si nos benignitatis suae ministros atque procurationis benevolae instrumenta esse velit, eumque procuratione rerum humanarum imitari. *Ecclef.* 7, 15. *Ps.* 37, 5. 7. 34. *Matth.* 5, 45.

Obs. 2. *Secundo* cum sit quotidie universa vita hominum innumeris iisdemque exitialibus periculis exposita nullumque tempus vacuum ab adversitatibus; *consolationem* capimus, quod procuratione divina infinita mala a capitibus nostris prohibeantur. Vbi praesentia sint, certissimum solamen est, quod discimus non adesse nobis nisi aliquo cum fructu: ubi futuros timemus fortunae casus, subsidit metus fide eundem affore provisorem, nobis etiam magis acutum,

ac benevolum: nec fortuita, nisi nobis, i. e. ex caussis ignotis nobis et occultis ac improvisis accidere, quae tamen Dei nec intelligentiam nec directionem subterfugiant.

Obs. 3. *Sensus* sunt gratae mentis, quae bona sua ad Deum autorem referat: humilitatis 1 *Cor.* 4, 8. 2 *Cor.* 9, 15. ac desideria animi pia, praecibus declarata. *Phil.* 4, 9. *Iac.* 1, 17. coll. 5.

vide *Fr.* BVRMANN *Dissertt. IV. de providentia Dei in exercitatt. Academicis Tom. I. Guil.* SHERLOK *von der Vorsehung Hamb.* 755. *Rich.* PRICE *Vier Abhandlungen.* (*german. Lips.* 774. 8.) I. A. TVRRETINVS *dilucidationes Diss. IV. sq. p.* 97. *Lugd.* Bat. 1748. 4. C. H. SANDER *ueber die Vorsehung. Lips.* 1771. *Eiusd. Fuer Anbeter Gottes. Lips.* 1780.

24—96—8—18